Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Caroli de Maets ... Sylva quaestionum insignium, philologiam, antiquitates, philosophiam, potissimum vero theologiam spectantium, quarum quaedam in praefatione recensentur

https://hdl.handle.net/1874/203921

colc. comp. 8.
4°. [xvi]. sec. (2 en cada plg.

1964/168

Rar
PCY
Nacts
1

KUNSTHISTORISCH INSTITUUT
DER RIJKSUNIVERSITEIT UTRECHT
AFDELING

ODA 7874

CAROLI de MAETS

Theologiæ in Academiâ Vltrajectinâ Professoris,

SYLVA QUÆSTIONUM INSIGNIUM,

Philologiam, Antiquitates, Philosophiam, potissimum verò Theologiam spectantium.

Quarum quædam in præfatione recensentur.



ULTRAJECTI,

Ex Officina, JOHANNIS à WAESBERGE,

ANNO cIↃ IↃ C L.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.



VIR quidam doctus scripsit adversus me tractatum cui titulus est *Libertas Christiana circa usum capillitii defensa*, & quidem eo fine ut vindicaret sex suas disputationes de coma, quas partim adversus me, partim adversus alios ediderat. Tractatui postea appendicem addidit, quia cum putaret, sese copias meas omnes quibus disputationes ejus exceperam, [prior enim in me irruit] internecione deleviſſe, aliquas, supereſſe plane intactas deprehendit. Ut autem mirabar cum primum in disputationes ejus inciderem, ſic quoque miratus ſum cum tractatum cujus jam mentionem feci appendicemque perluſtrarem. Nam disputationes ejus tales ſunt, ut ſæpe iis in quos incurrit, impingat id de quo ne quidem per ſomnium cogitarunt. Deinde iiſdem illis disputationibus ita ratiocinatur, ut non tantum adverſariis ſuis non ſatisfaciat, verum etiam in plurima paradoxa incidat. Denique etiam hoc ſibi negotii ſumiſiſſe videtur ut per latus adverſariorum ſuorum, in diataxes ſynodorum noſtratium circa uſum capillorum incurreret. Tractatus vero ejus & appendix, disputationibus ſimiles ſunt. Nam præterquam quod animoſe ſe merito impegiſſe adverſariis ſuis aſſerit, quæ ipſis antea attribuerat, nihilo felicius in ratiocinando ſe gerit, & pluribus ſeſe abſurditatibus implicat [neque enim aliter fieri poteſt, quin dato uno abſurdo ſequantur plura alia] contrariamque diataxibus Synodorum ſententiam defendere pergit. Adeo ut, ſicuti juſtam cauſam habui, examinandi disputationes ipſius, præſertim qua me ſpectant, (quamvis etiam ſæpius alios quos præter me ad pugnam laceſſit, defenderim.) ſic etiam me juſtam cauſam habuiſſe judicem, ut in ipſius tractatum & appendicem inquirerem. Turpe enim futurum eſſe exiſtimavi ſi nominis mei exiſtimationem, præſertim vero ſi veritatem oppugnatam negligerem: eamque à viro docto, in triumphum duci, (nam triumphum decrevit opinionibus ſuis quas veritatem vocat,) paterer. Ita autem verſatus ſum in excutiendo tam tractatu quam appendice, ut nihil quod ullius ſit momenti prætermiſerim. Et puto à me ita viro docto reſponſum eſſe, ut facile ſenſurus ſit, adverſarium quem debellatum credebat (facile enim credimus quæ facta velimus) non tantum debellatum non eſſe, (diſputationem enim de capillis *bellum* vocat) ſed etiam ſemet eo redactum eſſe, ut ſibi de novo prælio, & quidem

priori magis acri cogitandum sit, si victoriam de qua gloriatur, si triumphum quem decrevit, consequi velit. Tristis mihi est & perquam acerba hæc cum viro docto concertatio, sed necessitatis dura lex est Ipsi si voluisset quiescere, licuisset, aut si hoc non placuisset personis parcere, errores eorum, si quos notasset, redarguere potuisset. At vero, mihi qui ab ipso, nomine meo sæpius expresso, provocatus fui, necessitas respondendi imposita fuit, ne videlicet veritati deesse, nominisq; mei prodigus esse viderer, affinisque censerer erroribus tantum non puerilibus. Adeo ut sperem omnes æquos rerum æstimatores, præsertim vero Synodos nostrates, quarū diataxes defendi & defendo, factū meum approbaturas. Ait quidem vir Cl. præfatione quam tractatui suo præfixit. *Nihil sibi unquam magis præter animi sententiam accidisse, quam quod bello capillari, quod semper detestatus t, si fuerit intricatus, verum divinitus se eo & quidem (ut sperat) cum aliquo ecclesiæ bono, protractum fuisse ut credat non levibus argumentis duci.* Sed primo nescio quo pacto ipsi bellum illud, quod vocat, tantopere displicere potuerit, cum passim novorum bellorum semina spargat, adversariis impingendo, quæ non dicunt & paradoxa paradoxis cumulando. Deinde nescio quomodo dicere possit quod credat se nō tantum divinitus excitatū sed etiā prottractum fuisse ut se immisceret bello quod vocat, quia bella fingit quæ nusquā sunt, & adversariis suis sæpenumero impingit quod nō dicunt. Nam præterquam quod controversiam ortam ait quam ego ortam non credo; nec ipse probare potest ortam esse, passim Tractatu suo Poimenandro attribuit quod statuat nutritionem comæ virilis esse ita contra naturam ac scelera illa quæ recensentur Rom. 1. v. 26. 27. Quod ita falsum est ut nihil supra. Sicuti à me ostensum est hujus operis cap. 4. Quamvis nec meum nec Poimenandri fuerit probare id à Poimenandro non assertum, sed viri docti ab illo id assertum fuisse, quod tamen nusquam tentat. Eidem impingit quod ut comam prolixam contra legem naturæ esse doceat, passim vocem *naturæ* à Paulo 1. Cor. 11. usurpatam pro argumento adducat, idque tam secure & nulla addita ratione cur alterum ex altero sequatur, ac si duo hæc vocabula essent prorsus æquipollentia; sed pari falsitate, ut cap. 7. hujus operis videre licet. Ejusdem commatis est quod à Poim. assertum ait, quod mulietem partem aliquam capillorum detectam gerere sit capite intecto esse, v. cap. 35. Borstio adscribit, quod dicat virum comam summittere esse contra ordinem naturæ quem tamen & bestiæ observent. Quod præcedentibus verius non est, ut probo cap. 6. Rev. Collegæ meo Gisb. Voetio quem in Poim. transformat, tribuit hoc enthymema, usus comæ prolixæ est contra vel supra naturam, ergo illicitus. Vide cap. 8. Mihi assingit quod concedam honestatē in communi consideratam esse æstimandā ex more qui sit regula decori. quod ab omni veritate alienum est. v. c. 10. Item quod statuam abscissionem extremitatum partis alicujus capillorum esse rasuram cap. 37. Et ut paucis absolvam, (nam longum foret quæcunque hujus generis sunt com-

me-

memorare) adversariis suis tribuit quod statuant licitum esse transgredi & violare præceptum de attondenda coma non tantum materialiter sed etiam formaliter, quod falsum esse ostendo cap. 14. & 35. Fieri potest ut errore mentis, se in adversariorum scriptis hæc & alia iis similia notasse putet, verum tamen est ipsum hæc adversariis suis tribuere præter omne meritum ipsorum. Huc accedit quod bellum quod gerit non eo spectet ut libertas Christiana conservetur, verum ut licentiæ janua aperiatur. Nam præterquam quod luxuriem capillorum virilium & muliebrium quam damnavere Synodi nostrates propugnat, talia profert, ex quibus, si admittantur honestati naturali non leve periculum immineat. Nam tractatus sui pag. 107. *honestatem* IN COMMUNI CONSIDERATAM *more qui sit regula decori æstimari ait.* Inde autem sequitur non tantum viris ubi id moris est, intonsis mulieribus rasis licitum esse capillis, verum etiam utrisque permissum, ubi id moris est (sicuti id in quibusdam gentibus moris esse notum est) ut nudi inter se versentur, & in propatulo conjugio utantur. Imo vero ut id fiat necessarium esse. Nam pag. 175. ait *nullam rem ratione decori moralis esse indifferentem.* Non existimo virum doctum cum hæc effunderet, periculosas quæ inde manarent consequentias vidisse: verum tamen cum eæ inde sequantur, arbitror non immerito nos tum propter hæc tum propter ea quæ antea attulimus, dubitare posse an divinitus ad bellum hoc protractus fuerit. Denique nescio quid boni ecclesiæ se attulisse putet primum theses scribendo, deinde libertatem suam cum appendice edendo. Nisi forsan inter bona ecclesiæ numeret, fratribus sententias impingere quas non agnoscunt, irruere in theses in vicina Academia disputatas, non suppresso auctoris nomine, Synodorum diataxes pias luxare, & varia paradoxa spargere. Sed paucos inventum iri puto qui hæc inter bona Ecclesiæ numerent. Si aliud intellexit vir doctus quando de bono Ecclesiæ loquitur, ubi videbitur, mentem suam nobis aperiet. Ut autē videamus quomodo ad bellum, quod vocat, divinitus & quidem cum aliquo bono ecclesiæ protractus fuerit, *Occasionem rei*, est intricandi se bello, uti loquitur, capillari nos latere noluit. Inquit enim eam dedisse virum quendam in dignitate constitutum à quo solicitaretur ut sententiam suam super eo argumento consignaret scripto, cui tamen id ἀπροφώς negaverit, indicato *consilio Cl. Polyandri* (*quod tum commodum prodierat*). *Quia id sibi ea moderatione ac prudentia scriptum videretur ut iritati, si forte, quorundam animi, eo perlecto mitigari & res totæ maturo silentio* [*quod unicum huic malo remedium censeret*] *componi ac sepeliri posset.* Sed non petiit, ut puto vir ille in dignitate constitutus quisquis tandem fuerit, ut Vir Cl. fratribus suis quod non dicunt impingeret, nominaque illorum, ad perpetuam errorum plusquam puerilium, quos ipsis tribuit memoriam, thesibus suis inseret: nec ut in modestiam incurreret; nec si petivisset, audiendus fuisset. Deinde quantum hic videre possum, petitionis viri hujus in dignitate constituti habita non fuit ratio. Adeoque quam

vir doctus commemorat, vix occasio dici meretur, nisi forte ut loquuntur in actu signato. Forsan hoc vidit, atque propterea nobis veram occasionem, qua ad hoc bellum divinitus protractus fuerit, enarrare voluit, nimirum disquisitiones Academicas,& concionem vernaculo idiomate editam. Ait enim *Non multo post & disquisitionibus Academicis & concione vernaculo idiomate emissa certamen instauratum vidi. Id quod me à priori sententia nonnihil abduxit, ac permovit ad causam hanc saltem in peculiares meos usus accuratius cognoscendam. Percurri itaque quæcunque de ea ultro citroque scripta ad manus meas pervenerant, & quid mihi de iis videretur in disputationes aliquot conjeci quas discipulis meis publica συζητήσεις defendendas dedi.* Verum dum ita loquitur, justissimam causam me habuisse tantum non clamat disquisitionum meatum Academicarum inchoandarum atque pertexendarum. Si enim sibi licitum censuit, à priori sententia qua quiescere constituerat decedere, atque sese implicare bello quod detestaretur, ob disquisitiones Academicas & concionem vernaculo idiomate editam (quamvis in iis nulla ipsius mentio facta fuisset) certe multo magis mihi licitum fuit ordiri disquisitiones Academicas postquam non tantum Auctor Epistolæ de coma [notum est qua lenitate id factum sit] verum etiam alius & quidem vernaculo idiomate, in Poimenandrum, cujus libellum una cum collegis approbaveram, incurrisset: & easdem pertexere postquam Dialogista, adversus disquisitiones meas inchoatas virulentam satyram scripsisset, & vir doctus [antequam absolutæ essent] disputationes suas tum adversum alios tum adversus me edidisset. Ipse sponte ad bellum quod vocat advolavit, ego vero non nisi necessitate adactus scribere cæpi,& postquã cæpissem,in instituto perrexi. Sed dispar, dicet forte vir doctus, scriptionis, suæ meæq; est ratio. Quia ipse præscripserit discipulis suis disputationes, *ne qui* [sic enim loquitur] *ex eis Ecclesiarum gubernaculis admoverentur* [*quorum per Dei gratiam insignis provētus est*] *vel ipsi hisce καινοτομίαις irretirentur, vel comissas sibi animas per imprudentiam eis illaquearent*; Ego vero καινοτομίαις (hoc enim sibi velle videtur) pattocinarer. Sed τὸ ἀνὸς ἐφα hic in solutũ non accipimus. Nego enim à me καινοτομίας ullas protrusas aut defensas fuisse, affirmo autẽ virum doctum alios καινοτομιῶν accusantẽ sese in multas induisse. Ut autem me verum dicere appareat aliquas ex multis in medium proferam. Statuit ergo inter alia, legem naturæ aliam esse à lege modestiæ, prudentiæ & ædificationis proximi. Vide hujus operis c. 10. Adamo non fuisse datam legem reddendi debiti conjugalis, nec ad generationẽ ipsi, si perstitisset in innocentia, liberisve ejus lege opus futurum fuisse; ut nec ad edendum, bibendũ, dormiendum. c. 12. Tegere nuditatẽ postquam per peccatum probrosa facta fuit, non esse legis naturæ: ibid. Ut nec eleemosynam dare indigẽti, si habeas unde des. ibid. quidquid occasione peccati necessarium factum fuit, non esse legis naturæ, ibid. Honestatem naturalem (quæ nihil aliud quam decorum externum est,) quod sana ratio dictat, non

debere

debere cedere utilitati publicæ aut neceſſitati privatæ gravi. Adeo ut Franciſcum Junium, at quantum Virum! qui dixerat, honeſtatem naturalem cedere debere utilitati publicæ & neceſſitati privatæ gravi, infra ſaniores inter gentiles detrudat. cap. 14. Miniſtros eccleſiarum in iis quæ præſcripta non ſunt, normam eſſe ad quam ſe eccleſia cui præſunt, componere debeat. cap. 18. Indigenas ad exemplum paucorum exttaneorum in iis quæ præſcripta non ſunt ſe gerere debere. ibid. Oportere ut eccleſia una aliam ſequatur in iis quæ præſcripta non ſunt. ibid. Honeſtatem in communi conſideratam more æſtimari qui ſit regula decori. c. 20. Judicium rationis rectæ quod terminatur ad prudentiam œconomicam ac civilem non terminari ad honeſtum aut turpe cap. 22. non prohibere Apoſtolum 1. Cor. 11. nutritionem comæ virilis ſub ratione peccati ſed detrimenti tantum cap. 30. Exſtare in ſacris literis conſilia & monita prudentiæ divina quæ non obligent. cap. 31. 32. Apoſtolicam conſtitutionem 1. Cor. 11. de modo orandi & prophetandi eſſe humanam cap. 33. Ignorantiam invincibilem & involuntariam facti non excuſare à peccato cap. 36. Nolo ut mihi lector fidem temere adhibeat: ſcriptum meum cum iis quæ ipſe edidit conferat: nullus autem dubito quin quæ dico vera eſſe ſit deprehenſurus. Fateor me docere præceptum Apoſtoli de tonſura virili, & nutritione comæ muliebris eſſe nō temporariū ſed perpetuum, ita tamen ut caſus neceſſitatis excipiendus ſit, ſed quæ hic κενοτομίαι? Nulla certe. Nam ſententia mea non tantum rationibus ex ſcriptura deſumtis nititur, ſed etiam præſtantiſſimorum Theologorum auctoritate comprobatur. Hieronymus, ſi modo auctor eſt comment. in 1. Cor. 11, gentes quod dat Apoſtolus de coma præceptum non cuſtodiviſſe ait, quia illæ à natura deciderunt. Adeoq; id perpetuum nō temporarium eſſe nos docet. Videri quoque hac de re idem Pater poteſt in Comment. in Ezech. cap. 44. Auguſtinus lib. de opere Monachorum totus meus eſt. Videri quoque poteſt eadem de re Epiſt: 76. Martyr in 1. Cor. 11. Et Franciſcus Junius in Com. ad Deut. 22. & notis ad Cantic. Salomonis. c. 4. vſ. 1. diſerte pro me ſententiam dicūt, nec tamē ab ullo propterea niſi forte à viro docto κενοτομιῶν accuſati fuerunt. Deniq; diataxes Synodorum noſtratium mihi favent. Alios etiam præter hoſce producere poſſem, ſed id neceſſarium non arbitror. Quia hi ſufficiunt, ſi auctoritatibus humanis pugnandum ſit. Jad removendam à me κενοτομιῶν ſuſpicionē Operæ pretium facturus fuiſſet vir doctus ſi κενοτομιῶν aliquot mearum ſyllabū texuiſſet, ut lector quæ & quales eæ ſint cognoſcere poſſet; nam omnibus non eſt tantū otii ut integros tractatus legant: ſed quandoquidem id non fecit nihil mihi reſtat, quam ut rogem lectorem cui non vacat diatriben meam, atque hoc quod nunc edo opus evolvere, ut adeat pag. hujus ſcripti 261. ibique videat quid ſentiam de tonſura capillorum virilium & porro perlegat theſes meas de uſu capillorum muliebrium, quas inſerui reſponſo meo ad appendicem viri docti cap. 35. 36. 37. nimirum ut cognoſcat an ullam κενοτομίαν nedum κενοτομίας (uritur enim

enim vir doctus plurali numero) deprehendere possit. Quod si vero quisquam sit cui tantum est otii, ut penitius consideret quæ inter virum doctum & me controversa sunt, eum etiam atque etiam oro, ut tum Diatribem meam tum scriptum hoc perlegat, & cum thesibus & tractatu viri docti quem *libertatem Christianam defensam* vocat conferat. Etenim si id fiat, non dubito, quin, modo à partium studiis alienus sit, deprehensurus sit non mihi sed viro docto κοινοβρωῖαν labem convenire. Promittit quidem vir doctus titulo tractatus sui perquam speciosо, *defensionem libertatis Christianæ*. Sed quod promittit non præstat. Quia à me ea oppugnata non fuit. Imo tantum abest ut libertatem Christianam defenderit, ut eam alibi, nimirum cum contra Fr. Junium, quem adduxeram, de honestate naturali disputat, ut etiam cum de facto R. D. Junii pastoris Delphensis circa viros insulæ Formosæ agit, plus quam oportebat contraxerit, & sæpius nimium dilatarit. Sed hisce missis ad alia transeo. Objicit mihi vir doctus quod sojus hodie molem belli, quod vocat, sustineam, & tergiversationibus rem gerам. Inquit enim eadem illa præfatione. *Disputationes illas convellendas sibi sumsit vir doctus (qui pene unus totam illius belli molem hodie sustinet) sed ita ut, quod pace illius dixerim, tergiversationibus quam aperto marte rem gerere præhabuerit.* Sed hæc, perquam inania sunt. Nam quantum ad primum, stant mecum præter Collegas meos, Synodi nostrates quarum Judicia de vanitatibus capillaribus defendo ipse vero evertit, dum contendit Apostoli constitutionem 1. Cor. 11. (qua sola disputatio de capillis, ut ait, nititur) non tantum humanam esse, sed etiam talem ut ea non sub ratione peccati sive illiciti, sed tantum sub ratione incommodi nutritio comæ virilis prohibeatur; ac porro docet honestatem in communi consideratam niti more qui sit regula decori, adeoque ostendit se credere quod, si mos tulerit, ut viri intonsis mulieris rasis capitibus incedant, id honestum & decorum sit futurum. Sed esto, sustineam ego solus belli illius molem quid in eo mali? Nam cuilibet Christiano impositum est, ut si vel ab omnibus deseretur, veritatem, cujus pretiosissima est possessio, tueatur. Deinde si verum est quod ait, jam pares sumus. Nam quem dabit mihi qui postquam adversum me scribere, cæpit contra me arma moverit? quantum ad alterum, puto tergiversationes quas mihi impingit ejusmodi fuisse, ut argumentorum vim in iis agnoverit. Verius de ipso dicam (quod tamen pace illius dictum velim) tergiversationibus ipsum quam aperto marte rem gerere præhabuisse. Nam tergiversantis est, adversariis tribuere quod non sentiunt, quod tamen sedulo facit vir doctus. Tergiversantis est cum respondere nequeas, arripere nec cogitatum nec dictum ab adversario ac si ἀνυπεύθυνοι scriptum esset. Quod si annotare vellem omnia loca, in quibus vir doctus jus naturæ absolutum quod Poim. tribuit in negotio capillari, & falso tribuit, ut à me ostensum & Poimenandri literæ ad calcem hujus operis typis descriptæ docebunt, in medium profert ut tergiversationes meas quas vocat dissolvat, rebus-

rebusque suis afflictis & disperatis succurrat, nimium prolixus essem. Verum me dicere judicabit quisquis tantum ipsius appendicem legerit. Nam in ea ubique comparet jus illud naturæ quod Poimenandro tribuit. Nec sufficit viro docto mihi hæc objecisse sed etiam graviora impingit, dum inquit: *Nam & suas opiniones occultat, & alienas incrustat.* Verum ut immerito mihi tergiversationes imponit, sic etiam præter meritum meum me hisce onerat. Opiniones meas intrepide propono. Odi enim τὰ κρυπτὰ τῆς ἀσχύνης. Nec ratio est quare eas occultem; sunt enim sanæ, easque contra vitum doctum tutatus sum & tutari pergam, si rursus in me scripserit, & porro in scripta ejus omnia (nisi quid gravius incidat) qualiacunque sint inquiram & videbo utrum ea adversus tergiversationes meas quas vocat, tam facile defensurus sit, ac ego retudi quæ contra disputationes meas de capillis (quantum tamen plæraque intacta reliquit) in medium protulit. Forte sentiet aliud esse triumphum causæ suæ decernere, aliud vero quid triumpho dignum præstare. Incrustare me alienas opiniones fervide dicit sed non probat. Fateor me sæpenumero defendisse Poimenand. & Borstium, sed quis propterea dicet me ipsorum opiniones incrustare? defendi viros illos, quia ipsis à viro docto injuriam fieri arbitrabar. Fateor quoque me mitigationem quandam, quibusdam quæ à Poim. incommodius prolata erant, attulisse. Sed id charitatis esse arbitrabar, & exemplo viri docti id feci, qui dictum quoddam Bezæ, quamvis ipsi de mente ejus non constaret, sibi mitigandum duxit, cum Poimenand. mihi quid sentiret per literas significassel. Dimidium causæ etiam me sibi tradidisse, adeoque in medio cursu me defeciisse commemorat, & de tragœdiis excitatis nonnihil nobis narrat. *Et dimidium* inquit *causæ, id est negotium capilli muliebris, in quo maximæ tragœdiæ ab iis quos tuendos sibi putavit fuerunt excitatæ intactum relinquit. Laudandus certe si ingenue ac palam (quod in animo eum facere arbitror) ejus errores repudiare quam tacitus dissimulare maluisset. Interim tanti momenti expugnata arce, de integra victoria quam optime sperare debemus, ad quam consequendam contendit hic meus labor.* Sed primum plane commentitium est. Et commentitium esse ipse agnoscit præfatione sua in appendicem, & porro ipsa appendice tota. Alterum quod ait de tragœdiis excitatis ab iis quos defendēdos susceperim me non tangit: ipsi quos notat, viderint. Interim ajo gravem hanc esse accusationem & minime convenientem ei *cui vulneris sanandi quam scindendi consilium potius videtur.* Præterire hic non possum, non obscure significare ipsum, sententiam suam de capillis muliebribus Synodis nostris esse contrariā. Nam quod me sibi tradidisse ait, damnatum est diataxibus Synodorum nostratium de capillis muliebribus. Libuit viro docto præter ea quæ præcesserunt etiam non nihil differere, de gravitate materiæ à se tractādæ qua in re ita se gerit, ut adversarios suos non leviter perstringat. *Quem (laborem)* ait, *qui*

putaverit in re nihili occupari [*ut sunt fastidiosa hominum ingenia*] *næ is haud mecum sentit. Ea enim huic causæ, ab ejus auctoribus, subjecta fuerunt fundamenta quibus semel admissis, nec modus nec finis erit scrupulorum. quod tum demum sentiet ecclesia* (*avertat omen Deus*) *cum quomodo eis medeatur rationem non inveniet.* Nam quamvis verum sit tractationem negotii capillaris non esse de re nihili, quia pertinet ad conscientiarum informationem; falsum tamen est quod de scrupulis nunquam finiendis ait. Demonstratum hoc oportuit, non autem absque ulla probatione adversariis objiciendum erat. Scio autem virum doctum etiamsi omnes nervos intendat, nunquam id probaturum. Quod sequitur nescio quale sit. *De pilis ergo*, ait, *hic minimum certamen est, de jure divino & humano, naturali, gentium, de necessariis, & indifferentibus, præceptis & consiliis, atque aliis rebus maximi ponderis occasione quæstionis levissimæ conflictamur, quæ quam late se extendant, norunt qui in rebus Theologicis sensus subactos habent. ut manifesto hic videre sit* כהרין הלויין בשערה *sicut montes pendentes è pilo. Quod adagii vice Judæorum Rabbinis usurpari solet.* Quamvis enim verum sit quod dicit de pilis hic minimum certamen esse, de rebus aliis quam plurimis agi; nescio tamen cui bono id afferatur. Quod si velit probatum dare ex adversariorum fundamentis scrupulos sine modo & fine nascituros, nullam hic speciem argumentationis video. Quod si vero hoc attulerit, ut probet à disputatione de pilis esse abstinendum, ipse scriptum suum damnabit, nisi forte sibi soli fas esse putat hisce de rebus disputare, reliquis vero silendum; quod tamen non admitto. Quod si aliud sibi voluerit ipse ubi visum erit, significabit. Solicitum quoque se ostendit de judicio hostium de religione nostra. Ait enim *Ne dicam, maximam quoque cautionem esse, ne nostra culpa vera religio sannis & ludibrius hostium suorum exponatur, id quod hic periculo non caret. Jam enim Romam pervenit rumor illius dogmatis, ac novæ hæreseos nomine ibi traducitur, quod facile prolatis quæ illinc scriptæ sunt literis, lectorum oculis subjicerem, nisi vulneris sanandi quam scindendi consilium mihi potius videretur.* Sed hac solicitudine hic nihil opus erat. Nam quamvis concedam non esse committendum ut nostra culpa religio sannis & ludibrius hostium exponatur, nego tamen culpam illam mihi adscribi posse, me autem hoc cum ratione negare scriptum meum docebit. Imo vero isti culpæ vicinum esse virum doctum mihi persuadeo. Nam non paucas opiniones ridiculas præter rei veritatem adversariis obtrudere conatur, atque hoc pacto sannas & ludibria hostium veritatis adversus religionem nostram provocat. Quod ait de rumore Romam perlato, facile credo. Sed si rumor ille viro docto adeo displicet, cur ipse, ut de auctore Epistolæ de coma, de scriptore consilii, & de Dialogista nihil dicam, theses de usu capillorum conscripsit? cur refutatarum defensionem molitus est? dicet forte sua esse sana, orthodoxa, mea vero talia non esse. At hoc ipsi non concedo. Deinde si adeo metuendum

est

est judicium Romanensium, jam nefas erit casus conscientiæ, circa quos judicia eruditorum variare possunt, attingere, atque in alterutram partem determinare. Quod si autem vir doctus tanti facit judicia & rumores Romanensium me sibi assentientem non habet. Denique solent Romanenses festucam aliorum in oculis cernere, cum ipsi non sentiant trabem quam in oculis suis circumferunt. Nam plena omnia apud ipsos sunt sententiis quæ inter se adversis frontibus pugnant. Quod patet ex diversis Thomistarum, Scotistarum, Occamistarum &c. sectis. Prætero acres quæ inter ipsos nunc fervent de gratia & libero arbitrio contentiones; quarum testes sunt Flandria & Brabantia, multique libri ibidem editi. Ut autem facile credo quod ait de literis Roma missis, sic etiam credo viro docto animum non deesse sanandi vulneris, si quod est ex negotio capillari, sed factum ipsius adversariis quod non dicunt vulnus præter rationem dilatat, verum etiam, ut sua defendat adversus adversarium, prioribus suis paradoxis nova adjicit, adeoque vulnus vulneri addit. Denique me aliosque etiam monendos censuit. Ait enim. *Auctorem illum quocum ago, & reliquos eidem causæ assines hoc unum precor ut siquibi deprehenderint (deprehensuros autem reor) se vel erraße in judicando, vel in agendo modum non tenuiße [utrumq; autem humanum est] retorsum vela dare malint quam sese ac alios ingrato hoc litigio inutiliter* καὶ σὺν ἐμοὶ ἀχαθῶ τῆς ἐκκλησίας *ulterius fatigare.* Sed hæc admonitio, qua spectat errorem in judicando admissum, ex animo præjudiciis occupato profecta est. Existimat enim vir doctus se suas partes & paucorum aliorum ita defendisse, meas vero ita afflixisse, ut mihi receptui canendum sit. Sed hanc ejus persuasionem falsam esse, videbunt, ut arbitror, quotquot mea cum scriptis ipsius contulerint. Quocirca causam non video quare vela retorsum dare debeam. An autem alii sive Borstius [nam Poim. ante sesquiannum obiit] sive Synodi existimaturi sint se in judicando errasse, ego quidem nescio. Si tamen conjecturam facere licet, existimo illos nullo modo facturos id de quo vir doctus non desperat. Nam præterquam quod mihi verisimile non sit *alios* illos de re capillari sententiam suam pronunciaturos fuisse, nisi firmis eam talis stare comperissent, puto à me viro docto ita responsum esse, ut judicaturi sint nihil superesse quare vela retorsum dare necessum sit. Pars vero illa admonitionis, quæ agit de modo in *agendo* non servato, ad me non pertinet. Quod sentio de negotio capillari modeste docui, nec propterea apud nos ullæ *tragœdiæ* exortæ sunt. Nescio ullum inter pastores Ultrajectinos viros doctissimos & collegas meos in ministerio ecclesiastico venerandos qui diversum hic à me sentiat, nedum qui mihi litem moverit, vel me sibi monendum censuerit. Quamvis non tantum conclonibus meis, sed etiam disputationibus de capillis fere semper aliqui eorum interfuerint. Quid collegæ mei in professione Theologica de me senserint, ipsi approbatione sua, qua muniendam censuerunt Diatriben meam

de capillis satisſuperque oſtendunt. Alii itaque qui hic modi in agendo non obſervari inſimulantur [ſi ita videbitur] conſiderent num quid admiſerint cujus ipſos pœnitere debeat. Quod aut de litigio quo ego me alique ſe, ἐκ ἐπ' ἀγαθῷ τῆς ἐκκλησίας fatigent ferendum non eſt. Antea dicentem audivimus ipſum quod non levibus ducatur argumentis ſe divinitus ad bellum capillare protractum fuiſſe, & quidem cum aliquo (ut ſperat) Eccleſiæ bono. Hic vero omnes alios diverſum à ſe ſentientes ſeſe litigio de capillis inutiliter & nullo cum Eccleſiæ bono fatigare ait. Supercilium hoc aliquod ſapere videtur, vel ſaltem (ut mitius loquar) nimiam ſui admirationem. Me quod attinet, quamvis triumphos non mediter, nec magnifice de meis ſentiam, me tamen pro veritate ſtetiſſe, & quidem non inutiliter, ſed cum aliquo Eccleſiæ bono, plane confido. Quantum vero ad alios, præſertim Synodos, quæ varias variis temporibus diataxes contra luxuriem capillorum virilium & muliebrium edidere, eamque coercendam qua publicis qua privatis admonitionibus, & cenſuris cenſuere, etiam poſtquam Auctor Epiſt. de coma ſententiam ſuam dixiſſet, & Scriptor conſilii ſupra memorati in medium proſiliſſet; neſcio utrum ſperare poſſit vir doctus, ſe impetraturum ut credant ſe inutiliter ἢ ἐκ ἐπ' ἀγαθῷ τῆς ἐκκλεζίας ſeſe talibus fatigaſſe. Quod ſi videbitur ipſi, tentare poterit utrum diataxes ſuas de capillis retractare velint. Ego ſane non inutiles nec ἐκ ἐπ' ἀγαθῷ τῆς ἐκκλησίας ſed utiles, & ἐπ' ἀγαθῷ τῆς ἐκκλησίας illas diataxes conditas eſſe plane credo, & credam donec mihi contrarium demonſtretur. nam id hactenus feciſſe virum doctum, quidquid ſibi perſuadeat, ego quidem non video, nec ut opinor videbunt alii quibus aliquid ſalit læva ſub parte mamillæ, aut ſaltem prejudiciis occupati non ſunt: ſi modo quæ ego de capillis edidi & nunc edo, cum ſcriptis tum aliorum tum viri docti conferant. Non monebo hic auctorem quocum ago, ut ſicubi deprehenderit ſe erraſſe in judicando, vel in agendo peccaſſe, ut retorſum vela dare malit quam ſeſe ac alios ingrato hoc litigio inutiliter ἢ ἐκ ἐπ' ἀγαθῷ τῆς ἐκκλησίας ulterius fatigare: ejus enim prudentiæ & pietatis eſſe debet, ut, ſi ſeſe in judicando erraſſe vel in agendo peccaſſe ſentiat, ultro & judicium mutet & delictum in agendo admiſſum corrigat. Monebo tamen lectores meos, quandoquidem præfatione ſua, nunc belli nunc litigii mentionem facit, atque hæc talia ſunt ut facile cujuſquam aures teneriores offendere poſſint, ne hæc ita interpretentur quaſi animorum aliquod inter me & ipſum ſit divortium. Aperte & ſincere profiteor me ipſi ex animo benevelle, & officiis cum ipſo certare paratum eſſe, nec admittam, ut propter ſententiarum quarundam inter ipſum & me diſſidium, charitas quam ipſi debeo evaneſcat, aut pereat. Fieri quidem poteſt ut in συῤῥήξει quædam occurrant, quæ acrius dicta videri poterunt, ſed noverunt omnes qui horum ſacrorum rudes non ſunt, vix fieri poſſe quin in ejuſmodi concertationibus literariis aliquando oratio acrius animetur, *ne ſi negligentius agamus*

uti

uti vir doctus ait Tractatus sui p. 68, *nobis protinus objiciatur, nos aërem ferire aut umbram nostram oppugnare velle*, aut potius, ne ipsi ἀναισθησίᾳ laborare, nobisve male conscii esse judicemur. Huc accedit, quod inter illa quæ duriora videntur, non pauca sint, quæ ex viri docti pharetra prodiere, & à me ipsi, alio fere charactere notata, reponuntur. Scriptum hoc meum titulo *Sylvæ quæstionum insignium insignivit.* Quisquis autē illud perlegerit merito id à me factum judicabit. Quamvis enim theses viri docti quibus irruit in disputationes meas ad locum Apostoli 1. Cor. 11. v. 14. 15. non adeo multæ sint; thesibusque iis breviter respondérim, fecit tamen tractatus quo theses suas advetsum me tutandas judicavit, ut ad longe plura quam antea, & talia quidem quæ à tenuitate capilli multum recedunt, mihi descendendum fuerit, & ut ego quidem arbitror *cum aliquo bono ecclesiæ.*

Videbit lector hic agi.

De bonitate & malitia actionum humanarum.
De lege naturæ.
De origine significationis verborum.
De situ aquæ quem nunc obtinet.
De providentia Dei.
De eo quod est supra naturam.
De varietate præceptorum legis naturæ.
De lege debiti conjugalis, edendi, bibendi in statu innocentiæ.
De lege tegendæ nuditatis post peccatum, usus vestium, & dandarum eleemosynarum.
De rebus Paradisi.
De inventione ferramentorum.
De honestate naturali & politica.
De ratione totius physici & partis.
De jure gentium.
De consuetudine.
De modis quibus natura docet.
De convictione objectiva & subjectiva.
De philosophia.
De inclinatione naturali.
De honestate in communi considerata.

De prudentia circa œconomica & politica.
De commodo & incommodo.
De usu pileorum apud Corinthios, & habitu cinædorum, puerorum & fœminarum apud eosdem.
De pileis & calotis ministrorum.
De necessariis & indifferentibus.
De consiliis divinis, an obligent?
De voce γνώμης & 7. cap. 1. ad Corinthios.
De constitutionibus Ecclesiasticis Apostolorum viz. an humana fuerint?
De varia ratione indifferentium.
De circumstantiis actionum humanarum.
De contemtu.
De incessu mulieris ad dexteram viri. p. 424.
De signis dignitatis naturalibus, arbitrariis, & per accidens. 425
De varietate constitutionum Ecclesiasticarum.
De scandalo. 432
An & quomodo dici queat necessitatem frangere legem?
De ceremoniis.
De officio judicum.
De ignorantia invincibili.
De rerum possessione.
De oratione pro ignorantiis.
De eo quod non fit ex fide.
De sacrificiis legalibus.
De novitatum studio in cultu corporis.
De lege modestiæ humilitatis & ædificationis proximi, an alia sit à lege naturæ?
De subjectione mulieris gemina. Et de multis aliis.

Scriptum hoc ante biennium & quod excurrit, [excipio responsum ad appendicem viri docti] paratum habui. Quod citius non prodierit, in causa fuit aliquot mensium mea ab urbe absentia, cui causam dedit refor-

ma-

matio Majoratus Buſcoducenſis eccleſiaſtica, ad quām ūnā cum aliis e-
vocatus, & miſſus fui. Acceſſit typothetarum, etiam in aliis occupatorum
tardior progreſſus. Annus enim integer eſt,& amplius ex quo opus hoc ex-
cudi cœpit. Moneo autem id,ne quis ignaviæ deputet,quod ſcriptum hoc
meum nunc primum lucem videat, quamvis alioqui non ſim inter eos,qui
laudem venantur,ex celeritate reſpondendi. Novi enim vulgatum illud:
Sat cito, ſi ſat bene. Quod ſupereſt precor lectorem, cui tantum otii eſt, ut
illud attentè legat, & deinde judicet, & quæ bene dixiſſe videbor in uſum
ſuum transferat: virum vero doctum,ſi ſibi reſpondendum duxerit, ut ſine
ambagibus, ſine verborum παιπαλήμασι (verbis ejus utor) id faciat,nec
aliquid eorum,quæ,aut pro me,aut contra ipſum attuli, ſicco pede tranſeat,
ut patere poſſit, num juſtè triumphum (quamvis brabeutes non ſit) cauſæ
ſuæ decreverit. Nam quidquid eorum prætermiſerit,fugam, quæ ad trium-
phum anhelanti non convenit, interpretabor.

SYL-

SYLVA QUÆSTIONUM INSIGNIUM.

Caput Primum.

Status controversiæ de capillis virilibus prout à viro docto qui occasionem huic scripto dedit, formatus fuit. Rationes quibus eum recte formatum negatum fuit. Gratulatio viri docti retunditur. Incuria ejus castigatur. Prima rationum dictarum vindicatur. Approbatio librorum. De Cl. Voetio, Auctore, D. Borstio. D. Poimenandro. Disjunctio conjungendorum. Status controversiæ à viro docto, ipso id confitente, ex parte aliter formatus quam à Poimenandro formatus fuerat. Sententia Poimen. de Naziræis. Auctoris de termino capillorum virilium. Verba quibus Poimenander statum controversiæ formavit à viro docto præterita, & aliquid ab eo arreptum ex sequentibus quæ magis opportuna ictui videbantur, nec id fideliter expressum. Cl. Spanhemii querela. Ad 4. loca ex Poimenandri respondetur. Judicium Cl. Spanhemii de scriptis exotericis & esotericis.

CUM versarer in diatribe mea de capillis, in tractatione primæ quæstionis textualis parte 3. examinandas duxi viri cujusdam docti disputationes de coma; præsertim quantum ad ea quæ me concernunt. Etenim in iis nomen meum passim expressum, meque sæpe numero, (ut de aliis nunc nihil dicam) immerito reprehensum videbam. Ante omnia autem in statum controversiæ, prout à viro illo docto formatur, inquisivi, eumque rectè formatum ab ipso, negavi. I. Quia ait, quod *orta sit non ita pridem controversia: An coma virilis prolixior quam ad cranium contegendum requiratur per se & natura sua sit illicita*: cum tamen controversiam ea de re ortam non existimarem: II. Quia verbis nimium generalibus utitur. III. Quia utitur verbis ambiguis. IV. Quia status controversiæ minus plene proponitur. Quoniam etiam à nonnemine defensum fuit, prolixas virorum comas ob scandalum quod hodie pariunt, non esse fugiendas. Ra-

tiones hæ exhibentur thes. 1. & 2. partis dictæ. *Thesis 1. sic sonat.*

„ Examinatis argumentis Auctoris Epist. de coma, pergimus ad „ disputationes quasdam de eadem materia, quæ ante aliquot men- „ ses prodiere, quia in illis multa occurrunt quę me spectant, & sine „ causæ, quam defendo, prejudicio præteriri nequeunt : tantique „ sunt D. Maresio, ut bonę fidei sacro p. 83. Vltrajectinos Theol. Pro- „ fessores, iis protritos esse dicat. Nos inquiro quo affectu hoc dicat „ (nam nota sunt scripta quę nuper emisit) tantum judicium ejus „ commemoro. Orditur ergo Auctor disputationum illarum à for- „ matione status controversię. Nam disputat. sua prima *thes.* 2. sic ait: Verum orta est non ita pridem controversia; An coma virilis prolixior quam ad cranium contegendum requiratur, item pars comę muliebris juxta genas dependens per se & natura sua sit illicita. Ex „ qua quęstione & alię multę solescunt. Sed male statum quęstio- „ nis (quantum ad capillos viriles de quibus hic agimus) proponit. „ Nam nec Synodi nostrates, nec D. Voetius in Thesibus de Excelsis „ Mundi, aut in judicio suo de capillis, quod insertum est libello „ Poimenandri de coma Absalomi, ullibi, quantum mihi constat „ quippiam dicunt, unde auctor hic occasionem arripere potuerit „ formandi statum controversię, prout eum format. Videantur ca- „ nones Synodorum supra à me adducti, consulantur Theses D. „ Voetii dictę, inspiciatur judicium ipsius & verum esse quod dico „ patebit. Prętera nec ego uspiam dixi, comam virilem prolixiorem „ quam ad cranium cõtegendum requiratur, per se & natura sua esse „ illicitam. Inspiciat lector disputationes meas ad locum 1. *Cor.* 11. v. „ 14. 15. non tantum eas quę editę sunt postquam auctor hic, quo „ cum hic agimus suas in lucem dedit, sed etiam quas antea publici „ juris feci: inspiciat quoque judicium meum de negotio capillari „ quod etiam Poimenander libello suo de coma Absalomi inseruit; „ & comperiet à me nunquam assertum fuisse quod auctor hic pro „ statu controversię lectori obtrudit. Edidit D. Borstius concionem „ de coma: sed nec in ea status ille controversię invenitur. Dicet for- „ te Auctor hic se respicere D. Poimenandrum. Resp. Poimenander „ in libello suo de coma Absalomi aliter à viro docto statum cõtro- „ versię capillaris formandum fuisse docet, potuisset hoc colligere „ vir doctus ex titulo libelli Poimenandri. Nam is perspicue osten-

„ dit

„ dit ſtatum controverſię ſic formandum fuiſſe, vid. ſintne licitę nec
„ ne effuſę illę virorum comę quę nunc apud multos obtinent ? Vt
„ hoc clarius pateat titulum libelli illius hic Belgico idiomate adſcri-
„ bam. Is ergo talis eſt: **Abſaloms-hayr of diſcours daer inne onderſocht
„ wordt / wat daer te houden sy vande wilde vliegende hayr-troſſen/of af-
„ hangende hayr-locken/ die in onſe tijdt van allerley mans ende vrouws
„ perſoonen / ſoo vry ende ſonder achterdencken gedraghen worden: geſtelt
„ in maniere van t'ſamenſpreeckinghe/ tuſſchen** Abſalom, Timotheus,
„ Druſilla **ende** Priſcilla. II. Etiam prefatio ſatis clarè docet quid
„ Poimenandro de coma ſcribenti conſilii fuerit & quo libellus ejus
„ tendat. Adductis enim Hollandicarum quarundam Synodorum
„ diataxibus circa capillos, demonſtrat diſputationem futuram de
„ laſcivientibus illis virorum & mulierum comis quas ſynodi illę dā-
„ narunt. III. Clariſſime ſtatus controverſię prout ab ipſo Poime-
„ nandro formatur lib. de coma Abſolomi pag. 34. aliter viro docto
„ eum formandum fuiſſe, evincit. Sic enim ibi Poimenander loqui-
„ tur. **Aengaende ons verſchil/ ick meyne dattet daer in beſtaet/of de hup-
„ pendaegſche hayr-boſſchen of hayr-troſſen/ hangende of vliegende locken
„ van vooren / achter/of ter zijden het hooft/ van mans of vrouwen/het sy
„ dat het geleernt/gekocht/of eygen hayr is/geoorlooft sy voor een Chriſten
„ menſche of niet ? iſt niet alſoo Abſalom? ick ſegge neen/ ende gy ſeght ja.**
„ Abſalom. **Ja/** Timotheus **dat is den rechten ſtaet van ons verſchil.**
„ Verba hęc ita manifeſta ſunt ut nullus ſubterfugio ſit locus. IV.
„ Huc accedit quod Poimenander immediate poſt verba jam recita-
„ ta, diſerte dicit non poſſe eandem omnibus nutriendorum capillo-
„ rum menſuram ſtatui: quia omnibus eadem capitis firmitas nō eſt.
„ Verba viri ſunt. **Ontkent dat Wel** Abſalom, **want anders / of ge-
„ mant het hayr op ſijn hooft wat langer / of korter draeght / daer en kan
„ geenen reghel op ghemaeckt werden/dewijle d'eene wat weerker is van
„ hoofde/ als d'andere.** Certe qui ita loquitur, perſpicue oſtēdit, ſe non
„ agnoſcere pro ſuo, ſententiam qua ſtatuitur, comam virilem pro-
„ lixiorem quam ad cranium contegendum requiratur, per ſe & na-
„ tura ſua eſſe illicitam. Verum quidem eſt quod mox dicat: diſpu-
„ tationem eſſe de comis; **Van de locken of hayr-troſſen/** quę cranium
„ non tangunt, ſed quis non videt virum illum eruditum verbis hiſ-
„ ce indicaſſe, ſibi impugnare propoſitum capillos illos. qui notabili-

„ ter infra cranium descendunt,& capiti nullum adjumentum adfer-
„ re possunt? Quis enim putet illum voluisse quotidie forfices ton-
„ sorum esse subeundas ? quod necessario statuendum esset il-
„ lumvelle , nisi modo quem indicavi verba ipsius interprete-
„ mur. v.Liquet idem ex eo quod idem Poimenander, judicium tum
„ Voetii tum meum de negotio capillari libello suo , cui utrumque
„ inseruit, sibi placere demonstravit : nec tantum libello, sed etiam
„ epistolis super ea re ad nos missis. At quomodo hoc factum fuis-
„ set , si missa quæstione principali , ad minus principalem aliquam
„ respondisemus ? quomodo presiorem determinationem à nobis
„ non postulasset ? Nam utrumque illud judicium agit tantum de
„ nutritione capillorum (de virilibus nunc loquor) à Synodis non
„ paucis damnata. VI. Questus est Poimenander mihi per literas sta-
„ tum quæstionis ab antagonistis non attingi. At vero antagonistæ
„ ipsius , ipsi hoc impegere, quod terminos cranio & capillis eosdem
„ statuat , videlicet quo causam suam magis plausibilem, adversarii,
„ si fieri posset , ridiculam redderent. Denique, esto, judicaverit vir
„ ille nutritionem comarum virilium præcise terminis cranii (quod
„ tamen ipsum minime statuisse credo) circumscribendam , an inde
„ sequetur hanc esse principalem controversiam quam tractat (quo-
„ ad capillos viriles) in libello suo? Certe reclamat titulus & tota li-
„ belli series.Accessoria quidem, modo hoc statuerit, at non princi-
„ palis vocari poterit. Solent viri eruditi in determinatione casuum
„ conscientiæ, ubi materia tractationis tale quid requirit , postquam
„ rerum excursus notabiles ostenderunt,terminum in quo subsisten-
„ dum arbitrantur, indicare, ut eo melius conscientiis consulant. Et
„ nonnunquam, quoniam maximi quod licitum est difficilis sæpe est
„ determinatio , quod tutius est , ei quod dubium videri potest præ-
„ ferunt. Neque tamen propterea determinationem termini illius ,
„ casus quem tractant , principalem partem statuunt: neque eo no-
„ mine solent ab aliis fugillari, cachinnisque & sannis excipi, quales
„ diagolista, nec non consilii illius sine consilio infelix faber, an pro-
„ xeneta, plurimas effudit. Notum est quid Taffinus, tract. de ebri-
„ etate, de præhibitionibus nostratium statuat,neque tamen propte-
„ rea irrisus fuit. Adhæc non in genere dicendum fuerat auctori ,
„ quocum hic agimus, controversiam esse ortam: nec, plurali nume-

„ ro

» ro efferendum theſ. 3. diſp. dictæ : ſi enim vera eſt pars affirmans » habent qui eam tuentur &c. Sed oſtendendum à quo aut quibus » orta ſit iſta controverſia ; quinam ſint qui affirmativam controver- » ſiæ ortæ partem tueantur: ne reliquis quos impugnat , quod non » dicunt, affingere velle videatur. *Theſes 2. hæc erat.*

» Præterea ambigue dicitur in poſitione ſtatus controverſiæ , non » ita pridem ortam controverſiam : An coma virilis prolixior quam » ad cranium contegendum requiratur , item pars comæ muliebris, » juxta genus dependens per ſe & ſua natura ſit illicita ? *Nam dupli-* » *citer per ſe & natura ſua* actionem aliquam illicitam eſse dici poteſt. » Primo enim actio aliqua per ſe & natura ſua illicita dicitur , quæ » intrinſece mala eſt,adeo ut nunquam honeſtari poſſit. Sic per ſe & » ſua natura illicitum dicitur odium Dei , mendacium , & alia hiſce » ſimilia: quia nunquam hæc & iis ſimilia honeſtari queunt. Deinde » actio aliqua *per ſe & natura ſua* illicita dici poteſt , quæ quidem in » genere indifferens eſt , at in ſpecie mala eſt : id eſt turpis eſt non » tantum ex circumſtantiis perſonarum, locorum & temporum; ſed » etiam ex objecto & fine ſuo. Sic occiſio innocentis, quę fit aucto- » ritate privata & vindictæ cupidine , per ſe & natura ſua mala eſt. » Attamen occiſio innocentis honeſtari poteſt , ut liquet ex iis quæ » hactenus à me diſputata ſunt. Ex circumſtantiis vero, tempore A- » poſtolorum tantum mala erat comeſtio ciborum lege cæremoni- » ali vetitorum, ubi coram infirmis fieret. Ambiguitas hæc in for- » matione ſtatus controverſiæ removenda fuerat , ne quiſpiam ſu- » ſpicaretur controverſiam eſse de quo nulla eſt. Nam neminem no- » vi qui ſtatuat , uſum prolixæ virorum cæſariei , priori modo per ſe » & natura ſua eſse illicitum. Denique minus plene quoque dicitur » controverſiam ortam eſse : An coma virilis prolixior &c. per ſe & » natura ſua illicita ſit. Nam illi qui notabiliter prolixam virorum » cæſariem damnant, eam etiam, licet per ſe indifferens eſset , pro- » pter ſcandalum quod plurimis per eam creatur (atteſtantibus id » plurimis Synodis , quibus certe vulnera eccleſiarum ſuarum inco- » gnita eſſe non potuere , niſi ipſas de rebus ſibi ignotis locutas eſſe » dicere quis velit) refugiendam eſſe contendunt ; contrarium ſta- » tuente conſilii ſæpius memorati auctore. Exiſtimabam ego hęc e- juſmodi eſſe ut per ea patere poſſet, ſtatum controverſię a viro do-

&to male formatum esse. Sed spe mea decidi. Nam libellum mihi opposuit quem *libertatem Christianam* vocat, quo examen thesium suarum à me institutum impugnat. Et primo quidem statum controversiæ à se formatum vindicare nititur. pag. 1. Sic autem orditur: *Auctor quæstionum textualium ad 1. Cor. 11. v. 14. 15. quæstionis primæ parte 3. ubi meas de coma disputationes ad partes vocat, primo me male statum controversiæ, quantum ad capillos viriles, de quibus inquit agimus, ait proponere. Vbi primum quæro an statum controversiæ recte à me formatum concedat,* quantum ad capillos *muliebres attinet? Id enim velle videtur, cum* Ἀμφιλαφῶς, *se de coma virili, quod dicit, intelligere significat. Quod si ita est, gratulor mihi viri docti saltem hac in parte assensum. Sin minus, & nunc se tantum de virilibus agere, non de muliebribus, ideo se de hisce in neutram partem pronunciare velle innuit, fateor ejus verba enim sensum ferre posse, ipse se quando placuerit explicabit.* Resp. In ipso limine impingit vir doctus. Dixi male ab ipso statum quæstionis formatum *quantum ad capillos viriles*; hinc colligit, aut me agnoscere bene ab ipso formatum *quoad capillos muliebres:* aut me de iis in neutram partem pronunciare voluisse. Considerare debuisset, mihi locum dicendi de capillis muliebribus tum non fuisse. Quæstio enim prima textualis instituta tantum erat de capillis virilibus. Deinde videre potuisset si voluisset inter rationes quibus probavi male ab eo statum controversię esse formatum, esse nonnullas, quæ tam id probant de capillis muliebribus quam de virilibus. & denique quid sentiam de capillis muliebribus plene habere potuisset ex quæst. text. tertia & quarta. Periit ergo sive gratulatio viri docti de assensu meo, sive suspicio de inhibitione sententiæ meæ circa capillos muliebres. Sed hisce missis videamus quomodo rationes quibus male statum controversię ab ipso formatum contendi, enervare studeat. Quantum ergo ad primam: controversiam quam ortam dicit, Cl. Voetio, mihi, D. Borstio, & denique Poimenandro attribuit. Voetio & mihi ut qui *satis liquido* (ut ait) *è causa Poimenandri nostram fecimus, cum ejus tractatum citra ullam limitationem approbavimus.* Borstio quia conc. sue pag. 9. *Hunc librum se secutum aperte profitetur.* Poimenandro, quia controversiam quam ortam ait vir doctus, determinavit. Resp. 1. Quantum ad Cl. Voetium & me, non dubito quin omnes Professores quibus libri visitandi offeruntur dicturi sint, sibi

nimis duram legem à viro docto figi. Quid enim iniquius quam eum qui approbat librum aliquem, obligare velle ad defensionem omnium quę libro illo continetur? facillime enim fieri potest, ut is cui liber præsertim exoterico dicendi genere scriptus, examinandus traditur, si quid incommodius dictum occurrat, existimet, ad sanguinem usque nos esse premendum, sed mitigatione commoda adhibita sanum sensum habere posse. Deinde etiam accidere potest, ut si quid perperam dictum occurrat, id non animadvertat. Nam ut scribentibus aliquando excidunt, quæ postea, re melius perpensa scripta nolint: sic etiam legentes, perperam dicta, sive per distractionem cogitationum, sive per festinationem, aliquando fugiunt, præsertim ubi multum tribuunt orthodoxiæ & eruditioni eorum quorum scripta legunt, & animo ad legendum benevolo accedunt. 2. Ipse vir doctus quasi ad se rediens libert. pag. 76. litem Poimenandri *non nostram sed alienam esse dicit.* At quomodo ea aliena dici potest, si approbatione tractatus Poimenandriani nostram fecimus. 3. Etiam Professores Clarissimi apud quos vivit vir doctus approbasse comperientur libros, & quidem sine ulla limitatione, quos tamen (sat scio) quoad singula quæ in iis occurrunt, defendendos non suscipient. 4. Approbatione nostra significamus Poimenandrum vanitates capillares consentaneè verbo Dei, & doctrinæ communi Ecclesiarum nostrarum oppugnasse. Vltra si extendatur, injuriam nobis fieri dicimus. Legatur ipsa approbatio, & conferantur cum ea judicia nostra de vanitatibus illis libello Poimenandri inserta. 5. Quid si Poimenander non statuerit, id quod vir doctus ipsum statuisse ait: an tum etiam controversia quam vir doctus ortam ait, ad nos pertinebit? An autem id statuerit, mox disquiretur. Quantum ad Borstium: is aperte profitetur loco à viro docto indicato *se librum Poimenandri esse secutum.* Immo, addit se nunquam cogitasse, quod eundem corrigere posset. Sed hoc pro me facit. Nam inde colligo Borstium non vidisse, quod vir doctus à Poimenandro asservum contendit: atque adeo mirum non esse si nos id videre non potuimus. Præsertim cum vir doctus Borstium se ab opinione Poimenandri removisse dicat. libert. p. 2. in fine. Admiscet hic quædam vir doctus de dissensu Cl. Voetii, Poimenandri & Borstii in negotio capillari; sed ea prætereo, quia nihil faciunt ad probandum controversi-

am

am ortam esse quam vir doctus ortam asseruit. Restat ut ad Poimenandrum descendamus, & videamus num ipsi controversia, quam ortam dicit vir doctus, attribui possit. Ait ergo vir doctus. *Secunda etiam ratio cur viro docto videor statum controversiæ perperam formasse, in eo est, quia eum aliter formavit Poimenander. At nec consequentia, nec antecedens, nisi ex parte verum est. Consequentia ut dixi laborat, quia fieri potest ut perperam Poimenander, ego autem recte statum formaverim. Id quod factum ita demonstro. Statum quæstionis verbis nudis, claris, & significantibus, & quæ neutri parti præjudicium faciant proponi oportet. An talia sunt, Poimenandri? Verb. gr. eum subjectum de quo agit vocat* wilde/ vliegende hayr-trossen/ hayr bossen/ hayr-locken/ wijt opgeblasene blessen. Resp. 1. Non hæc est secunda ratio mea sed pars primæ. 2. Non quæritur hoc loco de claritate & perspicuitate verborum, quibus usus sit vir doctus in proponendo statu controversiæ quam ortam ait: sed an Poimenander moverit controversiam istã, quam vir doctus ortam affirmat. 3. Quam clara & perspicua sint viri docti verba quibus utitur in formando statu controversię postea videbitur. 4. In verbis quibus Poimenander statum controversię quam sibi tractandam sumit, proponit, nihil est quod vir doctos merito carpere possit. Talia enim sunt, ut belgicæ linguæ gnaris notissima sint, & accommodata rei de qua sibi Poimenander agendum duxerat. 5. Non usus est Poimenander omnibus illis verbis in formatione status controversiæ quæ vir doctus hic cumulat. Sed ait vir eruditus: *Si hic modus formandæ controversiæ placet, libertatem sibi sumet adversarius comas quas defendit in ipso disputationis limine vocandi honestas, decoras, majestatis plenas &c. quia eas tales esse arbitratur.* Resp. 1. Poimenander non tantum claris verbis utitur, sed etiam talibus quæ neutri parti præjudicium faciant. Verba quibus utitur Poimenander in formatione status controversiæ expressa inveniet lector thesi prima supra recitata. 2. *Ex ratione* inquit *viri docti sequitur & ipsum male statum quæstionis formasse, aliter enim eum formavit, quam Poimenander, cum & casum necessitatis exceperit, & humeros & tergum limitem capillorum fecerit. quæst. text. 1. Thes. 1. Poimenander autem hic tale peccatum statuat, quale revera nulla necessitate potest excusari, & limitem capillorum supra ipsas aures promoveat.* Resp. frustra se fatigat vir doctus. Nam 1. etiamsi ego statum controversię male formasem, inde non sequitur

vi-

virum doctum eum bene formasse. 2. Male formasse dixi virum doctum statum controversiæ: quia controversum dicit quod ego controverti non credo: Nam neminem nominabit quidquid moliatur, qui dixerit: *comam virilem prolixiorem quam ad cranium contegendum requiratur, per se & natura sua esse illicitam.* Ego vero quæstione mea prima, exhibeo tale quid de quo controversia est: reliqua quæstionibus sequentibus evolvo. 3. Disputavit Poimenander de prolixis virorum capillis quos necessitas non imperat, ut liquet ex titulo libri, decretis synodorum quæ sequitur, & formatione status controversiæ pag. 34. 4. Etiam Poimenander credidit sine peccato olim Naziræos comam nutrivisse. tractatus sui p. 168. adeoque docuit capillos virorum prolixos intrinseca malitia non laborare id est ut vir doctus loquitur, *per se & natura sua illicitos* non esse. 5. Videtur vir doctus significare esse aliquam necessitatem quæ peccatum excusare possit: quod absurdum. 6. Quæ sit sententia mea de termino capillorum virilium, non debet petere lector ex iis quæ dicit vir doctus, (ut qui male sententiam meam refert) sed ex meis. Adeat ergo quæst. text. 1. part. 1. thes. 1. & 6. & quæst. 2. thes. 4. 5. 6. 7. 8.

Hactenus audivimus virum doctum de consequentia mea dissentem. Videamus nunc quid adversus antecedens afferat. Inquit ergo. *Dixi antecedens viri docti (nempe Poimenandrum aliter ac ego facio statum quæstionis formasse) non nisi ex parte verum esse. Id inde probo quia postquam iis verbis quæ jam audivimus eum involvisset verius quam evolvisset, mox quasi se recolligens, perspicuitatis gratia subjicit; nostra vero disputatio* TANTUM *est de comis* (**vande locken of haer troſſen**) *quæ* CRANIUM NON TANGUNT, *iis contradico, & demonstrabo eas repugnare naturæ & scripturæ.* Resp. 1. bene habet quod vir doctus fatetur saltem EX PARTE VERUM esse quod statum controversiæ aliter formarit quam Poimenander. Sed non explicat qua in parte illum aliter formarit quam Poimenander. 2. Quia vir doctus hic tacet, mihi loquendum est. Existimo itaque cum fatetur se *ex parte* aliter statum controversiæ formasse, ac Poimenander fecit, eum velle, se totum illud præteriisse quod Poimenander in constitutione status controversiæ, signis in margine appositis, (ut constaret eo statum controversiæ formari) expressit: & arripuisse

aliquid ex iis quæ posteà sequuntur quod ictui magis opportunum videbatur. 3. Nego Poimenandrum verbis quibus statum controversiæ expressit, cum verius involvisse quam evolvisse. Provoco ad omnes qui belgicæ linguæ gnari & à partium studiis alieni sunt. 4. Nego quoque Poimenandrum verbis: **„Maer ons disputt is allæene vande locken of hayr trossen die de hersen panne niet en raecken/** statum controversiæ explicare; cum prioribus magis concisa & obscura sint. Vnde factum ut auctor consilii adversus thrichopristas (quos vocat) p. 1. p. 34. propter ambiguitatem quam iis contineri putabat, occasionem sumserit, ea exagitandi & irridendi. Continent ergo compendiariam quandam repetitionem, non totius sed partis cujusdam status controversiæ antea formati; ut ex collatione eorum cum præcedentibus liquet. Solet autem brevitas obscuritatem parere. *Conferantur hæc* inquit *vir doctus, cum iis verbis quibus ego statum quæstionis formavi, & invenientur pene ἀπολέξει ex verbis Poimenandri desumta.* Resp. 1. Non debebant quę habet vir doctus in formatione status quęstionis conferri cum hisce, sed cum præcedentibus quibus Poimenander statum quæstionis expressit; à quibus vir doctus plurimum recessit. 2. Ne quidem, si quæ nobis promit vir doctus in formatione status controversiæ, conferantur cum iis ad quæ se respexisse ait, invenientur *pene ἀπολέξει* inde desumta. Nam ut alia omittam in iis non comparet *per se & natura sua*, quod viro docto, (ut in progressu apparebit) tantundem valet ac *intrinsece*. 2. Pro verbis **die de hersen panne niet en raken/** subst ituit: quam ad cranium contegendum requiratur. Si boni disputatoris officio fungi voluisset statum controversię verbis Poimenandri, proposuisset, Audiat quæso Cl. Spanhemium in Exercit. de gratia universali pag. 871. adversarium suum hoc modo compellantem: *Opus cæteroquin fuit, admodum vel occupatum, vel morosum fuisse virum doctum, quem paucas lineas describere vel describendas curare piguit, ut argumentum meum integrum, lectori repræsentaret, quale in disputatione mea expressum. Si etiam contrahere voluit, cur quæso alias voces, substituit pro meis, quæ illis haud quaquam æquipollent?* Nam si vir illi doctiss. merito questus est, adversarium aut ipsa sua verba non descripsisse, aut æquipollentibus non esse usum, meritissime queri potest Poimenander, virum doctum omisisse omnia quibus statum controversiæ format, quæ tamen

men non adeo multa sunt; & arripuisse, quæ postea sequuntur, ut ictui magis opportuna: nec tamen ea fideliter expressisse. Nec juvat virum doctum quod ait se verba Poimenandri in linguam latinam vertere non potuisse libert. pag. 3. quia poterat, si ipsi tanti fuit Poimenandrum refutare, ea belgico idiomate repræsentare, & omittere *τὸ per se & natura sua*, quod in Poimenandro non comparet. Pergit, *neque hæc semel per incogitantiam Poimenandro excidisse puta, repetit enim ea passim & inculcat, imo atrocissimis verbis exaggerat ut ostensum nobis disp. 4. thes. 4. 7. ut mirum sit hoc à viro docto negari potuisse.* Resp. 1. Probare non potuit vir doctus ex verbis Poimenandri quibus utitur in formatione status controversiæ, iisque quæ immediate sequuntur, controversiam esse ortam quam ortam dicit: nimirum an coma virilis prolixior *quam ad cranium contegendum requiratur per se & natura sua illicita sit.* 2. Non potuit Poimenander repetere postea quod antea non dixerat. 3. passim inculcare Poimenandrum & quidem verbis atrocissimis (quidquid miretur vir doctus) comam virilem prolixiorem quam ad cranium contegendum requiratur per se & natura sua illicitam esse, mihi nondum liquet. 4. Loca quæ indicat vir doctus disp. 4, thes, 4. 7. perlustravi, sed ea non efficient, ut credam quod nos credere vult. Primus illorum exstat pag. 79. Sed iis non agitur de comis virilibus, de quibus nunc disputamus, sed de muliebribus, nec amplius dicitur quam quod muliebribus datæ sint, non ad faciem sed cranium tegendum. Alter occurrit pag. 135. Sed nec ibi est quod virum doctum juvet. Duplex ibi Poimenander ait extremum circa capillos dari. Nimiæ brevitatis quando vix cranium contegitur, & nimiæ prolixitatis, quando in humeros usque dependent, medium inter hæc statuit capillos quibus cranium tegitur & fovetur. At quis hinc colligat recte dixisse virum doctum controversiam, de qua loquitur, ortam esse? Contrarium potius inde concludam. Si enim comam datam agnoscit Poimenander ad cranium non tantum tegendum sed etiam fovendum, male autē fovetur præsertim ubi frigus intēsum est, ubi coma terminis ejus coercetur, sequitur Poimenandrum non statuisse comam prolixiorem quam ad cranium contegendum requiritur *per se & natura sua* esse illicitam. Tertius locus quem nobis indicat vir doctus disp. & thes. indicatis reperitur pag. 190. 191. Sed 1. præstitisset eum à viro

docto fuisse omissum, quamvis per se considerentur nec cum precedentibus conferatur, nec benigniore interpretatione emolliatur, ipsi non nihil prodesse videatur. Nam diligenter hunc locum cum præcedentibus conferenti, manifeste patebit, virum doctum missa quęstione quam sibi tractandam sumsit Poimenander, arripuisse solutionem cujusdam dubii occasione quæstionis illius moti. Id autem inofficiosum esse nemo, ut opinor, negabit. Conferantur ea quę habentur pag. 190. & 191. cum iis quę dicuntur pag. 162. tractatus Poimenandriani. 2. Quid quid hic est asperitatis facile commoda interpretatione mitigari potest. Quid ni enim sentiemus Poimenandrum dicentem, Limites quos natura origini capillorum assignavit, nutritione eorundem citra contumeliam creatoris transiri non posse, id demum verum esse arbitratum esse, si notabiliter id fiat, & porro ubi nulla necessitas urget? Hanc mitigationem vir doctus Poimenandro negare non potest. 1. Quia Poimenander Pag. 34. hac cum mitigatione quod ait intelligendum docet. Ait enim, **want anders of yemant het haer wat langer of wat korter op sijn hooft draeght, daer en kan geenen regel op gemaecht werden, dewijle d'eene wat weecker is van hoofde als d'andere.** Huc quoque faciunt judicia nostra de negotio capillari quæ Poimenander tractatui suo inseruit & probavit. 2. quia vir doctus simili mitigatione dictum quoddam Bezæ lenivit. ut videbitur cap. 28. 3. quia benignam interpretationem ipsum scribendi genus quod secutus est Poimenander, nimirum exotericum & populare, jure suo poscere omnes æqui rerum æstimatores judicabunt. Audiatur hic Cl. Spanhemius pag. 39. exercitationum suarum de gratia universali ita diserens. *An talia*, inquit, *vexanda, & viri maximi velut* νδροζαυρα *quædam, variis fidiculis exagitandi sunt? Si quid etiam humanitus illis quandoque contigerit, ut quædam illorum verba minus videantur conciliari posse, an talia adeo operose ingerere, nō est potius* ωδὲ δεικμαζειν *eximios illos viros, quam eorum famam tueri vel vindicare? Et cur non mere* didactica & agonistica *illorum scripta potius consuluntur, ubi ad lineam congrediuntur, & nodum stringunt? In scriptis aliis maximi etiam viri liberius quandoque loqui solent, præsertim nondum circo* agonistico *super argumento aliquo inclusi. Nota scripta veterum ante* Pelagium, *& exortas super argumentis ab eo motis controversias. Quam proclive foret, loca ex eorum scriptis excerpere, & illos omnes* Pelagii *patronos facere? Imo pastores omnes*

quo-

quoties ex ambone homines hortantur ne peccent, ut credant, & salutem suam operentur, eosque perstringunt qui hoc non faciunt. Notum, Interpretes Aristotelis distinguere, inter genus docendi Magistri sui ἐξωτερικὸν *&* ἀκροαματικὸν *quorum illud populare est, istud accuratum, quorum ultimum Clemens Alexandrinus Stromatum* v. *Vocat* ἐξωτερικὸν, *contradistinctum* χριναῖς τε καὶ ἐξωτερικοῖς. *Cur non idem distingui possit in Scholis Theologicis?* 4. Huc accedit quod Poimenander mihi quæstus sit sibi ab adversariis attribui quod minime sentiat. Quartus locus quem indicat vir doctus Disp. & Thes. memoratis invenitur pag. 198. Sed nec is virum doctum juvat. Nam 1. non utitur Poimenander ibi verbis quibus vir doctus statum controversiæ formavit; nec talibus quæ iis æquipolleant. 2. Si quid hic incommodius dictum videbitur mitigatione adhibita nitescet, nimirum si Poimenandrum statuamus esse locutum de ordinaria circa capillos cura adhibenda, non vero ea quam necessitas postulat. Præsertim cum ipse Poimenander laudet exemplum Caroli V. p. 147. & 192. qui capillos suos usque ad medietatem aurium dimittebat: & octodecim illis thesibus quibus summam scripti sui parænetici complectitur, nihil eorum habeat, quibus vir doctus in formatione status controversiæ usus est. Alia loca disp. & thes. quas indicat vir doctus non adducit: innuit tamen per *&c.* etiam alia esse. Verum quandoquidem (ut formula ipsius utar libert. pag. 196.) *in tenebris micare non libet*, ea præteribo, donec ipse indicaverit.

CAPUT II.

Rationes septem, quibus probatum, respectu Poim. à viro docto male formatum statum controversiæ. 1. & 2. vir doctus præterit. Tertia cap. præcedente vindicata. Quarta defenditur. De cranio & capite. De belgica voce ou *Mutat vir doctus verba sua. Excusatio viri docti rejicitur. Defensio explicationis verborum quarundam Poim. Imaginarius triumphus viri docti. An amplexus sit Poim. sententiam ex qua sequeretur quotidie forfices tonsorum subeundas, imo etiam deterius. Querela Poim. per literas. veracitas Poim. æquitas ipsi debita. Malagma viri docti, quo sententiam Poim. lenire potuisset. Comparatio Lutheranorum & Poim. à viro docto instituta, Quinta ratio propugnatur. Nebulæ Poimenandro objectæ, discutiuntur. In objicientem retorquentur. Veracitas & eruditio Poimenandri. Altera comparatio inter Pontificios & Poim. à viro docto adhibita. Sexta ratio-*

ratio vindicatur. Præsuppositio auctori attributa. Mutatio enunciationis conditionatæ in absolutam. Differentia inter controversiam principalem, & solutionem dubii inde emergentis. Labor irritus. Concessio viri docti. Visio & judicium. Oppugnatio adversarii qui non existit. Labor irritus. Summa disputat. viri docti de capillis. Cachinni & sannæ in Poim. effusæ.

PErgo ad examen quo vir doctus rationes meas quibus thes. 1. probavi Poimenandrum docere aliter ipsi statum controversiæ, quam fecit, formandum fuisse, ad partes vocat. Rationes illæ septem numero erant. Primam & secundam earum vir doctus non attingit: adeoque ostendit eas solidiores esse quam ut iis dentem infigat. De tertia, quæ sumta erat à verbis quibus Poimenander statum controversiæ expressit, secutus virum doctum, cap. præcedenti egi. Atque ibi ostendi virum doctum fateri, statum controversiæ se ex parte aliter formasse, quam Poimenander fecerat: & porro ipsum misso statu controversiæ (si modo controversia vocanda est quæstio practica ad institutionem populi tractata) pro ut à Poim. formatus fuerat, ex sequentibus arripuisse aliquid quod magis oportunum ictui videbatur. Quarta (quam primam vocat vir doctus) petita fuit à verbis quæ immediate sequuntur ea quibus Poim. statum controversiæ proposuit. Ea enim talia sunt ut Poimenandrum plane removeant à sententia quam ipsi tribuit vir doctus. Nam iis diserte fatetur omnibus eandem mensuram capillorum non posse statui. Audiamus nunc quid vir doctus ad eam reponat. Verba Poimenandri sunt: **Ontbout dat wel Absalom/ want anders of yemant het hayr op sijn hooft wat langer heeft of wat korter draeght / daer en kan geenen regel op gemaeckt werden / dewijle d'eene wat weecker is dan hoofde als d'andere.** Respondet vir doctus, *considerari velim Poimenandrum ibi loqui de comis quæ sunt in capite* **op sijn hooft** / at secus *loqui eum de capillis qui cranium non tangunt illos enim prorsus illicitos putat.* Resp. 1. Si Poimenander voce cranii hic usus fuisset forte aliquid coloris haberet hæc exceptio; at nunc voce capitis cujus pars cranium est usum fuisse videmus. 2. Quod si dicat vir doctus vocem **op** Poim. idem valere quod **boven op**: id ipsi probandum erit, & porro statuendum, concedere quidem Poim. capillis in vertice capitis nascentibus, non posse eandem in omnibus mensuram statui, posse vero iis qui à vertice recedunt. Quod nunquam se

sta-

ſtatuere Poimenander admittet. 3. De capillis cranium non tangentibus, quorum hic meminit vir doctus, mox dicetur. 4. Mutat hic vir doctus verba quibus uſus eſt in formando ſtatu controverſiæ. Nam pro, *per ſe & natura ſua illicitum*, habet prorſus illicitum. At poteſt aliquid prorſus eſſe illicitum, quod tamen intrinſeca malitia non laborat, quomodo tamen ſumit *τὸ per ſe & natura ſua illicitum*. Vitio mihi vertit vir doctus quod latine reddens verba Poimenandri illa, **op ſijn hooft** omiſerim. Reſp. 1. Belgice recitans textum Poimenandri ea expreſſi. 2. Putabam ego, quod, **het haer op het hooft** nihil aliud quam capillos denotaret. λεπτολογεῖν ergo eum nemo non videt. Propoſita quarta hac ratione theſi ſupra recitata objeci, mihi verba Poimenandri, quæ paulo ante recitata ſequuntur: nimirum quibus ait *diſputationem eſſe de comis* **vande locken of haer troſſen** *quæ cranium non tangunt*, reſpondique; quis non » videt virum illum eruditum verbis hiſce indicaſſe ſibi impugnare » propoſitum capillos illos qui notabiliter infra cranium deſcen- » dunt: & capiti nullum adjumentum adferre poſſunt? ad hęc vir doctus: *At quis videt?* Reſp. Omnes quotquot à partium ſtudiis alieni ſunt: & conſiderant ſignificationem vocum belgicarum **locken/haer troſſen** quibus Poimenander loco illo utitur: & porro advertunt ad ea quę ſequentur. Vt autem vir doctus probet illud ſuum, quis videt? repetit loca illa Poimenandri ſuperiori capite examinata, adeoque nihil ſolidi affert. Prętereo ergo haſce ipſius delicias, eaſque ipſi relinquo. Omittendum tamen non eſt quod cum crabem illam nobis reponit, quærit *in quo conſiſtat deſcenſus ille non notabilis?* nimirum, *an in eo ut caveatur ne capilli humeris involitent, vel tergum flagellent, aut etiam prolixiores ſint?* quomodo ego, ut ait, ſtatum quæſtionis formavi. Et quidem, ſibi triumphare hic videtur, quia *opinatur me videre deſcenſum hunc quem admitto prorſus notabilem eſſe, nec cum eo quem Poimenandro attribuo, componi poſſe*. Reſp. 1. Non ad interrogata ſed ad argumenta teneor reſpondere. Id enim ſibi privilegii ſumit vir doctus lib. pag. 65. adeoque nec mihi negare poteſt. 2. Triumphus hic viri docti planè imaginarius eſt, & natus eſt ex incuria ipſius. Quod ſi enim perlegere non neglexiſſet quæ quæſt. text. 2. theſ. 4. 5. 6. 7. trado, huic quæſtioni & exſultationi inde natæ, locus nullus fuiſſet.

Ratio

Ratio quare sentirem Poimenandrum cum ait pag. 34. *disputationem esse de comis* **vande haꝛꝛlocken of haꝛꝛtrossen** *quæ cranium non tangunt*, non dicere quod vir doctus eum dixisse ait: scilicet *comâ virilem quæ prolixior est quam ad cranium tegendum requiratur per se & natura sua illicitam esse*, hæc erat, nimirum quia alioqui sequeretur, Poimenandrum voluisse forfices tonsorum quotidie esse subeundas, quod absurdum judicabam. Respondet vir doctus: *Non necessario statuendum esse illum hoc velle, licet id ex ejus sententia sequatur.* Resp. hoc non voluisse Poimenandrum satis scio: adeo autem parum providum fuisse, ut sententiam amplecteretur ex qua illud sequeretur, nec probavit vir doctus, nec mihi ullo modo probabile videtur: nec puto quempiam fore qui virum illum noverit, cui id probabile videri possit. Nam operoso consequentiarum syrmate opus non est ut quis videat, quod vir doctus sequi ait ex sententia quam impingit Poimenandro. Imo vero etiã deterius ex sententia Poimenandri sequi ait: nimirum *fabricandum instrumentum, quo efficeretur ut coma præscriptum sibi à Deo terminum perpetuo observaret.* Hoc est procurandam (id enim velle virum doctum existimo) sive vulsuram, sive detractionem cutis cranii ne capilli amplius succrescant. Resp. notum est ex cujus officina hæc prodeant. Verum tum demum vir doctus & alter ille à quo hæc habet, iis sese lectoresque suos deliciis pascat, ubi probaverit se merito attribuere Poimenandro, absurdam illam sententiam unde talia consequuntur. Quamdiu autem id non fecerit, etiam hoc absurdum priori longe gravius, inter causas erit, cur credam sententiam illam unde absurdum illud sequitur, minime esse Poimenandri. Pergit: *An quia ἄτοπα ex opinione Poimenandri sequuntur negandum est eum docuisse quæ docuit, scripsisse quæ scripsit.* Resp. Nondum probavit vir doctus Poimenandrum docuisse & scripsisse quæ ipsum docuisse & scripsisse ait. 2. Per literas quas ad me dedit 10. Septēb. 1646 Poimenāder mihi questus est, verbis suis alienum sensum affingi, atque sibi vim fieri. Vtri magis credendum virone docto, an Poimenandro optimo suorum verborum interpreti? Si hoc non sufficiat viro docto, sine dubio (si quid fidei mereri judicabit Poimenandrum de cujus veracitate hactenus nemo dubitavit) sufficiet repetita illa querimonia per literas

ad

ad me 25. feb. 1647. datas. Vbi inter alia (nam longum foret singula describere) hæc habet: *Quod vero aliqui malevoli spargunt, inter nos quoad statum quæstionis non satis convenire, mera & putida est calumnia, quam sex argumentis ex meo dialogo sumptis satis superque refutasti, parte 3. prima quæst. text. thesi 1. Quibus alia superaddere esset mihi facile, sed supervacuum. palam igitur profiteor me in omnibus & per omnia tibi suffragari, non tantum quoad statum quæstionis, verum etiam quoad argumenta κατασκευαστικὰ pro nostra, & ἀνασκευαστικὰ contra partis adversæ sententiam, etiamsi forte in libello meo quo glaciem fregi, uno vel altero loco respectu Zoilorum, obscurius vel securius locutus videar (quod vel maximis viris tam veteribus quam modernis contingere solet) Quoniam vix cogitare potui, nos in sinu nostro fovere tam iniquos fratres, qui fratrum dicta, ad ædificationem domus Dei facientia (quæ semper vel me tacente, per annos 47. & ultra unicus scopus fuit ministerii nostri) tam sinistre interpretarentur vel potius contra IX. præceptum calumniarentur. Titulus enim libelli & tota disputationis series, satis ostendunt me non pugnare contra decorum, nec contra medicorum axiomata, nec contra naturalem, modestum & honestum capitis ornatum, sed tantum contra istam vanitatem vanitatum, quæ gloriam quærit in ignominia 1. in cultu effœminato, contra expressum illum textum quem tam serio enucleasti. Videantur inprimis 18. istæ theses, quibus sententiam meam breviter explicui, in dissertatione mea* fol. 345. *&c. præsertim thes. 2. &. 6.* Quid ais vir docte; An non hæc docent te Poimenandro injuriam facere, cum ipsi attribuis sententiam unde hæc absurda fluunt; adeoque male te dixisse controversiam ortam, quam ortam esse negavi: & merito me adductum tum per alia, tum per absurdas quas dat consequentias, ut poimenandri esse negarem? Nihil enim hic tibi restat, si te errasse fateri nolis, quam ut fidem poimenandri in dubium voces: quod tamen non facturum te, mihi persuadeo. 4. Oequitatis fuisset, quandoquidem hæc absurda fluunt ex sententia quam tribuis poimenandro antequam adversus ipsum scriberes, vel ex ipso met petere, quomodo verba sua intelligeret, vel eam in meliorē partem interpretari; quod tibi difficile non fuisset, quoniam vix alio malagmate tibi opus erat, quam quo quod à Beza incommodius dictum existimabas, leniviſti. Pergit: *Multa consequuntur absurda ex ubiquitate corporis Christi, an ideo eam Lutherani non credunt? Hac ratione concludam nullum hominem*

unquam erraſſe, quia ex quolibet errore ſequitur aliquid abſurdi. Reſp. 1. Diſpar eſt ratio, nam conſtat Lutheranos docere & tueri dogma ubiquitatis corporis Chriſti. Vnde ex abſurditatibus inde fluentibus, colligi non poteſt illud eos non credere; at nondum probavit vir doctus nec probabit, ſententiam quam tribuit Poimenandro eſſe Poimenandri; Imo vero negat Poimenander eam eſſe ſuam. Vnde recte colligitur ex abſurditatibus inde fluentibus eam Poimenandro non eſſe tribuendam, quia vix cadit in virum cui ſanum cerebrum eſt; nedum in talem qualis eſt Poimenander. 2. Male concluderet vir doctus nullum hominem unquam erraſſe. Quia plurimi dantur homines ex quorum dictis & ſcriptis conſtat quod doceant talia unde abſurdititates ſequuntur. At ex dictis aut ſcriptis Poimenandri non conſtat, quod ſententiam, quam ipſi vir doctus attribuit, amplexus ſit.

Quinta mea ratio qua probabam aliter Poimenandrum ſtatum controverſiæ conſtituiſſe ac vir doctus fecit, deſumta erat ab approbatione Poim. qua judicium Cl. Voetii & meum de capillis approbavit, non tantum libello ſuo, ſed etiam epiſtolis ſuper ea re ad nos miſſis; quod credibile nõ ſit ipſum facturum fuiſſe, ſi miſſa quæſtione principali ad minus principalẽ aliquã reſpondiſsemus. Reſpondet vir doctus, *Non habuiſſe Poimenandrum quod miſſæ principalis quæſtionis vos inſimularet, quia quæſtionem proponit iis verborum nebulis involutam, unde ſententiam ejus de præciſo capillorum termino nemo poſſet odorari.* Reſp. 1. Nebulæ illæ ſunt in phantaſia viri docti, non in verbis quibus Poimenander ſtatum quæſtionis pag. 34. proponit. 2. Poimenander nullum præciſum nutritionis capillorum terminum poſuit, ut quem ob cauſas variare poſſe concedit pag. 34. Nec poſuiſſe eum vir doctus faſsus eſt diſp. 1. theſ. 11. 3. Si quæſtionem iis verborum nebulis involutam proponit Poimenander, unde nemo ſententiam ejus de præciſo capillorum termino odorari poſſet, venia nobis danda fuit, qui eam odorari non potuimus: at mirandum virum doctum tam odora vi eſſe ut odorari potuerit, quod nemo odorari poſſet. pergit: *Mirum quidem eſt Poimenandrum ſententiam veſtram ſuæ contrariam abſolute approbare potuiſſe: at inde non ſequitur eum in re ipſa conſentire.* Reſp. 1. Si præjudicio vir doctus occupatus non eſſet, & æquitatem illam quam ad emolliendam Bezæ ſententiam attulit,

Poi-

Poimenandro non denegaret, nihil hic quod miraretur inveniret. 2. Si Poimenander ſententiam noſtram ſuæ contrariam abſolute approbavit, oportet aut eum contra conſcientiam egiſſe, aut ex imperitia eſſe lapſum; quia ſententiam noſtram nullis verborum nebulis involvimus, ſed verbis perſpicuis,& ſignificantibus expreſſam ipſi ſignificavimus. At contra conſcientiam egiſse, ne quidem, (ut opinor) ipſe vir doctus dixerit. Nota enim eſt Poimenandri integritas. Ex imperitia vero in re adeo clara & manifeſta lapſum eſse, nemo, ut exiſtimo, crediderit, cui dotes ingenii Poim. cognitæ ſunt. Sequitur ergo id quod vir doctus ſequi negat, nimirum Poimenandrum in re ipſa de qua ſermo eſt nobiſcum convenire. Addit: *Nam & pontificii S. Scripturam verbo probant, quam tamen ſciunt ſuis erroribus adverſari, non perſonas hic (quod ſemel præfiſcine monitum volo) cum perſonis, ſed conſequentiam cum conſequentia comparo.* Reſp. Poimenander aut ſcivit ſententiam noſtram quam ipſi ſignificavimus ſuę eſse contrariam, aut neſcivit. Si ſcivit comparat vir doctus hic perſonas cum perſonis: id eſt oſtendit Poimenandrum verbo approbaſse quod tamen ſententiæ ſuæ contrarium ſciret, ſicuti pontificii verbo approbant S. Scripturam, quam tamen erroribus ſuis adverſari norunt; & ſic Poimenandro grandem injuriam facit: aut ſi neſcivit (quod velle videtur) ipſum quod vel pueri intelligant,intellexiſse negat. Nam ut dictum, ſententiam noſtram verbis perſpicuis & ſignificantibus expreſſimus & ipſi ſignificavimus. En quo contentionis ardore prolabatur vir doctus!

Sexta mea ratio qua probabam virum doctum aliter ſtatum controverſiæ formaſse ac Poimenandrum, ſumta erat à querela Poimenandri mihi per literas queſti ſtatum controverſiæ non attingi. Reſpondet vir doctus: *Hinc non ſequi falſam ſententiam ſibi imponi,quod notandum: deinde ab illius querela ad rei veritatem nullam eſſe conſequentiam.* Reſp. 1. Quando Poimenander queſtus eſt ſtatum controverſiæ non attingi,intellexit hoc non tantum de modo tractandi, controverſiam, ſed etiam de formatione ſtatus controverſiæ. Quod notandum. 2. Alienum ab humanitate & charitate eſt, judicare virum pium cujus integritas nunquam in dubium vocata fuit, aliquid queſtum ſibi falſo attribui, quod tamen vere attribuatur. Quod ſecundo notandum; & notabit ſine dubio lector qui merita viri illius

insignis in ecclesiam Dei novit, miratus non tantum pueriles errores à viro docto ipsi attribui, verum etiam bonam ipsius fidem in quæstionem vocari.

Septima mea ratio qua probabam Poimenandrum aliter statum quæstionis, quam virum doctum, formasse, erat; quia licet Poimenander sensisset, nutritionem capilorum virilium præcise terminis cranii (quod tamen non crederem) circumscribendam, minime tamen sequeretur hanc esse principalem controversiam quam tractat. Quia reclamat titulus libri & tota libelli series. Addidique accessoriam, (si tamen id statuit poimenander) vocari posse. Respondet vir doctus. *Præsupponit vir doctus duplicem esse controversiam & principalem describi verbis illis quæ in fronte libelli poimenandri inveniuntur, quæque ipse primo loco ex Poimenandro citavit: & minus principalem hanc quam ego posui. Quod si maxime verum esset, nihil hoc contra me facit qui de principali aut minus principali nullum verbum feci.* Resp. 1. Non præsuppono esse duplicem controversiam, sed sub conditione dico, si senserit Poimenander quod vir doctus eum sentire ait, eam futuram non principalem controversiam' sed accessoriam. Conditionatam enunciationem vir doctus mutat in absolutam. 2. Imo nunc dico si senserit Poimenander id quod ipsi à Poimenandro attribuitur, id non controversiam aut principalem aut minus principalem dici debere. Quoniam nihil aliud erit, quam solutio cujusdam dubii, emergentis ex decisione quæstionis quam sibi tractandam sumserat Poimenander, ut cap. præcedenti planum feci. 3. Multum hoc facit contra virum doctum; 1. quia sic ita convincitur indistincte locutus fuisse, & sic agendo lectorem seducere (loquor non de intentione viri docti, sed de effectu thesium ipsius) animisque imperitiorum ingenerare hanc opinionem, nimirum hoc unum agi à Poimenandro & aliis, ut capilli viriles terminis cranii coerceantur, cum hoc non agatur, sed aliud, videlicet ut vanitas illa capillaris quam synodi nostrates damnavere, refrœnetur & evitetur. Pergit: *Neque causæ meæ incommodaret, nam sive principale sive accessorium refutationem meretur.* Resp. 1. Incommodaret propter rationem jam dictam. 2. Sententia illa quam vir doctus Poimenandro tribuit, antequam ipse Disp. suas de coma scriberet, à quibusdam satis acriter refutata erat; nec erat qui eam defenderet: quia nemo eam pro sua agnoscebat. Quid ergo opus

erat

erat refutatione ipsius? An bellacem se sine adversario ostendere voluit? aut afflicto afflictionem addere? pergit: *At verum non est quod statuit vir doctus, unica enim hic tantum est controversia, verbis diversis enunciata, primo generalibus iisque obscuris & intricatis, & quæ eo modo proposita ne controversia quidem sunt; deinde clarioribus quibus distincte quid auctor sibi velit indicatur. Hoc vel inde patet, quia ea ad antecedentium lucem iis immediate subjicit. Ea ergo potius quam illa seligenda erant, ad statum quæstionis dilucide & distincte formandum.* Resp. 1. Verum ne sit nec ne quod dico, ex præcedenti cap. haberi potest, ubi quidquid hic vir doctus ex p. 5. libert. suę repetit, refutatum est. 2. Si verba illa quibus Poimenander statum controversiæ se proponere profitetur ne controversa quidem sunt; in summa rei consentit vir doctus cum Poimenandro. Addit *porro quod vir doctus Poimenandrum ita statuisse credere non potest, non efficiet quo minus oculis nostris credamus. Ita scripsit, aliter sensisse si crederem, putarem me ejus integritati injuriam facere.* Resp. 1. Etiam vir doctus videt 1. Cor. 1. dictum: *Non misit me Christus ad baptizandum*, & 1. Ioan. 3. 18. *Ne diligamus verbo neque lingua*, nec tamen inde concludet, aut Apostolum non fuisse missum ad baptizandum, aut verbo & lingua non esse diligendum. Novit quippe ad intelligentiam eorum quæ ab aliis dicuntur aut scribuntur, etiam oculos mentis aperiendos esse, quos circa dicta Poimenandri clausos habuit. 2. Aliter sensisse Poimenandrum atque etiamnum sentire, quam eum scripsisse existimas, & antea ex thesibus meis habere potuisti, & nunc luculentius ex cap. præcedenti habere potes. An autem tu nunc de Poimenandro aliter sensurus sis, quam hactenus sensisti, exspectabo. Nuper enimite dicentem audivimus: *à querela poimenandri ad rei veritatem non valere consequentiam.*

„ Dixi eadē illa thesi prima quam hic vindico, Quod soleant viri
„ eruditi in determinationibus casuum cōscientiæ, ubi materia tracta-
„ tionis tale quid requirit, postquā excessus rerum notabiles ostēde-
„ runt, terminum in quo subsistēdum arbitrātur, indicare, ut eo meli-
„ us cōscientiis cōsulant, & nōnunquā quoniā maximi quod licitum
„ est difficilis sæpe est determinatio, quod tutius est, ei quod dubium
„ videri potest præferat. Neq; tamē propterea determinationē termi-
„ niillius casus quē tractat, principalē partē statuant: Neq; eo nomine

„ ab aliis fugillari cachinnisque & sannis excipi, quales dialogista,
„ nec non consilii illius sine consilio infœlix faber an proxeneta plu-
„ rimas effudit. Exemplumque Taffini in medium adduxi. Hinc vir doctus occasione extra oleas vagandi arripit. Ait itaq; 1. *Nego penes viros eruditos esse terminum figere, ubi nullum figunt sacræ literæ, aut quod ipsi* arbitrantur *pro lege naturæ gentium, imo divina aliis imponere.* Resp. Nihil hoc contra me facit, nam quod viris eruditis fas esse negat vir doctus, fas esse non dico. pergit. 2. *Nego determinationem Poimenandri non talem esse ut dubia videri non possit:* Resp. hoc præcedenti simile. Nam nec ego hic dico determinationem Poimenandri talem esse, ut dubia videri non possit. pergit: 3. *Nego hanc determinationem tutiorem esse, & per eam conscientiis consuli. & rogo te per veritatem vir docte si talem esse putas cur eam non sequeris? cur ab ea palam dissentis? si non est cur non fers moneri populum Christianum, ne in eam impingat? Et sane non est tuta ista determinatio, neq; per eam conscientius consulitur, quæ per eam præcepto non dicam* δυσβαστάκτῳ *sed prorsus suâ natura importabili onerantur.* Resp. 1. verum dicit vir doctus, si Poimenander sensit, quod ipse eum sensisse affirmat. At id verum esse jam negatum fuit. 2. Non sequor determinationem quam vir doctus Poimenandro tribuit, Quia *natura sua* ut vir doctus ait importabilis est, adeoque nec tuta. 3. Si per determinationem hanc quam Poimenandro adscribit vir doctus conscientiæ onerantur præcepto non δυζβαστάκτῳ sed *natura sua* importabili; necessariam monitionem viri docti fuisse nemo judicabit, nisi qui populum Christianum insanire credit. 4. Si necessarium judicavit vir doctus ut populus Christianus monetur ne in se susciperet, quod *natura sua* importabile est, cur non Belgico idiomate eum monuit? eo enim idiomate Poim. scripserat. Nam quota pars populi Christiani est, quæ latini sermonis gnara est: & ad quam theses quæ in collegio ventilãtur (pauciores enim esse solent) perveniunt? 5. Longe utilius feciisset vir doctus si sententiam suam explicuisset, num assentiatur Synodorum nostratum decretis circa capillos. At hoc non fecit. Nam summa disputationum ejus de capillis hęc est: *Vt vestium nulla certa forma Christianis præscripta est, ita nec capillorum v. Polyand. p. 48. In utrisque tamen lex humilitatis, modestiæ, prudentiæ spiritualis, & ædificationis proximi observanda*

vanda est, quam qui transgreditur, non leviter Deo displicere, conscientiam lædere, fratrem infirmum pro quo Christus est mortuus judicandus est. Disp. 6. thes. 15. Nullum autem hic, ut nec alibi, indicium comparet, an sentiat vir doctus *legem illam humilitatis, prudentiæ spiritualis, & ædificationis proximi*, violari ab iis contra quos synodi diataxes illas de capillis condiderunt. Quoniam autem id ab ipso prætermissum est, peto ut se tandem aliquando explicet. Nimirum ut si populus Christianus consensum viri docti cum synodis videat, eo libentius pastores suos qui diataxes illas sequuntur, (quia verbo Deo congruere putant) audiat: si vero dissentiat, solidisque rationibus synodos erravse doceat, idem ille populus Christianus monitus à viro doceat, libertate sua se privari non patiatur. Imo ipsę synodi diataxes suas reformēt, ne libertate sua populum Christianum spoliēt. 6. Quod addidi de sannis & cachinnis quos unus & alter plurimos in Poimenandrum effudit, vir doctus silentio præterit, adeoque male eos fecisse tacitus confitetur. Hac de re ergo ubi videbitur populum Christianum moneat.

Caput III.

Secunda ratio auctoris qua probabatur virum doctum peccasse in formando statu controversiæ, vindicatur. Lectori à viro docto errandi occasio objecta. Rumor Romam perlatus de nova hæresi. Assumit vir doctus quod non datur. Excusatio ejusdem mira. An Guilielmus Pryne primus moverit & agitaverit controversiam quam vir doctus ortam dixit. Viri docti contradictio. Locus Gul. Pryne explicatus. Periculum ex nimio rigore circa dicta scriptorum incommodius prolata. Sententia auctoris de mensura capillorum virilium male à viro docto recitata. Ex rei veritate exhibita. Viri docti incuria notata. Boxhornius à viro docto frustra adductus. Borstius & alii viro docto sugillati. liberalitas illiberalis. Enallage.

Secunda ratio qua probabam virum doctum peccasse in proponendo statu controversiæ inde sumta erat, quod verbis nimis generalibus utitur. Vt qui ait ortam controversiam, & postea numero multitudinis inquit. *Si enim vera est pars affirmans, habent qui eam tuentur* &c. Non indicato tamen eo aut iis à quibus controversia illa orta sit, & quinam sint qui affirmativam illius controversiæ partem tueantur. Merito autem hoc à me viro docto objectum fuisse judico. 1. Quia cum passim non tantum Poimenan-

nandrum, sed etiam Borstium & me & quidem expressis nominibus singulorum, in thesibus suis carpat, lectori errandi occasionem objicit, nimirum quod non tantum, Poimenander, verum etiam Borstius & ego sentiamus *comam virilem prolixiorem quâ quæ ad cranium contegendum requiratur per se & natura sua illicitam esse*: quod à veritate alienum est. 2. Quia me docuit vir doctus præfatione sua quam libello suo quem *libertatem Christianam* &c. vocat, præfixit, *Romam perveniisse rumorem illius novi dogmatis*, hoc est controversiæ quam ortam dicit, & *nova hæreseos nomine ibi traduci*. Quod si enim ita res habet, ut ait, atque ut *se facile prolatis quæ illinc scriptæ sunt literis, lectorum oculis subjecturum* dicit, *nisi vulneris sanandi quam scindendi, consilium sibi potius videretur*; an non videt se, cum controversiam ortam dicit & plurali numero utitur, cum ait: *Si enim vera est pars affirmans, habent qui eam tuentur* &c. non tantum Poimenandrum sed etiam alios, quos nominare nequit, *sannis & ludibriis hostium* suorum objeciisse, & efficisse *ut vera religio sannis & ludibriis hostium exponeretur*? Nam quanto plures alicujus novi dogmatis insimulantur, tanto fortius clamant Romanenses *novam hæresim* esse ortam. Audiamus nunc quid ad sui defensionem vir doctus afferat. Ait ergo; *totam illam quæstionem parum esse necessariam, ubi de re ipsa constat, neque sibi animum fuisse scribendi historiam sed disputationes theologicas*. Resp. 1. querimoniam meam fuisse necessariam ex dictis liquet. 2. Assumit vir doctus non probat de re ipsa constare. Poimenander sibi vim fieri clamat, cum ipsi à viro docto tribuitur, id de quo hic constare ait. Borstium ipse vir doctus alibi à sententia Poimenandri removet. Ego quantum absim ab eo, de quo constare ait, ostendo quæst. text. 1. p. 1. thes. 1. 6. & quæst. text. 2. thes. 4. & seq. aliquot. 3. Etiamsi vir doctus historiam non conscriberet, ipsi tamen committendum non erat, ut modo loquendi quo utitur, aliis errandi maleque de me, & nonnullis aliis suspicandi occasionem objiceret. Nam non arbitror hoc inter indifferentia cum relaturum. 4. Mirum est eum hac excusatione uti voluisse. Nam singulis fere postea thesibus, auctorum adversus quos aut pro quibus disputat, nomina exprimit. Non enim dicet opinor, se initio quidem disputationes theologicas non historiam, postea vero etiam historiam scripsisse: aut nimis molestum fuisse sibi, ut paucorum nomina (si modo ea cognita habuit) exprime-

meret, ut constare posset à quibus controversia, quam ortam ait, mota esset. Pergit: *In gratiam tamen viri docti per quem non licet esse negligentem, etiam hac in parte quod sentiam adscribam.* Resp. 1. Si viro docto placuisset, per me ipsi licuisset vel ab ipsa thesium de coma scriptione abstinere. Nam nec à me invitatus fuit, nec lacessitus ut scriberet. Postquam tamen sibi scribendum duxit, censeo ego & alii mecum, propter rationes superius allatas, non dicendum fuisse controversiam ortam esse, non nominato eo aut iis à quibus orta esset, nec plurali numero efferendum fuisse: *si vera est pars affirmans, habent qui eam tuentur* &c. 2. Non quæritur quid nunc sit faciendum viro docto, sed quid antea nimirum cum disputationes de coma scriberet factum oportuerit. Sed videamus quid sentiat & adscribat. Ait ergo *se censere controversiam hunc primo motam & agitatam fuisse in Anglia à Guljelmo Pryne, ad quam rem ipse nobis testis locuples esse possit.* Resp. 1. Ergo obversabatur animo viri docti cum diceret *controversiam ortam*, item: *si vera est pars affirmans habent qui eam tuentur*, &c. Guiljelmus Pryne. At quare eum non nominavit, prout postea alios quos carpit? præsertim cum moris sit ut qui controversiam aliquã tractaturi sunt, si ullorum utiq; illorum nomina indicent, qui controversiæ originem dederunt. 2. Si credimus viro docto nec mota nec agitata fuit controversia à Guil. Pryne, quam ortam dixit, nimirum: *An coma virilis prolixior quam ad cranium contegendum requiratur, per se & natura sua illicita sit:* Nam libert. pag. 13. inquit: *Neque enim eum comæ modum præscripsit* (Guil. Pryne) *quem hic* (Poim.) *inculcat, licet semel incidenter narret, papam Benedictum nonum peculiari quadam de causa, injunxisse Polonis ut comam supra aures amputarent, non inquam, imponit papale hoc onus omnibus Christianis, quod Poimenander facit, neque ipse id in se recepit, ut patet in effigie ejus ac ejus commilitonum, quæ insertæ visuntur historiæ cruentæ illius persecutionis, quam passi sunt sub Archiepiscopo Guljelmo Laud.* (*Titulus libello est.* (Newv discoverii of the prelats tyranny &c.) *harum enim effigierum nulla est quæ comam supra aures detonsã exhibeat, imo nulla est quæ aures perfectius tegat, quam ea quæ repræsentat Guljelmum Pryne.* Itaque controversia à Guljelmo Pryne in Anglia mota & agitata est teste viro docto, quę tamen teste eodem à Guljelmo Pryne in Anglia nec mota nec agitata fuit. Quare se ipsum corrigens pag. 13. inquit. *Hic igitur* (Gul. Pryne) *hujus con-*

troversiæ prima & rudia, si spectes ea qua Poimenander superaddidit, lineamenta dedit: refragante tamen Gul. Pryne, qui quę disputat de comis magna testium nube probare nititur. Concludit tamen vir doctus: *Habemus primum (se ipso teste,) auctorem hujus controversiæ in Anglia Gul. Pryne.* Resp. Quam male sequatur hæc conclusio ex præmissis, liquet ex iis quæ jam dicta sunt. Negantem enim audivimus virum doctum, Gul. Pryne movisse & agitasse controversiam, quam ortam dixit. At inquit Gul. Pryne, ut ait vir doctus (hoc enim omiseram) *se tale tractare argumentum in quo nemo alius unquam, quod ipse sciat, laboraverit.* Resp. 1. At non ait Gul. Pryne argumentum sue tractationis esse, *quod coma virilis prolixior quam ad aures contegendas requiratur per se & natura sua illicita sit.* 2. Non dicit se tradere doctrinam quam antea nemo tradidisset. Nam passim pro sententia sua non tantum scripturas, sed etiam patres, aliosque scriptores adducit. Sed hoc vult, videlicet, quod nemo quantum sciret, peculiari tractatu ante se de capillis egisset, cujus ipse ductum sequi posset, ut nemo dicere posset, eum aliena pro suis venditare. pergit: *Quod enim plurali numero utendum* fuisse vir *doctus negat, cum dicerem,* habent quidem qui eam tuentur &c. *Id ita desertam hanc opinionem patefacit, ut Poimenandro comes quæratur, qui saltem dualem numerum cum eo constituat in illa defendenda, imo ut tota in latebras se conjiciat, ac si ne quidem Poimenandri esset, aut unquam fuisset.* Resp. Si ita est vir docte ut ais, habeo quod volo, te male plurali numero esse usum, cum ais: *habent qui eam tuentur* &c. 2. Nihil opus erat ut Poimenandro comitem quæreres, quoniam ipsi tribuis quod ipse se sentire negat; & quamvis sensisset, te comitem quidem ipsi quęsivisse, sed invenire non potuisse, ex iis quæ de Guil. Pryne dicta sunt, patuit. 3. Si Poimenander movit controversiam quam ortam dixisti, (quod tamen non probas, & Poimenander ipse negat) per me licet ut se in latebras abdat, sane ego eam in lucem nunquam sum revocaturus. Sed tu vir docte videne, si pergas fratrum tuorum dicta minus commoda, & quidem in exoterico dicendi genere usurpata, ad sanguinẽ usque premere, optimi quique de te conquerantur. *Nota* inquit Cl. Spanhemius Exercitat. de gratia Vniversali pag. 40. *Scripta veterum ante Pelagium, & exortas super argumentis ab eo motis controversias. Quam proclive foret, loca ex eorum scriptis excerpere, & illos omnes Pela-*

gii

gii patronos facere? Imo pastores omnes, quoties ex ambone homines hortantur, ne peccent, ut credant, & salutem sua operentur, eosque perstringunt qui hoc non faciunt? Vel ne si incidas forte in contensiosiores, & cedere nescios, eos isthac agendi ratione, dum incommodius dictorum veniam non inveniunt, eo adigas, ut serio de errore defendendo cogitent, atque ita aut schisma aut hæresin aliquam suscites. Sequitur: *Actum igitur est de mensura comæ Poimenandriana, cui si sententiam viri docti substitueris, qui comam tantum ad tergum ac humeros defluentem damnat, proba erit coma veteris Hollandi à Clariss. Boxhornio nobis exhibita, neque enim per tergum luxuriat, neque per scapulas volitat, sed aures & cervicem solummodo tegit. Probi etiam qui eam hodieque imitantur licet tales, & editis libellis exagitati & indignissimus modis fuerint habiti. V. G. cum in ordinem latronum relati sunt, qui quod aures carnificum opera amiserunt, cicatrices suas obducta coma abscondunt, quod schema ita Borstio placuit ut illud retulerit in concionem suam.* pag. 29. *circa finem.* Resp. 1. Imo actum est de thesibus viri docti de coma, ut qui sibi confutandam duxit cõtroversiam quam ortam dicit, nec tamen orta fuit. Plures enim mihi sunt Poimenandri (ut nunc præteream argumenta quæ ex ipsius libello adduxi quibusque probavi controversiam ab eo motam non fuisse, quam vir doctus ortam dicit) negationes & querimoniæ, sibi per sinistram verborum suorum interpretationem & calumniam impingi querentis id quod nunquam sensit, quam viri docti obstinatæ affirmationes. 2. Vt antea, sic etiam nunc sententiam meam de mensura capillorum virilium vir doctus male refert. Nam certe quæst. text. 1. p. 1. thes. 1. & 6. Damno capillos viriles, humeris involitantes aut tergum flagellanter, videlicet ubi necessitas non est quæ eos poscat: sed quæst. text. 2. thes. 4. 5. 6. 7. 8. talia profero unde vir doctus, male concluserit me tantum capillos viriles humeris involitantes aut tergum flagellantes damnare. Summa thesium harum est: 1. Capillos viriles eousque nutriendos, ut cutis capitis cervicisque honeste tegatur. 2. Non posse præcise eundem omnibus terminum aut mensuram nutriendi aut tondendi capillos præscribi: propter diversam ætatum, complexionum, dispositionum, locorum & temporum rationem. 3. Quidquid capillorum à limitibus quibus Deus locum originis eorum circumscripsit, notabiliter recedit, nec facit ad utilitatem gestantis, sed po-

tius ei incommodat illicitum esse. 4. Considerare quenque debere, quibus sit viribus, quæ natura loci in quo & cœli sub quo vivit, ut modum nutritioni capillorum statuat, ne videlicet necessitatem prolixioris capillitii ubi nulla est, fingat, aut ubi justa est, scrupulo non necessario sese torqueat, sibique incommodum accersat. 5. Consuetudinem gentis in qua vivimus, quoad nutritionem capillorum non esse sequendam, nisi constet talem esse quæ sacris literis & rectæ rationi non repugnet. Hæc legisse oportuerat virum doctum ut sententiam meam de mensura capillorum virilium apte referret; nec mihi quod non dico, affingeret. Aut si legit, (legisse autem liquere arbitror ex libert. p.32.ubi quęst.text.2.thes.4. citat, ut etiam ex epilogo libertatis, ubi quoque disp. hanc citat) meminisse, (nam dissimulatione enim usum, quod tamen mihi impingere non reformidat, non dicam) ne falsa pro veris narraret. 3. Frivolum est quod vir doctus mihi objicit Cl. Boxhornium affinem meum. nam quamvis ipse à me dissentiret, nihil eo melior causa viri docti foret, nec mea deterior, modo ratio pro me militet. 4. Nec ego nego probos esse posse qui comam veteris illius Hollandi imitantur. Nam quamvis peccarent eum imitando, inde tamen non sequitur ex albo proborum esse expungendos. Neque enim omne peccatum probitatem aufert. Nam alioqui nemo mortalium probus esset. 5. Borstius non negat eos qui imitantur comam veteris Hollandi, probos esse posse. Nec eos *in latronum ordinem refert* (nam notum est quid illa phrasis sibi velit) sed monet, ut à prolixo capillitio abstineamus: quia tale latronibus familiare est, quibus nos etiam hac in parte dissimiles esse oporteat. Si quid porro loco Borstii quem indicat vir doctus occurrit, quod ipsi acerbius dictum videtur, per me licet, ut ea de re eum moneat. Neq; enim mihi libet omnia quę hinc inde corradit aliorum dicta, excutere. Vnde 6. etiã prætereo, alios quos pręter Borstium vir doctus hic suggiliat, ut quorum ne nomina quidẽ recenset.

Pæne se ablatum ait vir doctus *cavilli de numero plurali vice singularis à se usurpato.* Dicitque *possem respondere me intellexisse Poimenandrum & illos qui scriptum illud approbarunt. Possem eos qui secundum ipsius sensa ecclesias suas reformare conati sunt, licet eum publicis scriptis non defenderint. Verum sit unicus Poimenander qui ista excogitarit, seu ferit que, nihil vetat, quominus numerus pluralis* κατ' ἀναλογὶαν *in illum unicum*

cum respiciat. Quod frequentissimum est in sacris literis. Et huc adducit loca quædam scripturæ, nec non Homeri, Pindari, Euripidis, Virgilii. Resp. 1. An cavillus sit nec ne quem vir doctus cavillum vocat, ex præcedentibus haberi potest. 2. Si dicat se intellexisse Poimenandrum, Poimenander sibi injuriam factam clamabit. 3. Si eos qui libellum Poim. approbarunt, intellexisse se respondeat; etiam ii sibi injuriam factam protestabuntur. 4. Si respexisse se affirmet ad eos qui ecclesias suas secundum sensa, Poimenandri reformare conati sunt: profiteor mihi neminem notum, qui ecclesiam suam docuerit, *comam virilem prolixiorem quam ad cranium contegendum requiratur, per se & natura sua esse illicitam:* nec puto virum doctum quempiam qui id tentaverit novisse. 5. Liberaliter nobiscum agere velle videtur vir doctus cum per modum concedentis inquit: *verum si unicus Poimenander qui ista excogitarit senseritque,* sed sub specie liberalitatis sibi sumit quod ipsi jam dudum negatum fuit, nimirum Poimenandrum sensisse, *comam virilem prolixiorem quam ad cranium contegendum, requiratur per se & natura sua esse illicitam.* 6. non diffitemur multa enallagarum exempla posse dari; sed 1. nulla potest esse enallage numeri pluralis pro singulari, ubi ne unus quidem nominari potest. 2. Etiamsi unus hic nominari posset, nimirum Poimenander, Enallage tamen hic adhibenda non fuit. Quia innoxia non est, ut ex iis quæ initio hujus capitis dicta sunt patet.

CAPUT IV.

Tertia ratio qua probabatur virum doctum errasse in formando statu controversiæ, defenditur, quotupliciter actio per se & natura sua mala dici possit. Gratulationibus viri docti respondetur. Admiratio ejusdem, nec non testimonium quoddam dialogistæ expenditur. An Poimenander docuerit usum capillorum virilium prolixorum primo modo per se & natura sua illicitum esse. *An peccata honestari queant, absurde quæsitum. De actionibus ex objecto & fine malis, iisdemque in genere & specie consideratis. Dilemma viri docti enervatur; ubi de fine operis & operantis, & conscensu tribunalis Dei. Quarta ratio, qua ostensum est statum controversiæ male formatum esse, vindicatur. Vitiligatio viri docti. Omissio ejusdem & effugium. Captatio terminorum generalium. Determinatio synodi Transylvanæ. Indicium de intrinsecis vulneribus. Confessio viri docti examinatur, silentium ejusdem. Judicium Polyandri. Petitio principii, Conjectura viri docti.*

TErtia ratio qua à me probatum fuit quæſt, tex. 1. p. 3. theſ. 2. virum doctum male ſtatum controverſiæ, quam ortam narrat, formaſſe, erat, quia phraſis *per ſe & natura ſua*, qua utitur in proponendo ſtatu controverſię, ambigua eſt. Probavi autem ambiguam eſse; quia dupliciter *per ſe & natura ſua* actionem illicitam eſse dici poteſt. Quoniam primo actio aliqua *per ſe & natura ſua* illicita dicitur, quę intrinſece mala eſt, adeo ut nunquam honeſtari poſſit. Quomodo odium Dei & mendacium & alia hiſce ſimilia *per ſe & natura ſua* illicita dicuntur. Secundo vero actio aliqua *per ſe & natura ſua* illicita dici poteſt, quæ quidem in genere eſt indifferens, at in ſpecie mala eſt, id eſt turpis eſt, non tantum ex circumſtantiis perſonarum, locorum & temporum, ſed etiam ex objecto & fine. Quomodo occiſio innocentis quæ fit auctoritate privata, & vindictę cupidine per ſe & natura ſua mala eſt: cum tamen occiſio innocentis honeſtari poſſit. Ambiguitatem hanc in formatione ſtatus controverſię removendam fuiſse dixi, ne quiſquam ſuſpicaretur controverſiam eſse de quo nulla eſt. Quoniam neminem noveram, qui ſtatueret uſum prolixę virorum cęſariei priori modo per ſe & natura ſua eſse illicitum. Quid ad hæc vir doctus? Ait 1. *ſe gratulari ſibi conſenſum meum in eo quod phraſin hanc eodem modo quo ipſe, explicem, uti patere ait conferenti diſputationis ejus primæ* theſin 12. *cum hac mea*, & 7. *itidem mea*. Reſp. quæſtio eſt de phraſi, *per ſe & natura ſua* illicitum eſse. At ea ne quidem comparet theſ. 12. diſp. 1. viri docti. 2. *ſe ſibi multo magis gratulari ait, quod ſecum odium Dei & ſimilia intrinſece mala eſſe, nec unquam honeſtari poſſe affirmem, cujus contrarium non ita pridem edito publice ſcripto à quopiam defenſum ſit.* Reſp. 1. Et ego mihi gratulor hac in re viri docti mecum & cum collegis meis ὁμόγνοιαν. 2. Edito ſcripto contrarium ejus quod dico defenſum fuit; Sed ubi id nobis innotuit, nobis diſplicere auctori ſcripti illius per literas teſtati ſumus. Quin imo contraria nos eſse in ſententia, qua privatim qua publice, data occaſione, ſæpius ſignificavimus. 3. Ait *ſe mirari, quod negem me noviſſe quempiam qui ſtatuat uſum prolixæ cæſariei priori modo per ſe & natura ſua eſſe illicitum*, hoc eſt intrinſece malum. Reſp. Et ego mirabor virum doctum mirari, donec idoneas ſuę admirationis cauſas dederit. Nam quas dat tales non ſunt. Ait enim 1. *me noviſſe id objectum ab auctore dialogi* p. 13.

nec me quicquam cum ei responderem, quod ibi factum oportuerit, contradixisse. Resp. 1. Affirmat dialogista, *tenere* psilos, quos vocat, *sub prolixis capillis intrinsecam latere malitiam.* Sed aliud ipsum velle quam id quod arbitratur vir doctus, antecedentia & consequentia (meo quidem) judicio docent. Inde enim (nisi admodum fallor) haberi potest, cum impingere adversariis, quod sentiant prolixum capillitium, improbitatem producere, tonsum vero tollere, vitiisque animo hærentibus mederi. Adeat locum, cui libitum est, virulentos sarcasmos quos evomit, cognoscere. 2. Esto objecerit dialogista quod vult vir doctus; an propterea id verum est? An propterea mihi respondendum fuit? præsertim cum nec probet quod objicit, quod tamen affirmāti incumbit;& ita putida sit criminatio,ut potius contemtum quam responsionem mereatur. 3. Quod si tamen cum dialogistæ responderem,officio defuisse videar, defectum compensatum vidit vir doctus thesi quam hic impugnat, nec non thes. 7. 4. Peto à viro docto ut, aut ex dialogista quærat unde didicerit psilos quos vocat docere usum prolixæ cæsariei esse *intrinsece* malum; imo roget eum ut vel unum nominet qui id statuat; aut si ille id nolit aut nequeat, vir doctus aliquem eorum quos impugnat, qui ita sentiat, in medium adducat. Nam quod Poimenandrum ita sentire ait, mox vanum esse ostendetur. 2. Inquit; *porro an terminus hic è penitissima Theologia Scholastica petitus viro humanioribus literis innutrito, temere in mentem venit, ut eum adversariis,nusquam sibi apud eos lectum impingeret? ne hoc quidem mihi fit verisimile. Sed age fides rei sit penes auctorem tantisper dum tempus veritatem manifestet.* Resp. 1. At jam ostensum arbitror, terminum de quo loquitur vir doctus sensu scholasticis usitato frustra in dialogista quæri. 2.Etiamsi extaret,ipsi non mihi ostendendum unde hauserit. Quod si tamen, judicium meum quæratur,existimo dialogistam(si ita rudis est theologię Scholasticæ,imo philosophię moralis, ut terminum illum per se nesciverit) ab aliquo didicisse, qui sententiæ Poimenandri parum æquus esset. Nam nullo modo credere possum virum theologię Scholasticæ ita rudem, ut terminum hunc (qui tamen multis tironibus philosophię moralis & theologię notus est) ignoraret, & penitus humanioribus literis innutritum, non impulsum ab aliis,ad scribendum de capillis accelsisse. 4. Si dialogista ita rudis est Theologię Scholasticę ut vir doctus

vult

vult rem quę ſupra vires ejus erat, aggreſsus eſt, cum de capillis quatenus moraliter ſpectantur, ſibi ſcribendum duxit. Neque enim, hic ſufficit cognitio humaniorum literarum: ſed imprimis requiritur notitia philoſophię moralis, theologiæque ſcholaſticæ. 5. An vir doctus gratiam à dialogiſta ſit reportaturus, quem theologię ſcholaſticę ita rudem eſse dicit, ut terminum illum neſciverit, niſi eum legiſſet in adverſariorum libris; ipſe viderit. potuiſset eum ſi voluiſset præterire, nec ipſi hanc notam inſcitiæ inurere, quoniam (ut antea monui) aliud ſibi voluiſse dialogiſta, quam quod ipſi tribuit vir doctus, plane videtur. 3. Inquit: *Sed an non res ipſa eſt apud Poimenandrum? certe. Nam crines dimiſſos ex eorum peccatorum genere ſtatuit, quæ recenſentur Rom. 1. 26. 27. ut oſtenſum nobis diſp. 1. theſ. 6. an illa unquam honeſtari poſſe concedet vir doctus? non faciet, ſat ſcio, ut qui mendacium inter illa quæ honeſtari non poſſunt, retulerit; quod enim vel ipſe vel alius (non enim memini) diſparem hic gradum eſſe ait, nihil illi prodeſt, cum magis & minus non varient ſpeciem.* Reſp. 1. non oſtendit vir doctus diſp. ſuæ 1. theſ. 6. quod ſe oſtendiſse ait. Dixit eo loco Poimenandrum ſtatuere virum comam ſummittere eſse contra legem naturę, quemadmodum ſcelera illa quæ recenſentur Rom. 1. 26. 27. Et ut dicto fidem faceret indicavit libel. Poim. pag. 157. Sed ibi non invenio, nec ullius alius, ſat ſcio, id quod vult à Poim. aſsertum. Agit ibi Poim. de ſignificatione vocis φύσεως in loco Paulino. Dicitque eam loco dicto ſignificare, *ſenſum communem: judicium ſanæ rationis; vim & ordinem Dei quo agit in rebus à ſe conditis.* Derivatumque ejus ſimili ſenſu ſumi Rom. 1. 26. 27. ait. At quibus fidiculis vir doctus hinc extorqueat Poim. ſtatuere crines dimiſsos eſse ex eorum peccatorum genere quæ recenſentur Rom. 1. 26. 27. Sat ſcio, nullis ipſum hoc conſecuturum. Nam tale erit ejus argumentum: qui dicit vocem φύσεως 1. Cor. 11. 14. ſignificare *ſenſum communem, judicium ſanæ rationis: vim & ordinem Dei quo agit in rebus à ſe conditis, derivatumque ejus tali quoque ſenſu ſumi* Rom. 1. v. 26. 27. Is ſtatuit dimiſsos capillos eſse ex eorum peccatorum genere quæ recenſentur Rom. 1. 26. 27. Sed primum dicit Poimenander: Ergo & alterum. At quis concedat viro docto majorem hujus ſyllogiſmi? falſiſſima enim eſt. Nam quamvis utrobique vox φύσεως ſignificet judicio Poim. *ſenſum communem, judicium ſanæ rationis;* minime tamen verum eſt peccata quæ damnat

ſenſ

ſenſus ille communis, & judicium ſanæ rationis Rom. 1. 26. 27. & 1. Cor. 11. 14. 15. eſse ejuſdem generis. Alioqui enim ſtatuendum erit omnia peccata quæ damnat ſenſus communis, judiciumve ſanæ rationis, eſse ejuſdem generis, adeoque vel omnia eſſe actionum quæ nullo modo honeſtari poſsunt; id eſt ex eorum genere quę recenſentur Rom. 1. 26. 27. vel nulla talia dari. 2. Thomas Comment. in Epiſt. ad Rom. c. 1. v. 26. 27. locum 1. Cor. 11. v. 14. adfert, & per eum quid natura Apoſtolo ſit, explicat, neq; tamen (opinor) dicet vir doctus aut ſenſiſse eum, peccata quæ recenſentur Rom. 1. 26. 27. ejuſdem generis eſse cum nutritione capillorum virilium: aut probandum eum qui verba ejus eo torſerit. 3. Chryſoſtomus ad 1. Cor. 11. v. 14. exiſtimavit vocem φύσεως ibidem eandem ſignificationem habere, quam Rom. 1. 26. 27. obtinet, an ergo etiam ille ſtatuit utribique de peccatis ejuſdem generis agi? 4. Ipſe vir doctus liberat. Poim. ab errore quem ipſi impingit, diſp. ſuæ 1. theſ. 12. *Negamus* ait *præcipue comam in viris prolixam habere intrinſecam malitiam, prout illa phraſis à Theologis uſurpatur.* Et poſt quædam. *At ejuſmodi malum non eſt ſubmittere crinem. Id enim in quodam caſu Deus juſſit. puta in Nazirais num. 6. 5. fatente (qui enim negare poſſet) Poimenandro* p. 166. 242. 296. dicet ſine dubio Poim. ſibi ipſi contradicere: ſed contradictio hęc non in ſcriptis Poim. ſed phantaſia viri docti eſt. 5. Abſurde quærit: an peccata de quibus Rom. 1. 26. 27. honeſtari poſſint. Nam nemo, ut opinor, qui ſanæ mentis eſset, unquam ſenſit peccatum ullum honeſtari poſse. Quia implicat peccatum eſse & honeſtum eſse. 6. Quod addit, de gradu diſpari, omittam donec ipſi locus in mentem veniat, ubi hoc legerit. 4. ait. *Quod ad mala per ſe & natura ſua referat vir doctus ea quæ talia ſunt ex objecto & fine, expedita ratio eſt, ad negandum ullam actionem ex natura ſua indifferentem eſſe. Nulla enim ita de ſe libera eſt, quæ ex fine & objecto non poſſit fieri mala.* Reſp. 1. videat lector diſtinctionem quam dedi theſ. 2. ut noverit qua de re hic ſit ſermo. 2. Negatur cõſequentia. Demus enim verum eſse nullam eſse actionem ita indifferentem, quin ex objecto & fine mala fieri poſſit, an inde ſequitur nullam eſse malam quin ex objecto & fine talis ſit? Similis farinę eſt quod addit: *Idem dico de genere & ſpecie, ſpecies enim generis ſua natura indifferentis non poteſt ſua natura mala eſſe ſed tantum per accidens.* Reſp. 1. Si hoc verum homo per ac-

cidens tantum homo est, & brutum per accidens brutum. Ratio, quia animalitas sese indifferenter habet ad hominem & brutum. Distinguendum est inter naturam actionis genericam & specificam. 2. sequitur ex sententia viri docti, homicidium non alia ratione malum esse, quam esum ciborum lege vetitorum tempore Apostolorum. Quia juxta virum doctum tantum per accidens malum est. Nam occisio hominis honestari potest. At quis theologorum ita sensit? 5. Quærit vir doctus: *an comam prolixam hic saltem secundo modo per se & natura sua illicitam esse putem* (*nam de primo* inquit *negavi*) *si non, nihil quod ad rem facit me attulisse ait, cum distinctio ad quæstionem quæ controvertitur non possit applicari, si sic, jam me judicare dicit, de fine, quem sibi quisque in agendo proponit, quod est tribunal Dei* καρδιογνώστου *conscendere.* Resp. Telum imbelle sine ictu. Nam 1. Agnosco lubens me statuere usum prolixæ comæ virilis, adhibita limitatione quam in thesibus meis addidi, secundo modo per se & natura sua esse malum, & nó tantum ratione scandali ut tu censes; quãvis phrasi *per se & natura sua* propter ambiguitatem quam evolvi, me usum non meminerim, cum quid sentiendum sit prolixis virorum comis, determinarem. Periit. itaque primum dilemmatis membrum. 2. Finis est vel operis vel operantis. Potest autem in una eademque actione finis operis malus esse, operantis vero bonus. Et contra finis operis bonus, operantis vero malus. Potest enim quis furari, ut pauperi indigenti subveniat; mentiri ut persecutionem à cervice innoxiorum avertat, legere sacras literas ut hæreses propugnet; orare in sacris coetibus, ut hypocrita cum sit, pius videatur. Sexcenta ejusmodi proferre possem. Quandoquidem ergo finis est vel operis vel operantis, & operis potest esse malus, etiamsi operantis forte talis non sit, non sequitur me cum statuo comam prolixam quam damno ex fine malam esse, judicare de fine quem sibi quisque in agendo proponit, & sic tribunal Dei conscendere. Nam loquor de fine operis, (quidquid sit de fine operantis) qui potissimum spectatur, ut Scholastici docent, quum actionem ex objecto & fine vel bonam vel malam esse statuunt. 3. Si quisquis actionem ex objecto & fine malam statuit, mox judicare censendus est, de fine quem quisque in agendo propositum habet, atque adeo tribunal Dei καρδιογνώστου conscendere, non amplius injusta hominis occisio, adulterium, furtum ex objecto & fine mala

dici

dici debebunt. At quis theologis persuadeat, ut judicium viri docti hic sequantur? periit ergo etiam alterum dilemmatis membrum. Alios ergo vir doctus sibi quærat arietes, quibus mea concutiat.

Ratio quarta qua probavi peccatum fuisse in formando statu controversiæ erat, quod minus plene vir doctus dixerit, controversiam ortam, *An coma virilis prolixior &c. per se & natura sua illicita sit?* Nam illi (*verba sunt quibus usus sum*) qui notabiliter prolixam virorum cæsariem damnant, eam etiam licet per se indifferens esset, propter scandalum quod plurimis per eam creatur (attestantibus id plurimis synodis, quibus certè vulnera ecclesiarum suarum ignota esse non potuere, nisi ipsas de rebus sibi ignotis locutas esse dicere quis velit) refugiendam esse contendunt, contrarium statuente consilii sæpius memorati auctore. Respondet vir doctus, *Certe minus plene illud &c. à viro docto interpositum est. Si adjiciantur* Cœtera, plena erit oratio, *nempe, quam ad cranium contegendum requiratur. Hæc non ferunt glossema & notabiliter.* Resp. 1. Paulo ante thesi eadem, verba quibus vir doctus statum controversiæ formavit, plenè allata fuerant, adeo ut nihil necesse esset ut hic omnia repeterem, præsertim cum illud *&c.* indicaret, quædam desiderari? 2. Minus plene quoque vir doctus hic verba mea quæ paulo ante attuli, adducit, & quidem nullâ appositâ notâ, per quam sciri posset quædam desiderari. Quod mirandum id tum ab eo factum, cum me omissionis & quidem per notam indicatæ, accusaret. Omisit enim inter, alia contrarium statuente consilii sæpius memorati auctore, quæ tamen nullo modo omitti debuerant, ut quibus pars rationis continetur qua probo minus plene à viro docto dici controversiam ortam esse; *An coma virilis prolixior &c. per se & natura sua illicita sit.* 3. Nullum hic glosema verborum viri docti trado, sed doceo in formando statu controversiæ omissum fuisse, quod minime omittendum fuerat, tum propter synodos nostras tum propter scriptorē consilii commemorati. quod itaque hic de glosemate ait, nihil nisi effugium est. 4. Quæstio non est an vir doctus in formando statu controversiæ verbis, *quam ad cranium contegendum requiratur*, usus sit; sed an iis uti debuerit. Non debuisse autem supra demonstratum confido. Addit: 2. *Nec talem comam refugiendam esse ulla synodus sancivit.* Resp. Nec ego dixi

id ullam synodum sanciviſſe, fruſtra ergo id affertur. Dico tamen synodos multas luxuriem illam capillorum quæ nunc apud multos obtinet, refugiendam eſſe ſanciviſe, viro docto tamen in theſibus ſuis (quamvis populum Chriſtianum iis monendum duceret libert. Chriſt. pag. 12. in principio,) ſub generalibus terminis, *legis humilitatis, modeſtiæ, prudentiæ ſpiritualis & ædificationis proximi* perpetuo deliteſcente. pergit, 3. *Nec ad ſecundam ſpeciem* peccati per ſe & natura ſua *pertinere ſtatuit.* Reſp. 1. determinavit Synodus Tranſiſulana, nutritionem comarum prolixarum virilium, non tantum ratione ſcandali fugiendam, atque adeo ſecundo modo per ſe & natura ſua eſſe malā. Nam queſti ſunt deputati ſynodi illius nomine ſynodi de publica ſcriptione D. N. pro *uſura & coma*, in Synodo Zuythollandica habita Woerdæ anno 1644. eorumque querimoniæ habita fuit ratio. At nuſquam duxit D. N. comam (nam de uſura nunc nihil dico) prolixam geſtare licitum eſse, ubi ſcandalum dat, ſed aliquoties monuit *νόμον καὶ χάριν* eſse ſequendam & conſuetudinem eorum inter quos vivimus. Vide hac de re quæſt. Text. primæ continuat. theſ. 10. 2. 4. Ait *Nec de vulneribus* intrinſecis *puta malo* fine *ſententiam ſibi unquam ſumſit. ſcitum eſt. De occultis non judicat Eccleſia.* Reſp. 1. Etiam de vulneribus *intrinſecis* ſententiam ſuam dixit ſynodus Zuythollandica, habita Goudæ anno 1640. art. 55. Vanitates enim externas quas ibi damnat, (inter quas quoque recenſetur abuſus capillorum virilium & muliebrium) indicia levium immundanorumque cordium vocat. 2. Neque prohibitum ne de *intrinſecis* vulneribus alterius judicemus, modo ne id temere fiat. Matt. 7. v. 15. 16. 17. 18. 19. 20. & 12. v. 33. 3. Aliud eſt de *intrinſecis* aliud de *occultis* judicare. Quia quæ homini *intrinſeca* ſunt, per ſigna, ut geſtus, verba, facta, manifeſta fieri poſsunt. 4. Quod ſi vir doctus ſentiat de *intrinſecis* vulneribus non eſse judicandum, quia de occultis non eſt judicandum, neminem pro impio, pro infideli, pro mendace habere poterit, ratio eſt quia impietas, infidelitas, mendacitas ſunt *intrinſeca* vulnera, quamvis ſe per fructus ſuos ſeſe prodant. 5. Quid reſpondendum ſit ad id quod dicit vir doctus de FINE malo, ex iis quæ præceſsere, haberi poteſt. 5. *Fateor* ait vir doctus *comam virorum ita* notabiliter *prolixam eſſe poſſe, ut ſcandalum generet, ſed ab audaci & ἀκεράῳ, imo impoſſibili determinatione brevita-*

tis capillorum & mutationis rei per se indifferentis *in rem* per se malam *non minus scandalum & majus periculum est*. Resp. 1. Fatetur vir doctus comam virorum ita *notabiliter* prolixam esse posse, ut scandalum generet; Sed quero ex eo, An prolixitas illa comæ scandalum generatura sit per se an per accidens? si prius dicat, utique fateri debebit, usum talis comæ per se illicitum esse, atque adeo ad nos transibit. Si posterius, quæro an sentiat, viris, ubi cessat ratio scandali nec tamen gravis necessitas urget, licitum esse intonsis esse capillis perinde ac mulieribus? item utrum sentiat, mulieribus licitum esse rasis aut tonsis esse capitibus. Quod si hoc affirmaverit vir doctus, affirmaverit quod hactenus à nullo theologo, nedum synodo affirmatum memini, quamvis id assertum sit *à viro humanioribus literis innutrito*. 2. Si coma virorum ita notabiliter prolixa esse potest, ut scandalum generet, quæro ubi subsistendum, ne scandalum prolixitate capillorum generetur. At silet hic vir doctus. Quod si loqueretur forte in capitali puncto nobiscum cõveniret, videlicet effusas illas virorum comas quæ hodie quibusdam in usu sunt, esse deponendas. Synodi enim eas scandalosas esse censent ut ostendi prolatis earum diataxibus quæst. text. 1. continuat. Thesi 10. 3. Reponit hic vir doctus crambem suam recoctam, hoc est determinationem quam Poimenandro affingit, atq; ita se se in latebras abdit, quibus se tutum credit. 4. Quero quid sentiat vir doctus de determinatione Cl. Polyandri μαχαίρα? damnantis capillos 1. adscititios ad ornatum assumtos. 2. Quoscunque frontem, genas, oculos, atque aliquam nasi mentique partem obtegentes, rationibus desumtis 1. à scandalo. 2. à natura membrorum illorum: inquit enim *ac si turpia & inhonesta corporis sui membra essent*. Vide judicium ejus de comę & vestium usu & abusu pag. 63. & 64. 5. petitio principii est notabiliter prolixas comas viriles in specie esse rem indifferentem. Si de indifferentia in genere loquitur vir doctus extra oleas vagatur 6. mutatio rei ex objecto & fine interno, imo sæpe etiam externo malæ, in rem per se indifferentem, ut scandalosa, sic etiam periculosa est, *Rogatum autem* (ait vir Cl.) *ex animo volo virum doctum an ipse ex eorum numero sit, quos hic (si recte eum capio) commemorat? 1. an comam prolixiore per se indifferentem, ratione autem scandali tantum refugiendam putet? Si ita sensit (quod non de nihilo mihi conjicere videor) in magno & capitali puncto hujus con-*

troversiæ ad nos accedet, & gaudium nostrum hac quoque in parte augebit.

Resp. 1. Quid ego sentiam de virorum cæsarie notabiliter prolixa, ubi nulla gravis necessitas eam postulat, luculente ostendi quæst. Text. primæ parte prima, ejusque continuatione & hoc ipso capite planum facio. Vellem gaudia viri docti esse quam cumulatissima, sed spero non ægre laturum cum, si ab ipso dissentiam in capite minime fundamentali, quandoquidem ipsi visum est, non tantum à me, sed etiam ab aliis dissentire. doleo certe hanc συμφαξιν incidisse, sed mihi ea imputanda non est. novit vir doctus se priorē in me & quidem nomine meo sæpius expresso (cum aliquam diu intermissę fuissent & quievisent Disp. meę de capillis) impetum fecisse, & sic mihi scribendi necessitatem quodammodo imposuisse; quandoquidem virum doctum rem acutetigisse non judicabam. 2. Nescio quonam fundamento nitatur conjectura viri docti de qua loquitur, ipse ubi libebit me ea de re certiorem reddet.

CAPUT V.

AN decisio negotii capillarīs etiam aliunde quam ex dicto Paulino peti possit? Judicium auctoris. Poimenandri. Cl. Riveti locus. Viri docti trepidatio. Tria ejusdem argumenta solvuntur. Responsio ejusdem ad argumentum quoddam auctoris ἀναιδόσδιόνυσον. De solutione viri docti ad loca alia, præter Paulinum, à Poimen. adducta, non edita; & ratione quare edita non sit. Spes viri docti.

„ PErgo ad thesin meam tertiam quæ hæc est. Sed misso sta-
„ tu controversiæ ad alia progrediamur. Ait ergo vir do-
„ ctus eadem disputatione totam decisionem controversiæ
„ capillaris pendere è sensu dicti Paulini 1. Cor. 11. 14. 15. At ego hoc
„ ei concedendum esse nego. Quamvis enim verissimum sit, posito
„ quod hic locus damnat prolixam illā virorum cęsariem de qua di-
„ sputatio est, prolixam illam virorum cæsariem esse illicitam, etiam-
„ si nullus alius locus in sacris literis se offerret, quo eadem illa veri-
„ tas probari posset, nego tamen etiamsi evictum foret (quod tamen
„ meo judicio nunquam fiet) locum illum non dicere, quod eum
„ dicere credimus, concedendum esse, falsum esse quod asseritur,
„ videlicet prolixam illam virorum cæsariem esse illicitam. Idem

cen-

censet D. Poimenander, cujus verba truncata hic afferuntur. Sic enim loquitur pag. 41. hic locus fundamentalis est in hac disputatione, & veluti cardo in quo disputatio hęc volvitur: quod si possim probare, locum illum pro me facere, vici, sin minus, alias me probationes adferre oportet. Ostendit quippe Poimenander verbis hujus loci posterioribus, etiamsi evictum foret, locum illum pro se non facere, se tamen de victoria non desperare. Hinc factum videmus, ut non tantum ex hoc loco, sed etiam aliunde, thesin suam probare studuerit. Quando ergo ait locum illum fundamentalem esse: Item eum esse quasi cardinem in quo disputatio tota volvitur, nihil aliud sibi voluit, quam hunc locum suo judicio esse palmarium & prȩcipuum, & ad quem sępius in disputatione de capillis recurrendum sit, quamvis etiam reperiantur alii qui robore non careant. Progreditur vir doctus ad considerationem loci illius nobilis & prȩcipue de tribus quęri ait 1. Quid apud Apostolum sit natura. 2. Quid sit comatum esse. 3. Quid dedecus? de singulis illorum in sequentibus agit. Quantum ad primum varias vocis naturæ interpretationes enumerat, plęrasque rejicit, paucas approbat. Videamus autem quam solide. Primo ait D. Poimenandrum dicere naturam significare legem naturæ, & aserere, si vir comam summittat id esse contra legę naturę, item contra vel supra vel prȩter naturalem usum capillorum virilium. Poimenandro jungit. Borstium. Addit prȩterea dialogistam asserere esse qui dicăt comam prolixam intrinsecam habere malitiă. Ipse vero probare nititur 1. Nō esse necessarium ut natura hoc loco significet legem naturæ. 2. non posse natură eodem loco significare legem naturę. 3. male dici prolixas virorum comas intrinsecă malitiam. Primum sic probat quia non sequitur, etiamsi natura alibi significat legem naturæ, ideo necesario hoc loco naturam ita accipiendam. 2. Quia non quæcunque quoque modo contra vel prȩter naturam, aut naturalem usum alicujus rei sunt, illicita sunt.

Ad hæc vir Cl. ait 1. *Misso statu controversiæ ad alia vir doctus thesi 3. progreditur. ac primum ad id quod dixi disp. 1. thes. 4. tota hujus quæsiti decisio, nostro judicio, pendet è sensu dicti Paulini 1. Cor. 11. 14. 15. Negat id mihi concedendum esse, & alia etiam loca reperiri innuit, quæ robore non careant. Idem sentire Poimenandrum addit, cujus verba*

verba à me truncata afferantur &c. Resp. plane ita censeo etiam alia loca reperiri, ex quibus decisio controversiæ capillaris peti possit. Me autem recte sentire. quæst. text. 1. part. 1. ejusque continuatione demonstratum esse confido. Addidi quoque Poimenandrum idem mecum judicare; merito autem me id addidisse mox patebit. Pergit: *Resp.* 1. *Meam sententiam hic proposui, ideo adjeci* nostro judicio *& adjeceram in* M S. *me censere nullum locum in S. literis occurrere qui de eadem re agat, de qua hic Apostolus. Hoc brevitatis causa omisi, sed sententiam non muto.* Resp. 1. Sententiam meam sententiæ viri docti opposui, ut quam loco paulo ante indicato probaveram. 2. Facile credo adjectum fuisse in M S. quod adjectum ait, sed quam recte adjectum fuerit quæritur, præsertim cum sciret vir doctus non tantum Poimenandrum, sed & me ex aliis locis sacrarum literarum ad quæ nihil respondit, decisionem hujus controversiæ petivisse. 3. In me situm non est ut sententiam tuam mutes, existimo tamen à me talia in medium esse adducta, (quæ nullo modo ignorare potuisti, licet ea præterieris, atque etiamnum prætereas) quare sententiam tuam mutare debeas. 4. Addit. 2. *Verba Poimenandri eatenus excavi, quatenus idem mecum sentit. Nam quæ me omisisse ait, talia sunt, ut trepidationem quidem Auctoris innuant, circumspicientis sibi jam tum de aliis causæ suæ præsidiis, si forte contingat hunc locum sibi de manibus excuti, sed eum etiamsi evictum foret locum illum pro se non facere, tamen de victoria non desperare, quod asserit vir doctus, nec Poimenander dicit, nec ego credo.* Resp. idem cum viro docto Poim. sentire in re de qua quæstio est, nunquam probabit vir doctus, nec ego credo. 2. Nihil erat cur trepidaret Poimenander. Nunquam enim credidit fore, præsertim inter reformatos Theologos, quos adversarios experturus esset, ut qui redargueret populari scripto, vanitates quas à Synodis nostris, damnatas sciret. Et locus Paulinus quo potissimum nititur in oppugnandis illis vanitatibus, ita manifeste ipsi favet ut Clariss. Rivetus inter alia, in epistola quadam gallico idiomate conscripta, de sensu loci illius dicat: *C'est chose honteuse à la femme d'estre tondue*, par l'enseignement de nature *qui luy à pourveu de ceste couverture, par l'humidité de son cerveau. C'est chose aussi honteuse à l'homme*, par l'enseignemēt de nature de nourrir des grands cheveux comme s'il vouloit renoncer à son privilege, & se rendre effeminé,

Dieu

Dieu luy ajant donné un autre ornement distinctif en sa barbe. En somme comme la loy *ne veut pas, que l'homme prenne l'habit de femme, ni au contraire : auſſi veut la meſme* loy *conforme à* la nature *que l'homme marche la teſte levée, & qu'il ait notable diſtinction entre l'homme & la femme*, Meſme pour les cheveux. 3. Si jam tum Poimenander *circumſpiciebat ſibi de aliis cauſæ ſuæ præſidiis*, utique dari credidit, at-
„que adeo verum eſt quod à me aſsertum fuit, nimirum, *oſtendere*
„*Poimenandrum verbis loci* de quo agimus *poſterioribus, etiamſi evictum foret, locum Paulinum pro ſe non facere, ſe tamen de victoria non deſperare.* 4. Poimenandrum id dicere quoad ſenſum etiam inde probavi, videlicet, quod Poimenander non tantum *ex loco Paulino*, ſed etiam *aliunde* id eſt ex aliis ſcripturæ locis *theſin ſuam probare ſtuduerit*, ut liquet ex pag. 164. & ſeqq. aliquot libelli ipſius de Abſalomi coma. Abſurdiſſimus enim fuiſset Poim. ſi ex ſolo dicto Paulino ſententiam ſuam probari poſse putaſset, & tamen eam etiam ex aliis ſcripturæ locis confirmare ſtuduiſset. Hæc ratio talem trepidationem peperit viro docto, ut ad eam nihil quod ad rem faceret, ut poſtea patebit, reſpondere potuerit.

Pergit, *Imo contrarium liquido ex ejus verbis poteſt colligi. Ait enim, hic locus fundamentalis eſt in hac controverſia, & veluti cardo in quo tota diſputatio volvitur. At everſo* fundamēto, *quomodo ædificium ſe ſuſtinebit? Effracto* cardine, *quomodo non janua humi procumbet? ſublato eo in quo tota diſputatio volvitur.* Nihil *diſputaiori reliquum eſt quo ſe tueatur.* Reſp. ad 1. nuſquam dicit Poim. hunc SOLUM locum eſse fundamentalem, aut TOTUM FUNDAMENTUM hujus controverſię, periit ergo prima viri docti conſequētia. poſsunt enim unius ejuſdemque controverſię plures eſse loci fundamentales, ſicuti unius ejuſdemque ædificii plures lapides fundamentales eſse queunt. Nec mox corruit caput aliquod doctrinę ubi locus aliquis, qui fundamentalis eſse creditur de manibus excutitur, ſi modo alii non deſint quibus id firmetur: ſicuti quoque mox ædificium non corruit, ſi unus fundamentalium lapidum tollatur, modo alii non deſint qui id ſuſtineant. Ad 2. non dixit Poim. locum hunc eſse SOLUM aut unicum cardinem in quo TOTA hęc diſputatio volvitur. Concidit ergo etiam altera viri docti conſequentia. Nam unius januæ plures eſse poſsunt & plærumque ſunt cardines, in quorum ſingulis janua tota

volvitur, nec effracto uno cardine ubi plures sunt, mox janua humi procumbit. 3. Certe sublato eo in quo SOLO tota disputatio volvitur, NIHIL disputatori reliquium est quo se tueatur, minime vero sublato eo in quoquidem sed non solo tota disputatio volvitur. Nã ut janua quę TOTA in singulis cardinibus volvitur, mox non concidit, uno eorum sublato, sic etiam disputatori, cui aliquid perit eorum in quo TOTA disputatio volvitur, mox non adimitur omne id quo se tueatur, modo aliud supersit quo se defendat. At nusquam dixit Poimenander in SOLO dicto Paulino totam suam disputationem volvi. Concidit ergo etiam tertia viri docti consequentia, adeoque patet non modo non *liquido* sed ne quidem obscure, quod vult, ex verbis Poim. colligi, ipsique NIHIL supereese quo se tueatur.

Progreditur: *Et certe licet multum concedat vir doctus cum dicit Poimenandrum velle, hunc locum esse*, palmarium & præcipuum, & ad quem sæpius in disputatione de capillis recurrendum sit, *plus tamen dicit Poimenander, ut patet verba ejus attente legenti.* Resp. 1. Concessi quantum concedendum videbatur, si tamen liberalior fui in concedendo quam oportebat, vir doctus hoc in lucro ponat. 2. Verba Poimenandri attente legenti, & cum iis quæ pag. 164. & seqq. Scripti Poimenandriani exstant conferenti, minime patebit, quod vir doctus patere, ait, sed contrarium. Addit, *fateor eum.* Poim. scilicet, etiam aliunde thesin suam probare studuisse, *ut ait vir doctus, sed eorum solutionum, cum disputationem conscriberem, studiosorum συμπάξει reservavi, & ab aliis jam refutata erant.* Resp. 1. Nihil hic quod ad rem faciat, ut supra monui, vir doctus respondet. Nam non quærebam ego quam firma essent loca illa quæ Poimenander pro thesi sua, præter Paulinum illum adducit, (neque enim necesse erat ut id fieret, quia ea nec à viro docto oppugnatà fuerunt, nec ego in me suscepi defensionem omnium eorum quæ Poimenander scripsit.) sed quæstio erat num Poim. cum ait: *hic locus fundamentalis est in hac disputatione, & veluti cardo in quo tota hæc disputatio volvitur. Quod si possim probare, locum illum pro me facere vici*, significet, ut vir doctus vult, è solius dicti Paulini sensu pendere decisionem controversiæ capillaris, quod à me negatum fuit. 1. Quia mox sequitur apud Poim. *Sin minus, alias me probationes adferre oportet.* 2. *Quia aliunde* id est ex aliis scripturæ locis *thesin suam* Poim. *probare studuit.* Licet ergo

ergo omnia quæ poſtea adfert Poim. ſcripturæ loca, de manibus ipſius excuti poſsēt, & à viro docto in προφάσει ſtudioſorum oſtenſum fuiſset, ea pro Poim. nihil facere, nullo tamen modo argumentum meum, quo probo male interpretatum eſse virum doctum verba Poim. refutatum foret. 2. Solutionem, de qua loquitur vir doctus, vellem nobis non invidiſset; nam forte inde habuiſset Poimenander, quod emendaret, & nos quod diſceremus. Nunc autem quia nobis non licet eſse tam beatis ut ea fruamur, nihil reſtat, niſi ut inutilem ad rem de qua agitur eſse doleamus. 3. Si nobis indicaſset vir doctus à quibus, & quibus locis refutata ſint, quæ refutata ait, collationem inter Poimenandrum, eoſque qui loca ab ipſo præter Paulinum illum allata confutavere, inſtituere potuiſsemus; quoniam autem id non facit, an recte, illa refutata eſse dixerit, adeoque an juſta cauſa fuerit quare à refutatione eorum ipſe abſtinuerit, judicare non poſsumus. 4. Si propterea abſtinuit vir doctus à refutatione eorum quæ *aliunde* petivit Poimenander, ad theſin ſuam confirmandam, quia ab *aliis* refutata erant, quid cauſæ fuit cur refutare, niteretur eundem ex loco Paulino arguentem? quod ſi dicat id à ſe factum, quia cœtera quæ Poimenander pro ſe adfert, ab adverſariis bene ſunt refutata, male autem, quæ ex loco Paulino adducit: videndem erit Poimenandro, ſi ita libuerit, ut ſeſe adverſus priores defendat, nobis vero cum Poimenandro incumbit, ut viro docto gratias agamus pro ingenuo de poſterioribus judicio, nimirum quod cauſam male defenderint. Quod ſi hic erro, revocet vir doctus me in viam: ſi recte ſentio, ea de re moneat populum Chriſtianum. Nam non magis populi Chriſtiani intereſt, ut moneatur, ne Poimenandrum, quam ne alios errantes ſequatur.

Addit deniq; *Me quod attinet, ſi hunc locũ, velut Herculi clavam, adverſario (ut ſpes eſt) extorſero, quin tela reliqua ſponte abjecturus ſit, nullus dubito. Itaque hoc agamus.* Reſp. Quanta ſit ſpes viro docto me latet, attamē quantacunq; ſit, plane confido (licet meę tenuitatis mihi probè ſim conſcius,) eum nunquã aſsecuturum (ſi modo me adverſarii nomine deſignat) id quod ſe ſperare aſserit. 2. Quamvis ſe ſpei plenum eſse ſignificet vir doctus, ſimul tamē etiã confeſſionē metus prodit. Quid enim aliud ſibi vult quod ait de clava Herculi extorquenda? niſi forte ſe plus quam herculeis eſse viribus confidat. 3.

Quod si vir doctus assequeretur id de quo sibi spem esse ait, ego autem eum nunquam assecuturum credo, reliqua, quæ aliunde quam ex loco Paulino attuli tela, me sponte abjecturum frustra sibi persuadet. Sed videamus quam feliciter *hoc agat*, quod agendum in se suscipit.

CAPUT VI.

CRiminatio viri docti de detractione, dissimulatione, additione auctoris. Simulatio & dissimulatio quotuplex? Jus auctoris. Viri docti omissiones. Injuria Poimenandro & Borstio à viro docto facta. τὸ & cætera, viri docti excutitur. Judicium viri docti. Sententia auctoris de variis & inter alia de barbis aperitur; de unguibus promittitur. Postulata quædam auctoris de quibusdam casibus conscientiæ. Detracto viri docti. Ejusdem prædicata sine subjecto. Apagoge.

PErgo itaque ad examen capitis secundi quod vir doctus à criminatione orditur. *Monueram* inquit vir doctus, *thes. 6. ad dictum Pauli præcipue quæri, quid apud eum sit* natura? *quid comatum esse?* quid *dedecus? quantum ad primum, Inter significationes naturæ primam dixi adduci quæ per eam* legem naturæ *ait* denotari. Ita *Poimenander (cujus multa in eam sententiam loca citavi thes. VI.) ideoque virum comam submittere esse contra legem naturæ, contra, supra vel præter naturalem usum, quemadmodum scelera illa quæ recensentur Rom. 1. 26. 27. Licet quod alibi additur gradu dispari. Esse contra naturæ ordinem quem tamen bestiæ observent, (ex Borstio) habere tales comas intrinsecam malitiam, neque solas comas hanc censuram ferre, cum & barbam radere, & ungues alere, eidem legi naturæ repugnare dicat Poimenander, ib. Quod & citatis ex illo locis probavi.* Resp. Refert; vir doctus fideliter partem theseos suæ V. Et thesin sextam, loca tamen ibi citata non repetit. Sed forte hoc brevitatis causa ab ipso factum est: quamvis si suspicionibus indulgere quis vellet, ut vir doctus se illarum passim fæcundissimum esse ostendit, dicere posset, propterea hoc factum esse, quia quædam eorum quæ citantur parum appositè citantur. *Hæc mea ita* inquit *recenset vir doctus* Thes. III. *primo ait Poimenandrum dicere naturam significare legem naturæ, & asserere, si vir co-*

mam

mam submittat, id esse contra legem naturæ, item contra, supra vel præter naturalem usum capillorum virilium. Poimenandro jungit Borstium. Addit præterea dialogistam asserere, esse qui dicant, comam prolixam habere intrinsecã malitiam. Resp. Hæc mea esse agnosco, produxiq; cap. præcedenti, cum recitarem thesin meã tertiam. Audiamus ergo quid in hisce carpat. Ait ergo me peccare *detrahendo & addẽdo.* Detrahendo, quia ut ait *dissimulo illa maximi momẽti, quibus Poimenander specificat quomodo comã prolixã censeat esse contra naturam. Nempe* QUEMADMODUM SCELERA ILLA quę recensentur Rom. 1. 26. 27. *Item Borstiana illa, contra naturæ ordinem* QUEM TAMEN & BESTIÆ OBSERVENT. *Item de barba & unguibus, quibus eandem quam comis legem poni statuit.* Resp. 1. Simulatio & dissimulatio est vel proprie vel improprie dicta. Quoniam autem vir doctus me dissimulare ait, velim indicet, utro sensu me *dissimulare* dicat, ut si de proprie dicta dissimulatione loquatur, mihi injuriam fieri pateat. Si vero de improprie dictâ, ipse me purget. Nam *simulatio & dissimulatio* proprie dicta, est in factis quod mendacium in verbis. 2. Certe prętervi loco dicto quæ à me pręterita ait. Sed nihil in eo à me peccatum fuit. Quis enim mihi legem posuerat ut examinarem omnia, quæ vir doctus aliis sive vero sive falso attribuit? 3. Ipse vir doctus, plurima de quibus in diatribe mea disputavi silentio prætereiit; nec tamen, opinor, fatebitur se, *dissimulatione* præsertim proprie dicta, peccasse. 4. Ait vir doctus præfat. libert. christ. se percurrisse, antequam disputationes de coma conscriberet, omnia quæ de causa capillari ad manus suas pervenissent. At in iis comparent plurima & MAXIMI quidem MOMENTI, quæ tamen non attigit: qualia sunt: An cessante scandalo, consuetudine id permittente, nec ulla necessitate id poscente, licitum sit, viris comas intonsas gerere; mulieribus vero eas tondere aut radere? prętera an capillis assititiis uti fas sit? porro an capillos tingere; pulveribusque exoticis (prout multis nunc in usu est) inspergere inter indifferentia habeat? Adhæc an scandalosa sit nec ne, nutritio comarum virilium quam synodi nostrates damnavere: & dimissio comarum muliebrium per genas, quam eædem Synodi improbaverunt? Denique An licitum sit capillos calimistris inflectere & in cincinnos componere? Hæc enim aliaque similia occurrunt in scriptis eorum qui nuper de coma scripserunt, quæ sine dubio ad manus viri docti

pervenerunt. Nam vidit utique vir doctus Epistolam Clarissimi Riveti de loco Paulino: nec non Epistolam Celeberrimi Salmasii de coma; & denique diataxes Synodorum nostratium utpote quas fideliter exhibui in diatribe mea quęst. text. 1. part. 1. contin. thes. 10. Quod si ergo ipse hæc & alia iis similia præteriit, cur me *detractione* peccasse & *dissimulasse* dixit? quia quędam eorum quæ thes. 6. disp. 1. adducit, & quę ab aliis dicta dicit, non exhibuerim. Neque enim dicet opinor hęc esse parvi *momenti*, & de quibus populum Christianum moneri non oporteat. 5. Præstitisset virum doctum ab hac accusatione abstinuisse. Etenim dum eam movet, mihi imponit necessitatem, 1. ipsi rursus objiciendi, quod Poimenandro impingat, (quamvis ut ait, sit res maximi momenti) quod ab ipso nunquam dictum fuit. Inquit enim thesi dicta, ut & libert. Christ. pag. 19. & hoc loco, & alibi, eum dicere *virum comam submittere esse contra legem naturæ, contra, supra, vel præter naturalem usum*, quemadmodum scelera illa, quæ recensentur Rom. 1. 26. 27. Vt autem hoc probet adducit scripti Poim. pag. 157. At quam ab omni specie veritatis alienum sit quòd Poim. objicit, & quam nihil pro ipso faciat, quod loco illo Poim. continetur, supra cap. 4. à me ostensum est. 2. Lectorem monendi, quod verba Borstii fideliter non adducat, cum ait eum dicere: *virum comam summittere esse contra ordinem naturæ quem tamen & bestiæ observent*, quasi videlicet Borstius, viros comam submittentes, hac in parte ipsis bestiis deteriores statuat. Nihil enim tale aut quoad verba aut quoad sensum Borstius dixit. Verba quibus usus est conc. pag. 59. hæc sunt: **De Beesten houden de Ordre der nature, een Oyevaer onder den Hemel / weet sijne gesette tyden / een Tortelduyve / een Kraen / een Swaluwe / nemen den tyt haer aenkomste waer: maer Gods volck en weet** Het Recht **des Heeren niet.** Ierem. 8. 7. **Menschen met reden en verstant begaeft / weten de** leeringe der nature **niet / ende doen tegen de selfde / onteerende haer eygen hooft / ende en letten niet eens op den tyt der waerschouwinge.** Nusquam hic Borstius ait, quod ab ipso vir doctus asservum dixit. Bestias ait Borstius, ORDINEM NATURÆ servare juxta dictum Ieremiæ: homines vero ait nescire IUS DEI, & DOCUMENTUM NATURÆ. Esse autem *jus hoc Dei & documentum naturæ, ordinem quem observant bestiæ* non dicit. Nisi forte etiã velit vir doctus Ieremiam querentẽ de populi im-

pœ-

pœnitentia aſserere jus Dei quod neſcire populum ait, idem eſse, cum ordine quem obſervarent beſtiæ de quibus loquitur: aut documentum quodque naturæ idem eſse cum ordine quem obſervent beſtiæ, atque adeo Apoſtolum cum ait: *An ne natura quidem ipſa vos docet*; nos relegare ad beſtias, & velle ut obſervemus ordinem naturæ *quem & beſtiæ* obſervent. 6. Neſcio quid ſibi velit illud *&c.* Viri docti de rebus *maximi momenti, loquentis*: quum ait: *Quia diſſimulat illa maximi momenti quibus Poimenander ſpecificat, quomodo comā prolixā cenſeat eſse contra naturam &c. Nempe quemadmodum ſcelera illa quæ recenſentur.* Rom. 1. 26. 27. Forte vidit vir doctus quæ tribuit Poimenandro, etiam Cl. Voetio à ſe impingi, ut quem jungit Poimenandro, illius verba huic adſcribens, ſicuti liquet conferenti pag. 337. ſcripti Poimenandri, cum theſi viri docti; & ſenſit haut bene a ſe factum, ideoque compendioſa ſcribendi ratione ſibi utendum putavit. 7. Miror virum Cl. hic quoque inter illas res maximi momenti non ponere quod de *gradu diſpari* theſi ſua nobis exhibet. Sine dubio, ut quo loco id à Poim. diceretur, cum theſes ſuas ſcriberet, invenire non potuit, ſic & nunc id ipſum ubi invenerit, indicare non potuit. 8. Mirandum quoque quod hic non expreſserit inter res maximi momenti quod ex dialogiſta de *comarum intrinſeca malitia* theſi dicta citavit, cum tamen carpendum duxerit, quod barbarum & unguium non meminerim. ſorte vidit, teſtimonio dialogiſtæ, utpote adverſarii, ſibi amplius nitendum non eſse. 9. Præterea quæ habet de *raſura barbarum & unguium nutritione* propter rationem mox adferendam. *Quæ omnia* (Inquit vir Cl.) *Virum doctum præſertim illa Poimenandriana omiſiſſe brevitatis cauſa, in animum meum non poſſum inducere ut credam, ſed potius quod ea mecum improbaret. Id quod optarem clarius ex eo intelligere, ut amica ejus in multis quæ hoc argumentum ſpectant, conſpiratio magis hinc magiſque eluceſceret, & hujus controverſiæ deciſionem faciliorem redderet.* Reſp. 1. *Si judicare de fine quem ſibi quiſque in agendo proponit, eſt tribunal Dei* κατ᾽ ἐξοχήν *conſcendere*, ut vir doctus ait pag. 20. libert. Chriſt, *hic conſcendit* vir doctus *tribunal Dei* κατ᾽ ἐξοχήν. nam non magis homini patet cauſa interna alterum ad agendum aut omittendum impellens, quam finis quem ſibi aliquis in agendo propoſitum habet. 2. Quid de Poimenandrianis, addo & Borſtianis ſentiam nunc expoſui, videlicet virum

rum doctum tam Poimenandro, quam Borstio injuriam facere, Poimenandro quidem cum illi tribuit, quod dixerit, *virum comam submittere, esse contra legem naturæ, contra, supra, vel præter naturalem usum* QUEMADMODUM SCELERA ILLA QUÆ RECENSENTUR. Rom. 1. 26. 27. Borstio vero cum ab ipso scriptum ait, *virum comam submittere esse* CONTRA NATURÆ ORDINEM quem tamen & bestiæ observent. 3. Quid sentiam de *intrinseca malitia talium comarum* de quibus vir doctus loquitur etiam aperui, non tantum in diatribe mea de capillis, sed etiam hujus tractatus cap. 4. 4. Quid de barbis sentiam quæst. text. 1. part. 1. contin. thesi 9. aperui, & in progressu hujus scripti ut & de unguibus, iterum indicabo. 5. Quandoquidem vir doctus ait se optare ut clarius quid sentiam de iis de quibus locutus est, explicem, vicissim ab eo peto, ut clare mihi explicet, utrum ubi nullum est scandalum nec ulla necessitas id postulat, viris licitum sit, intonsos capillos gerere, mulieribus vero attonsos aut etiam rasos? 2. utrum statuat, licitum esse, uti capillo adscititio, ut multi nunc faciunt nec ne? 3. an licitum censeat, capillos tingere, & pulveribus exoticis inspergere. 4. An scandalo carere judicet nutritionem capillorum virilium, & dimissionē muliebrium per genas, à synodis damnatam? 5. An statuat licitum capillos calamistris inflectere, & in cincinnos componere; nimirum *ut amica ejus in multis quæ hoc argumentum spectant, conspiratio magis hinc magisque eluceat, & hujus controversiæ decisio facilior reddatur.* Addo etiam, ut populus Christianus moneatur.

Hactenus actum de iis in quibus vir doctus me *detrahendo* peccasse & *dissimulasse* dixit; videamus nunc an *addendo* uti ait, à me peccatum fuerit. Dicit ergo vir Cl. *Addendo dixi peccare virum doctum, quia illis meis, contra vel supra, vel præter naturalem usum adjicit, capillorum virilium, & fateor quidem τὸ capillorum inveniri loco citato ex Poim. pag. 337. vel potius 338. (quo etiam respexi thes. 7. in illis quæ contra vel præter naturalem usum* ALICUIUS REI *fiunt, sed τὸ virilium ibi non reperitur. Contra quæstio ad quam ibi respondetur, est tam de viris quam mulieribus. & solutio petitur, ex usu naturali capillorum. Unde tam his quam illis posset accommodari, si quid haberet solidi hoc argumentum, quod esset contra ejus auctorem quod perspicuum est.* Resp. 1. Me non peccasse addendo ipsa thesis 6. de qua disputamus clamat. Nam ea sic sonat, *inter significationes vocabuli* NATURÆ *apud Paulum, prima addu-*

adducitur, quæ per eam LEGEM NATURÆ *ait denotari. Ita Poim.* p. 42. 48. 49. 52. 53. 56. 58. 76. 100. 115. 149. 157. 162. 177. 185. 186. 188. 190. *Ideoque* VIRUM *comam submittere, esse contra legem naturæ.* ibid. passim contra, *supra vel præter naturalem usum. pag.* 337. *Quemadmodum scelera illa quæ recensentur* Rom. 1. 26. 27. p. 157. licet &c. certe, nisi vocabulum VIRI utrumque sexum denotet, non potest vir doctus dicere me *addendo* peccasse; sed se ipsum detrahendo peccare necesse est ut agnoscat, cum ipse negat in thesi sua esse, quod revera in ea comparet, nec in repetitione ejusdem pagina præcedente, nimirum libert. 24. omissum est. Nam non dicet opinor se quidem dixisse Poimenandrum asserere VIRUM *comam submittere esse contra legem naturæ*, sed minimè addidisse, VIRUM comam submittere *esse contra, supra vel præter naturalem usum*; Nam alioqui ipsi negandum erit verbis VIRUM COMAM SUBMITTERE contineri commune subjectum, eorum quæ sequuntur, in quibus etiam est *τὸ contra*, supra, *vel præter naturalem usum*: adeoque fatendum, se inepte esse locutum, cum nullum aliud *subjectum* præcedat, cui *τὸ contra, supra, vel præter naturalem usum*, attribui possit: & absurdum sit prædicata sine subjecto fingere. Non dubito viro docto scribendi fervore abrepto, hanc criminationem excidisse, sed monitum eum volo, ut in posterum, si rursus animum ad scribendum appellat, sedatiori sit animo ne dum me impetit, se ipsum feriat & lædat. Non feret ægrè vir doctus, se à me moneri; quoniam in hoc scripto quod refuto, aliquoties sibi me monendum duxit, & Christianum est, bene monenti facilem accommodare aurem. 2. Aliena est objectiuncula quam sibi format vir doctus cum ait, *& fateor quidem τὸ capillorum* &c. Nam ego non respexi ad Poim. sive alium quencunque quem ille producit, sed ad verba Theseos viri docti. Verba mea sunt: *progreditur vir doctus ad considerationem loci illius nobilis, & præcipue de tribus quæri ait.* 1. *Quid apud Apostolum sit natura?* 2. *Quid sit comatum esse?* 3. *Quid dedecus? Quantum ad primum varias vocis naturæ interpretationes enumerat, plerasque rejicit, pauculas approbat. Videamus autem quam solide. Primo aut Poimenandrum dicere, naturam significare legem naturæ & asserere si* VIR COMAM SUBMITTAT. *id esse contra legem naturæ, item contra vel supra vel præter usum capillorum virilium.* Itaque hæc apagoge est, Ait quidem

dem se respexisse ad Poim. pag. 337. aut potius 338. Sed 1. Quid hoc ad me? Nam non arbitror mihi refingendas ejus theses, ex iis ad quæ sese respexisse ait. Theses ipsas secutus sum; si aliter scripsit, ac respiciendo sensit, errorem suum agnoscat, non me *addendo* peccasse dicat. 2. Fallitur vir doctus, cum ait, loco ad quem respexit, & unde verba de quibus disputamus, deprompsisse videri vult, agi de capillis virorum & mulierum. Nam quamvis Thesis Voetii de utrorumque capillis loquatur; ratio tamen ejus secunda quam sugillat vir doctus, tantum de capillis virilibus agit: adeoque tantum allata est, ad partem theseos, quatenus spectat capillos viriles, confirmandam. Nam nec habitus ille capillorum de quo ibi sermo est, mulieribus, saltem apud nos, in usu est: nec vestis illud genus cujus ibi mentio fit (**mambaeys**) mulierum est, sed virorum.

CAPUT VII.

VIndicatur responsio Auctoris data ad 1. arg. Viri docti contra significationem legis naturæ, vocis naturæ in dicto Paulino. An Poim. nulla ratione addita dixerit naturam in dicto Paulino significare legem naturæ? quod falsum esse probatur. Duo argumenta à viro docto pro Poim. cusa, rejiciuntur. Aliud affertur, quod monstrosum non esse probatur. Et si monstrosum esset, virum doctum monstrum peperisse ostenditur. Ut vox aliqua hoc aut illud loco aliquo significare possit, duo necessaria. Criminatio viri docti depellitur. Dilemma ejusdem evertitur. Eidem dilemma reponitur. Veritas quomodo propugnanda. Laudatio Poim. Quid inde sequatur.

INgreditur vir doctus pag. 26. *libert.* suę *Christ.* examen eorum, quibus quæst. Text. Primę parte 3. Thes. 4. & seqq. aliquot ad partes vocavi rationes ipsius quibus probare nitsus est, 1. Non esse necessarium ut vox *naturæ* in dicto Paulino significet legem *naturæ* 2. Non posse ibidem vocem illam significare legem naturæ. Quantum ad primum; duplici se argumento hoc probasse ait vir doctus; primumque tale fuisse inquit. *Neque enim sequitur. 1. si alicubi natura significat naturæ legem (demus hoc) ideo & hic eam denotare.* Resp. Sane hoc argumentum vir doctus attulit. „ Sed sic à me ipsi responsum fuit. Dico si adversariis quidvis tribu„ ere licitum est, facilem esse victoriam. Concedēdum enim est non „ probari necessarium esse, ut quia natura aliquando significat legem

» gem naturæ, hic vox naturæ, ea significatione sumenda sit: sed sic
» non memini solitos argumentari eos quos hic auctor impugnat.
» Sed probant naturam in sacris literis nonnunquam significare le-
» gem naturę ut ostēdant vocē hāc eo significatu, loco de quo dispu-
» tatio est, sumi posse, nisi quid aliud obstet, quo cōpellātur, ab eo re-
» cedere. An autem tale quid adferat auctor hic, mox videbimus. Ad hæc vir doctus nunc ait: *Vt argumentum nostrum perspicue intelligatur, ita habendum. Poimenander ut comā prolixam cōtra legē naturæ esse doceat passim vocem naturæ à Paulo hic usurpatam pro argumento adducit:* IDQUE TAM SECURE & NULLA ADDITA ratione *cur alterum ex altero sequatur, ac si duo hæc vocabula essent prorsus æquipollentia, videantur loca ex Poim. adducta, Thes. Nostra* VI. *Quod cum sit μέγα λίαν ἄτοπον* rimatus *sum an saltem aliquid Συλλογιστικὸν lateret in hoc argumento adversarii. id necessario vel tale esset: Quod semper significat, legem naturæ id hic etiam eam significat. Natura semper &c. & sic negaretur minor. Vel tale quod nonnunquam significat legem naturæ, etiam hic. Natura &c. Ergo, & sic negatur major etiam à viro docto, unde apparet argumentum Poimenandri vel à falso procedere, vel ab inconsequentia, ac proinde nullius valoris esse.* Resp. Argumentum quo vir doctus usus est optime capio, adeo ut hac explicatione opus non fuerit. 2. Explicando argumentum suum nunquam efficiet, ut eo usum esse Poimenandrum evincat. Demus enim eum vocem naturę à Paulo hic usurpatam sæpius attulisse, ut doceret comam virorum prolixam esse contra legem naturæ: negamus tamen, id ipsum fecisse *Tam secure & nulla ratione addita cur alterum ex altero sequeretur, ac si hæc vocabula essent prorsus æquipollentia.* Nam Poimenander non tantum dixit vocem *naturæ* hoc sensu à quibusdam viris magnis hoc loco accipi, sed etiam quatuor rationibus probare nisus est pag. 157. (quæ etiam comparet inter loca ad quæ remittit nos vir doctus disp. 1. thes. 6.) libelli sui, vocem naturæ hoc loco ita esse sumendam. Non quæro nunc an rationes eæ validę sint nec ne, hoc tantum dico, falsum esse Poimenandrum fecisse, id quod ipsum fecisse dicit vir doctus *tam secure & nulla ratione addita, cur alterum ex altero sequatur, ac si duo hæc vocabula essent prorsus æquipollentia.* Quoniam autem falsum est quod falsum esse diximus, periit omnis RIMATIO viri docti, & neu-

trum argumentum quod cudit, Poimenandro tribui potest: sed utrumque pro commento viri docti habendum est. Pergit, *Cui ut fulcrum subjiciat vir doctus in hunc modum id transformat. Quod non-nunquam significat legem naturæ, id eo significato hic sumi potest, nisi aliud quid obstet, natura nonnunquam significat legem naturæ. Ergo eo significato hic sumi potest nisi quid aliud obstet. Ostendat mihi vir doctus si potest hunc syllogismum in universo tractatu Poimenandri. Si non potest, fateatur τὸ esse in posse, & categoricam enunciationem in hypotheticam à se mutatam esse.* Resp. 1. Fulcrum non subjeci argumento aut argumentis Poim., sed quæ vir doctus protulit, conficta, minime autem à Poimenandro usurpata esse jam probavi. 2. Non fuit usus Poimenander argumento, vel argumentis viri docti ut transformatione opus fuerit. 3. Methodum qua Poimenander utitur, indicavi. 4. Argumentum quod me tribuisse dicit vir doctus Poimenandro colligitur ex pag. 157. libelli ejus. Nam postquam dixisset viros quosdam præstantes loco de quo disputatio est, vocem naturæ accipere pro *lege naturæ*, adducit Rom. 1. v. 26. 27. ubi derivatum vocis illius eadem significatione sumatur. Non adducit autem locum illum ut probet in dicto Paulino vocem naturæ necessario ita sumendam; Nam 1. id *viri eruditi* non foret, ut qui pag. 158. & 159. fatetur vocem naturæ plures habere significationes. 2. Paulo post quatuor rationibus id necessarium esse, probare nititur. Adducit ergo vocem illam ut ostendat eam in dicto Paulino ita sumi posse, *nisi quid aliud obstet*, id est nisi aliud quid fit in textu apostolico, aut circumstantiis ejus, quod significationem illam vocis naturæ eo loco non esse admittendam doceat. Probare vero nititur non esse *aliud quid quod obstet*; immo vero esse quod significationem illam poscat, quatuor illis rationibus quarum jam mentionem feci. 5. Etiamsi ego ostendere non possem syllogismum illum in universo tractatu Poim. minime tamen *mihi fatendum erit τὸ esse in posse & categoricam enunciationem in hypotheticam* à me mutatam esse, nisi probaverit vir doctus Poimenandrum, si syllogismo quem me ipsi tribuere dicit, usus non fuerit, alterutro eorum quos ipse illi affingit usum esse, vel uti debuisse. At hic deficit vir doctus ut ex præcedentibus patet. Sequitur apud virum doctum: *Probat enim è voce naturæ Poimenander eas illos prolixos esse contra legem naturæ, quia sunt contra naturam, non ac-*

cessu

tem ita monstrosum syllogismum procudit, ut is quem ei attribuit vir doctus. per quem si totus concedatur non tamen assequitur quod intendit, & qui nullam habet consequentiam. Resp. 1. Probat certe Poimenander ex voce naturæ capillos esse contra legem natruæ, sed ita ut 1. Doceat vocem naturę admittere significationem legis naturę. 2. Vt ostendat (loquor de conatu viri, de successu vir doctus si volet judicabit) significationem illam in dicto Paulino necessario admittendam. 2. Quod si monstrosus ille syllogismus sit quē vir doctus me Poimenandro tribuere ait, videat num alium quam monstrosum syllogismum daturus sit ex thesi x. disp. suę tertię. Nam ut probet *naturam* apud Apostolum significare sexum, exempla aliqua illius acceptionis adfert. quod si autem hoc in syllogismum redigat, monstrosus evadet, qualem à me Poimenandro tributum dicit. Nam sic ei argumentandum erit: *Quod nōnunquam sexum significat, id eo significato hic sumi potest, nisi quid aliud obstet. Natura nonnunquam sexum significat, ergo natura eo significato hic sumi potest nisi quid aliud* obstet. Nam non puto virum Cl. sic syllogismum instructurum. Quod nonnunquam significat sexum etiam hic. atqui natura nonnunquam sexum significat. Ergo. Nam procederet argumentum ab inconsequenti ipsomet judice libert. pag. 27. aut sic formaturum; quod semper significat sexum id eum etiam hic significat: natura semper significat sexum. Ergo. Nam argumentum hoc à falso procederet. aut denique hoc modo: quod nonnunquam sexum significat, id etiam hic eo significato sumi potest. At natura &c. Ergo. Nam etiam hoc ab inconsequenti procederet. Quia etiam non sufficit ut vox aliquo loco hoc aut illo significato sumi possit, ut alibi eum sensum habeat: sed præterea requiritur ne sit repugnantia à parte loci ipsius in quo occurrit. 3. Nescio cur vir doctus monstrosum syllogismum de quo loquitur vocet, cum in eo sint observatæ leges syllogisticæ; forte putavit majorem esse particularem propter vocem *aliquando* quę in ea comparet, sed longe fallitur, ut norunt qui logicam tantùm tenuiter degustarunt. 4. Nego Poimenandrum non assequi per syllogismum illum quod intendit; Intendit enim syllogismo hoc, posse vocem *naturæ* in dicto Paulino sumi pro lege naturæ, nisi ALIUD QUID obstet, atqui hoc assequitur, nisi negare voluerit vocem *naturæ* aliquando significare *legem naturæ*. 5. Nego syllogismum illum nullam habere

bere consequentiam. Vt autē pateat quam vere id negem, audiamus virum doctum. Inquit ergo: *Ait enim posse ita accipi nisi quis ostendat, eū id non posse, quod perinde est ac si quis probandum sumens, fructum paradisi vetitum fuisse ficum, dicat se id id dicere posse nisi aliud obstet, quo minus id dici possit. Ait idem de pyro & pruno alius concludet, & expedita ratio erit ad omnia incertissima determinanda.* Resp. 1. Si verba alterius pervertisse est vicisse, fateor virum doctum hic assecutum quod intendit. Sed sic vincere velle, est causam prodere, Vbinam enim ajo, me sive Poimenandrum sive quisquis loqui dicitur *ita posse sumere nisi quis probet non posse?* Ajo & assero, quandoquidem vox *naturæ* aliquando significationem legis naturæ habet, posse loco Paulino, pro *lege naturæ* accipi, nisi aliud, nimirum à parte ipsius dicti Paulini sit, quod eam ita sumi vetet. 2. Si ego ajo, me, aut quisquis loqui dicitur, *ita posse sumere nisi quis ostendat non posse*, utique ipse vir doctus dixit se loco Paulino vocem naturę posse sumere pro *sexu*, nisi quis ostendat non posse. 3. Exempla subjecta non quadrant. Nam 1. mutatur posse in esse, ait enim *ac si quis probandum sumens fructum paradisi vetitum* FUISSE *ficum*; quam immutationem vir doctus, licet immerito, mihi objecit & reprehendit. 2. Syllogismus ille de quo quæstio est non sic procedit, ut vir doctus in exemplis, quibus tamen sibi mire placere videtur, facit, quia syllogismus ille rationem habet probantem quę nulla in exemplis hisce comparet. Quod si ergo vir doctus talibus sese pascere pergat, expeditissimam rationem invenit solidissima quæque refutandi.

Addit: Se observare ne in hac quidem quæstione, me sententiam meam indicare nimirum an sentiam, naturam apud Apostolum significare naturæ legem. Et quidem dilemmate me adoritur, quod tale est. *Nam si ita sensit, cur in disputationibus suis textualibus ad locum Pauli significationem illam penitus omisit? si diversum sentit, cur adversus animi sui sententiam, eam opinionem propugnat? nisi id in gratiam viri eruditi facundi & de ecclesia bene meriti sibi non inconveniens esse putarit, in quo me nullo modo sibi adstipulatorem habebit.* Resp. Sensi & sentio admodum probabile esse, hanc significationem in loco Paulino voci *naturæ* esse tribuendam. Me hoc sensisse potuisset vir doctus videre, si voluisset aut attendisset disputat. Text. part. 1. thes. 3. &. 6. & part. 3. thes. 6. Concidit ergo

go dilemma viri docti. 2. Non sum ita profanus, ut in gratiam, licet amicissimi, defensurus sim quod falsum esse novi. 3. Aut sensit vir eruditus, me in gratiam Poimenandri, putasse non inconvenire, ut contra animi sententiam, propugnarem quod non sentirem, aut non sensit. Si id sensit, *Iudicat de fine quem mihi in agendo propositum habuerim & de intrinsecis vulneribus & de occultis.* Atque adeo TRIBUNAL Dei καρδιογνώστου conscendit, & facit quod *nullam synodum* feciisse ait libert. pag. 20. Si non sensit cur hac occupatione usus est? 4. Evertere rationes falsas, quibus veritas (κατὰ συγχώρησιν loquor) propugnatur, non est veritatem impugnare, & falsitatem propugnare, nisi statuat veritatem quocunque modo propugnandam, falsitatem impugnandam. 5. Laudat vir doctus Poimenandrum ut virum *eruditum & de ecclesia Dei bene meritum.* Hinc colligo 1. *probabile non videri portenta illa opinionum & argumentationum quæ vir doctus ipsi passim tribuit, in eum posse cadere.* 2. Rectius facturum fuisse virum doctum si sibi virum illum non vexandum sumsisset, non tantum in pejorem partem interpretando quæ durius sonant, sed etiam objiciendo ut dicta, quæ tamen ab ipso dicta fuisse, probare non potest. Denique ait vir doctus: *Porro si (ut videtur) hac quoque in parte nobiscum sentit, fateor, multum nos etiam sic lucratos esse, & velitatiunculas hasce per quas & ipsi acuimur ac exercemur non difficulter ei donamus.* Resp. Falli virum doctum ex iis quæ præcesserunt, patuit. Spero tamen eum non ægre laturum me à se diversum sentire; *nec difficulter id donaturum*, præsertim cum mihi erroris non sim conscius.

CAPUT VIII.

USus veneni aliquis licitus. Characterum ad θαυματουργίαν illicitus. Usus peccati admissi ad humiliationem necessarius; admittendi nullus. Syllogismus Voetio à viro docto tributus rejicitur. Textus Voetii. Syllogismus inde emergens. Additio viri docti. Sensus verborum Voetii. Injuria à viro docto Voetio facta. Paradoxa viri docti de licito & fine. Petitio principii auctori impacta refellitur. Contradictio viri docti. Ordinabile in bonum. Mutatio & posse, in esse. Vindicatur responsio auctoris ad quatuor exempla viri docti de eo quod est contra naturam. Nec non ad quintum. Argumentum viri docti examinatur. Usus instrumentorum secundum naturam. Vascula natura facta. Contradictio viri docti. Responsio ad sextum exemplum viri docti.

Per-

PErgit vir doctus ad alterum argumentum, ut ait, ſuum adverſus hanc interpretationem vocis naturæ: aitque illud fuiſse: *Quia non quæcunque quoquo modo contra, vel præter naturam, aut naturalem alicujus rei uſum fiunt contra legem eſſe facta ſequatur, ideoque illicita.* Reſpondi ego theſi mea quarta hunc
„ in modum: Deinde concedendum quoque eſt non eſſe omnia il-
„ licita quę quoquo modo contra vel ſupra, vel præter naturam, vel
„ naturalem uſum rei ſunt. Nego tamen male dixiſſe collegam me-
„ um D. Voetium (cujus judicium de re capillari quod libello D.
„ Poimenandri inſertum eſt hic vellicatur) uſum comarum, de qui-
„ bus loquitur eſſe illicitum, quia eſt contra, vel ſaltem ſupra, vel
„ præter naturam. Nam diſtinguendum eſt inter uſum rei contra
„ vel ſupra vel præter naturam, conceſſione divina ordinabilis in
„ bonum utentis vel aliorum, & eum qui ex conceſſione divina non
„ eſt ordinabilis in bonum utentis vel aliorum, ſed qui damnum ad-
„ fert, & tale quidem quod rationem boni non induit. Verbi gra-
„ tia, licitum eſt uti *veneno*, artifice manu, debitis corrigentibus ad-
„ hibitis, præparato ad ſalutem, quamvis, ut auctor hic ait, id ſit con-
„ tra naturam veneni, quia conceſſione divina ordinabile eſt in bo-
„ num utentis, vel aliorum. Deus enim creaturis ſuis non tantum
„ ad cibum, ſed etiam ad medicinam uti conceſſit. At ſimiliter non
„ licet uti contra vel ſupra, vel pręter naturam ſuam ſorte, aut cha-
„ racteribus ad divinationem, aut ad θαυματεργίαν, quia nulla conceſ-
„ ſione divina ordinabiles ſunt ad effecta talia; ſed tantum damnum
„ adferunt eos in fines utenti, & ſæpe etiam aliis. Item licitum eſt
„ immo neceſſarium, ut peccato noſtro ubi admiſſum eſt, utamur
„ ad noſtri humiliationem ſpiritualem, quia peccatum ex conceſſio-
„ ne, imo ex mandato Dei, ad bonum illud, ad quod per ſe ordinem
„ non dicit, intercedente vera reſipiſcentia, ordinabile eſt, & ordi-
„ nari debet: At ſimiliter licitum non eſt peccatum admittere, ut
„ eo admiſſo te ſerio coram Deo humilies; quia peccatum admit-
„ tendum, ex conceſſione Dei ad tale bonum prætenſum ordinabi-
„ le non eſt: ſed tantum malum adfert committenti, & tendit ad
„ injuriam Dei: illicitum autem eſt gaudere propriis malis (ut Chry-
„ ſoſtomus in Epiſt. ad Rom. c. 1. ait) & in Deum eſſe injurium.
„ Quoniam ergo D. Voetius agit Dei tali uſu comarum contra vel
ſal-

„ saltem supra vel præter naturam, qui in bonum utentis vel alio-
„ rum ordinabilis non est, sed tantum damnum adfert utenti, quod
„ rationem boni non induit: recte collegit usum comarum de qui-
„ bus disserit, quia est contra vel saltem supra, vel præter naturam il-
„ larum, esse illicitum. Videatur judicium D. Voetii libelli Poi-
„ menandriani pag. 336. & 337. Quamdiu ergo vir doctus distin-
„ ctionem hanc non evertit, nec docet usum capillorum contra vel
„ saltem supra vel præter naturam, tantum damnum inferentem,
„ quod rationem boni ex concessione divina non induit, esse lici-
„ tum, frustra est. Ad hæc respondet vir Cl. *Concessionem viri docti accipimus, quia per eam habemus quod volumus. Ita enim Poimenandro vel Voetio argumentandum est: quidquid est contra vel supra vel præter naturam est illicitum, At coma virilis prolixior est contra vel supra vel præter naturam. Ergo est illicita. Hic enim syllogismus & non alius latet, in illo (ut vulgo vocant)* Enthymemate. Vsum comæ virorum *prolixæ esse illicitum, quia est contra vel supra naturam. At vir doctus concedit majorem: concidit ergo totus syllogismus, & habemus intentum.* Si per concessionem meam vir doctus habet quod vult, necesum est hunc syllogismum esse Voetii, eoque illum probare voluisse *necesarium esse ut in dicto paulino vox naturæ sumatur significatione legis naturæ.* At utrumque falsum est. 2. Aliter Voetio ex iis quæ dixit argumentandum fuisse, mox planum fiet. 3. Enthymema illud (quod vocat vir doctus) dat quidem syllogismum illum quem cudit, sed id non est Voetii multo minus Poimenandri; nam locus ad quem vir doctus respicit, & ubi se syllogismum illum invenisse putat, Voetii verba continet, non Poimenandri, nec si esset, probare posset vir doctus, productum fuisse ut probaretur, vocem *naturæ* significare *legem naturæ.* Vnde sequitur procul virum doctum abesse ab intento. Pergit *hoc ut evadat vir doctus ita majorem propositionem transformat: quidquid est contra, vel supra, vel præter naturam aut naturalem usum alicujus rei, eo sensu ut ille usus concessione divina non sit ordinabilis in bonum & tantum damnum adfert, quod rationem boni non induit est illicitum verum hæc major nec apud Poimenandrum, nec apud Voetium reperitur sed à viro docto excogitata est.* Resp. 1. An Poimenandri hæc sit major non inquiro; de Poimenandro enim non sum locutus.

In Voetii verbis eam esse affirmo. Quod ut pateat verba Voetii adferam. Ait ergo is; De huydendaegsche hayr bosschen ofte hayr-trossen/ mitsgaders hangende of vliegende locken voor of achter of ter syden van het hooft/ aen mans of vrouwen sijn onschickelijck ende ongeoorlooft/ het sy vattet geleent of eygen hayr is. Het bewijs is. Eerst uyt 1.Pet.3.1.1.Timoth.2.9. Ten tweeden om dat het tegen of ten minsten boven ende buyten het natuyrlijck gebruyck des hayrs is (waer van de medici ende anatomici handelen) sulcken overschot ende quantiteyt daer van te houden: waer mede het hooft niet bedeckt/ maer veel eer beswaert wert: jae de oogen/ het aengesicht/ of een groot deel des selfs/ een deel vande rugge/ of veel eer een deel van het wambaeys ende kleederen. Het ware even so vele als of yemant uyt ydele pronckerye sijne nagelē aen sijne handē eene halve elle/ of eene elle langh buyten ende boven de vingeren liete wassen/ om hem te verhinderen/ niet om te dienen. Hinc autem syllogismus talis emergit: Omnis superfluitas & prolixitas comarum, qua nō tegitur caput, sed potius gravatur, imo oculi, facies, aut magna pars illius, pars tergi, humerorumve, aut potius thoracis & vestium; & ex vana ostentatione nascitur, est contra vel saltem supra vel præter naturalem usum capillorum, de quo medici & anatomici tractant. Atque adeo illicita. Atqui talis est redundātia & prolixitas illa comarum de quibus thesis loquitur. Ergo est illicita. Hinc habeo, 1. non dicere quidquid est contra vel supra naturam vel naturalem rei usum esse illicitum: Nam vocis *naturæ* ne quidem meminit Voetius, adeo ut illam de suo addiderit vir doctus, quod antea non observaram. 2. intelligere Voetium per usum naturalem capillorum eum qui sit naturæ conveniens, id est, qui non gravet non obsit, sed prosit. Nam talis est usus capillorum de quo Voetius medicos & anatomicos tractare ait; cuique opponit abusum illum quo caput non tegitur sed potius gravatur. Quoque oculi, facies, aut magna pars illius, pars tergi, humerorumve, aut potius thoracis (wambaeys) & vestium operitur; & ex vana ostentatione nascitur. 3. ac proinde intelligere per usum capillorum quem contra vel saltem supra vel præter naturalem esse dicit: talem qui naturæ inconveniens est; id est non prodest sed gravat & obest. 4. atque adeo enthymema (de quo paulo ante) non esse Voetii, sed à viro docto excogitatum, & proinde syllogismum illum quem ex enthymemate suo format, totum viro docto non

Voe-

Voetio deberi. 5. Voetium contra usum capillorum de quo thesis ipsius loquitur argumentari ex damno quod non habet rationem boni; ac proinde quod concessione divina non est ordinabile in bonum. 6. Majorem meam esse Voetii; ac proinde me habere intentum. Addit: 2. *nec quicquam commune habet* (videlicet major hæc) *cum loco paulino in quo generalis tantum vox naturæ occurrit, unde acceptio tot circumstantiis restricta, non nisi inconsequenter, videlicet per paralogismum à non distributo deduci potest.* Resp. pulchre! Voetio scilicet propositum fuit, concludere vocem *naturæ* in dicto paulino *necessario significare legem* naturæ. Longe alia mens Voetii fuit. Probare voluit usum illum capillorum, de quo thesis loquitur quam paulo ante exhibui, esse indecentem & illicitum; vocis *naturæ*, aut dicti paulini hic ne quidem mentionem facit. Quis non miretur virum doctum cum erga Voetium se talem præbeat, tutum judicasse, ut mihi, præter meritum tamen meum, additionem, detractionem, simulationem & dissimulationem, & quidem callidam objiceret! 3. *si agat* (inquit) *de bono in genere moris etiam falsa est*, (nimirum major mea) *licet enim ut quid sit moraliter bonum, requiratur finis moraliter bonus; ut tamen aliquid moraliter sit licitum, sufficit finis moraliter indifferens. Dico quantum ad rationem finis, ex qua hic argumentum ducitur, nam aliunde habere potest ut sit illicitum.* Resp. 1. Loquor de bono utili. Quod facile videre potuisset si verba mea mihi reliquisset. Nam oppono bonum damno, ut ex vocula *sed* quam in & commutavit apparet. Nodum ergo vir doctus in scirpo quærit. 2. Paradoxum hic habet vir doctus nimirum posse aliquid licitum esse, quod nõ sit ordinabile in bonum honestum. 3. Nescio quid sibi velit cum ait, *ut tamen aliquod* sit moraliter *licitum*. Quasi videlicet, duæ species liciti essent. Nimirum *una liciti* quod *moraliter* tale est, altera *liciti* quod quidem *moraliter* tale non est, alia tamen ratione tale est. Velim vir doctus hic sese explicet, & mentem suam nobis aperiat, ut acuamur & exerceamur. 4. Nesciebam ego dari finem *moraliter* indifferentem. Nam omnis finis actionum humanarum, quem intendit homo in operando, est vel secundum rectam rationem, & sic honestus: vel contra eam, & sic inhonestus. Adeo ut, finem statuere, qui nec conformis sit rectæ rationi, nec ab ea dissentiat, ab omni ratione alienum sit.

Transit vir doctus ad minorem syllogismi quem Voetii esse dixi, & ait: 1. *Minor quoque laborat petitione principii. Quia non concedi à Deo quod in ea sumitur, est idem quod illicitum esse, quod ex ea concluditur.* Resp. 1. etiamsi minor laboraret petitione principii, an inde sequeretur aut enthymema quod nobis ex officina sua produxit vir doctus esse Voetii? aut syllogismum quem ipse dedi non esse Voetii? fateor Voetium esse virum singularis eruditionis, & egregium Academiæ nostræ columen, minime tamen extra sortem omnis erroris esse positum, unquam dixi. unde vir doctus dicere nequit syllogismum aliquem non esse ejus, sed alium quem nobis obtrudere molitur. 2. Si forte in minore tantum compareret: id quod negatur de *concessione divina*, speciem aliquam haberet quod ait vir doctus; At vero minime si exhibeatur, quod in ea ubi exhibetur integra, præterea invenitur. Nam integra hæc est: at superfluitas & redundantia illa capillorum de qua quæstio est, ita est contra vel saltem supra vel præter usum naturalem capillorum ut concessione divina non sit ordinabilis in bonum, Sed tantum damnum afferat quod rationem boni non induit. Nam pars posterior hujus minoris priorem in tuto locat. 3. Per me licet ut vir doctus ex syllogismo quem Voetio tribui, quod in eo dicitur de concessione divina, omittat. Nam quod restabit de damno rationem boni non induente, quod Voetii esse non negabit, ut opinor, abunde sufficiet Voetio ad probandum quod intendit. Pergit. 2. *falsitate* (inquit) *laborat, & quidem 1. de coma quam Poim. oppugnat, quæ viz. tempora & cervicem tegit, eam enim & concessam esse, & in bonum utentis ordinari posse profitetur Borstius, nec diffitetur vir doctus. Imo aperte hoc profitetur quæst. text. 2. thes. 4. Secundo de coma quam impugnat vir doctus quæ videlicet in humeros & tergum dimissa est. Ea enim & concessa divinitus naziræis & ab eis atque ab ipso Deo in bonum ordinata. Est ergo etiam talis coma concessione divina ordinabilis in bonum.* Resp. 1. Non loquitur Voetius de coma quæ tempora & cervicem tegit, quam vir doctus, vere an falso nunc non inquiro, (antea id factum) Poim. oppugnare ait, sed longe prolixiori. 2. Mirum est virum doctum, antea pag. 5. libertat. suæ mihi tribuere quod humeros & tergum limitem capillorum faciam, videlicet ac si quosvis capillos viriles qui ad terminum illum non descendunt, probarem; & pag. 15. ejusdem libert. asserere quod comam tan-

tantum ad tergum ac humeros defluentem damnem; & tamen hic citare quæst. meę text. 2. thes. 4. per quam ut & ex thesibus sequentibus sese mihi injuriã feciſſe, videre potuiſset. Sed quid agam? patienter hoc & alia similia mihi ferenda sunt. Quia nõ aliter viro docto mecum agere placuit. 3. Quod si vir doctus affirmet quidquid concessione divina aliquando in bonum ordinabile fuit, id nunc etiam esse, cæremoniis legalibus uti nunc non erit illicitum, quia concessione divina aliquando in bonum ordinabiles fuerunt. 4. loquitur syllogismi minor, quam hic impugnat vir doctus, non de concessione divina possibili sed actuali, eaque non abrogata, sed vigente, & de ordinabilitate rei in bonum, non respectu Dei, sed respectu hominum, ex concessione Dei. Adeoque exemplum Nazireorum huc nõ facit. Nisi fateri voluerit vir doctus etiã nunc votum Nazireatus cõcessione divina in bonũ ordinabile esse, cæremoniasque legales cæteras revocavi posse. 3. *Incidit*, inquit, *in illam opinionẽ quam vir doctus dudum à se amolitus est. Nam non esse concessione divina ordinabile in bonum: item rationem boni non induere, quid est aliud quam intrinsecam habere malitiam?* Resp. Hoc est sapere! Nam non egi de concessione divina possibili, sed actuali. Videre hoc potuisset vir doctus, si id quod de veneno dixi, expendisset: Ajo enim: *Deus enim creaturis, non tantum ad cibum sed etiam ad medicinam uti concessit.* Nec dixi non posse capillos eosdem induere rationem boni, sed quod rationem boni non *induant*. Mutat ergo τὸ non induere, in non posse induere. Et porro exempla que ad duxi intacta relinquit, atque adeo nihil quod reprehendat in iis invenit. Hisce ita evolutis constat exempla illa octo, quę vir doctus disp. 1. thes. 7. produxit nihil ad rhombum facere. præterire ergo possem ea quæ pro illis in sequentibus profert: ne tamen exclamet suum illud ὑπερνικῶ, videndum quid pro illis adferat, adversus ea quæ illis opposui, thesi mea 4. cujus partem imitio hujus capitis attuli. Verba mea quoad quatuor priora hæc fuerunt.

» Sed videamus quomodo hanc suam rationem confirmet. 1. Ait:
» Ita enim illicitum erit ignem exstinguere, cum excitatum est in-
» cendium, quia id contra naturam ignis est, Resp. Objectuncula
» hæc nullarum virium est. Etenim exstinctio illa rationem boni ha-
» bet. 2. Illicitum erit aquam in sublime propellere ad usum civi-

» um, aut conservationem agrorum, id enim est contra naturam a-
» que, que est defluere in declive. Resp. converte te ad distinctionem
» datam, & solutionem suam hanc ratiunculam secum adferre vide-
» bis. 3. Illicitum erit medicorum filiis veneno uti in antidotis con-
» ficiendis, id enim est contra naturam veneni, quæ est perdere non
» mederi. Resp. Tantundem dico. 4. illicitum erit (quod quidam
» è veteribus Christianis arbitrati sunt) corollam in capite gestare,
» quia natura florum est, non crines sed caput oblectare. Resp.
» Certe corollas in capite gestare illicitum censuit Tertullianus li-
» bro de corona militis propter rationem allatam; sed tamen firma
» non est, quamdiu non probatur, gestationem illam corollarum
» esse præter omnem naturam florum. 2. Gestationem illam
» corollarum non esse ordinabilem ex concessione divina in bonum
» aliquod utentis & aliorum: sed tantum damnum adferre; utrum au-
» tem hoc probari possit, non inquiro. Adhæc ait vir doctus. *Excep-
tiones omnes hæ falso præsuppositio laborant. & quidem duplici. 1.
quasi ego exempla illa opposuissem syllogismo quem vir doctus
excogitavit, quique tum cum scriberem nondum natus erat. 2.
Quasi distinctio quam in eo commentus est, de ordinabili & non ordi-
nabili in bonum, in re proposita vera esset. Nam in omnibus solutioni-
bus ea recurrit, & in prima quidem secunda & tertia quarta & sexta,
nihil præter eam reperitur, unde non est operæ pretium iis immorari.* 1.
Resp. si non opposuit vir doctus syllogismo quem dedi, sed
enthymemati suo quod nondum natum erat cum Voetius scribe-
ret, nihil egit. 2. Distinctionem illam, plene allatam (nam trun-
cat eam vir doctus, cum id quod de damno in illa comparet, omit-
tit) veram esse in re proposita antea patuit. 3. Recurrit ea in om-
nibus responsionibus ad argumenta à viro docto allata, quia cum
omnia sint ejusdem farinæ, recurrere debuit, & vel sola ad omnia
conficienda suffeciisset. 4. Quandoquidem vir doctus nihil, præter
id quod jam respondit affert adversus distinctionem meam, ha-
beo quod volo.

» Quantum ad quintum viri docti exemplum, Hęc attuli. v. Dio-
» genes præter naturam esse aseruit, vasculo aquam haurire, cum
» id cava manu posset, & hoc ergo cuipiam scrupulum movebit.
» Resp. 1. Non quæritur quid Diogenes senserit: sed quid auctor hic

sta-

» ſtatuat. Quod ſi ſenſerit idem cum Diogene valde fallitur. 2. Vſus
» vaſculi commodum licitum adfert utenti. *Reſpondet vir doctus ad*
» *primum* : Atqui hoc nego. Quæritur enim quid alicui, ſecundum
» principia Poimenandri, ſcrupulum & quidem merito movere poſ-
» ſit: Tale eſſe dico id quod attuli de Diogene. Si enim quidquid eſt
» præter naturam, ſive naturalem rei uſum illicitum eſt, ſequitur illi-
» citum eſſe uti vaſculo ad hauriendam aquam, quod cava manu fie-
» ri poſſit. Nam manus ad hunc uſum eſt inſtrumentum naturale,
» vaſculum artificiale, atque ita præter naturam. Reſp. Non explicuit vir doctus quid ſentiret de aſsertione Diogenis ; nec aſsertio Diogenis, ἀνυπεύθυνος eſt. Quærendum itaque fuit, non quid Diogenes, ſed quid vir doctus ſentiret. 2. Principia quę Poimenandro tribuit, theſibus viri docti primam originem debent, non Poimenandro. 3. Sic arguit vir doctus ; quidquid eſt pręter naturam, ſive naturalem rei uſum, illicitum eſt. At haurire aquam vaſculo, eſt præter naturam. ergo. Probatur minor quia manus eſt inſtrumentum naturale. Vaſculum autem arte factum atque ita præter naturam. Reſp. 1. Major non eſt Poim. ſed à viro docto excogitata. 2. Negatur minor. Quia ſecundum naturam eſt, uti inſtrumentis ad uſum humanum accommodatis. 3. Probatio non valet. 1. Quia nihil impedit uſum rei arte factę, eſse ſecundum naturam. Verbi gratia, veſtes noſtræ ſunt arte factæ ; at vero uſus illarum eſt ſecundum naturam, quia ſecundum naturam eſt, propter vitioſitatem quæ nobis inhæret, pudendas corporis partes tegere, & injurias aëris accommodatis mediis arcere. 2. Quia non omnia vaſcula quibus hauriri poteſt aqua, arte facta. Dantur ungulæ quadrupedum, conchæ, teſtæque piſcium quibus hauriri poteſt aqua. Nec poteſt vir doctus hic excipere vaſcula quæ arte facta non ſunt, huc non pertinere : Quia ſic miſsum faceret Diogenem, qui ſine exceptione dixit, haurire aquam vaſculo, eſse præter naturam. 3. mirum eſt virum doctum vaſculis *naturam* negare ; cum tamen *naturam* verbis tribuat, & neget *ſequi, ſi verba ſignificant ex inſtituto*, naturam eis nullo modo tribui poſse. Vide libert. pag. 39.

» Ad ſextum viri docti exemplum hæc adduxi : VI. Imo quod co-
» minus ferit adverſarium, illicitum erit mulieri comam in verti-
» cem attollere, & religare, id enim eſt contra naturam comæ, quæ

na-

» naturaliter descendit ut corpus grave. Resp. ficulneus fuerit ille ad-
» versarius, si ad hunc ictum expallescat. Sublatio enim & religatio
» illa comæ muliebris ordinata est ad distinctionem sexus & profes-
» sionem inferioritatis. Quid autem responderit vir doctus, jam an-
tea auditum & refutatum fuit, cum ageretur de quatuor prioribus
ejus exemplis meaque ad illa exceptione.

CAPUT IX.

Responsio auctoris ad 7 exemplum viri docti de eo quod est contra naturam vindicatur. Judicium viri docti de occultis verborum detorsio, ab erratio. Consensus gentium subsequens quoad significationem verborum. Quæstiunculæ viri docti elisæ. Verborum significatio juxta Aristotelem, Conimbricenses, Vallium, Oviedum. An Plato idem ea de re cum Aristotele sensisse videri dici queat. Quod defenditur auctoritatibus, & ex ipso Platone. Respondetur argumentis viri docti in contrarium allatis. Eusebius cæsarienſis. Contradictiones viri docti. Ejusdem omissio. De voce Adam & Enos. Contradictio viri docti. Injuria ab eodem Poim. facta. Gloriatio ejusdem retusa. Ignoratio Elenchi. Alia injuria. Petitio principii.

VElitationem non pugnam quæ præcessere dicas; sic intueaeris quæ sequuntur. Tanto quippe molimine vir doctus in me irruit; sed præcipue in re quæ nihil aut parum ad propositum pertinet. Antequam autem impetum ejus excipiam verba
» theseos meæ adscribam. VII. Vix quis tria verba profari audebit
» ne à propria & nativa eorum significatione & usu discedat quod
» fit in tropis & figuris. *Resp.* Nugæ. Nam. 1. verba natura sua nihil
» significant, sed quidquid significant, ex instituto significant. Vt
» docere videtur Plato in Cratylo; & Aristoteles diserte affirmat lib.
» de interp. Sect. 1. cap. 2. verum hoc esse patet, quia eadem verba
» sæpe diversis linguis diversa significata habent. Tropi non sunt
» contra naturam verborum, sed tantum recedunt à significatione
» quæ ipsis tributa fuit, ex gentium consensu, sive consuetudine:
» nam in omnibus linguis tropi usitati sunt. 2. Licet natura sua signi-
» ficarent verba id quod significant, & usus troporum esset contra
» naturam illorum, minime tamen quispiam nisi qui plane insaniat,
» scrupulositate illa quam auctor hic ridicule satis objicit, tenebitur.
» Quia usus ille troporum sæpe necessarius. Plures enim res sunt

quam

quam verba, & rationem boni habent. Pingunt enim orationem & illustrant: unde Christus & Apostoli tropis non abstinuere. Notandum hic quod iterum ait me rem hanc tantum animi gratia agere, atque adeo quod cum de occultis judicat Dei solium conscendat. 2. Quod *institutum* quod in verbis meis occurrit, ubi agitur de origine significationis vocum, per *gentium consensum* sive *consuetudinem* explicare me dicit. Id enim falsum. Quoniam verba *ex gentium consensu sive consuetudine* connectenda sunt, non cum iis quæ immediate præcedunt, *tributa* fuit, sed cum verbo *recedunt*: Vt sensus sit, quod tropi recedant ex consensu & consuetudine gentium à verborum significatione quæ ipsis tributa fuit. Patet hoc ex subjecta ratione: *Nam in omnibus linguis tropi usitati sunt.* Suam ergo explicationem verborum meorum, natam ex perversa eorundem compositione & divisione, pro mea venditat vir doctus. Huc accedit quod etiam *consensum sive consuetudinẽ gentium* de qua loquor, alio quam ego sensu accipit, nimirum distributum in non distributum commutando. Hisce ita evolutis facilis est responsio ad plæraque eorum quæ præcedentibus vir doctus subjicit. Ait primo: *Si enim verba significant gentium consensu, sequitur ea esse juris gentium, quod ex consensu illo definitur & per consequens qui eorum significationem immutat (quod fit in tropis & figuris) peccat in jus gentium.* Resp. 1. Nititur tota hæc ratiocinatio depravatione gemina quæ jam indicata est. 2. Ius gentium definitur per consensum gentium, sed non solum. 3. Etiam recessio à significatione prima vocum ad tropicas, est ex consensu sive consuetudine gentium; nam in omnibus linguis tropi usitati sunt. Secundo dicit. *Si idem sit consensus gentium quod consuetudo, sequitur consuetudinem esse naturam illam de qua Paulus agit. Eam enim per jus sive consensum gentium Poimenander explicavit* v. *disp. nostram* 3. *thes.* 1. 2. Resp. Procedit hęc ratiocinatio ex iisdem fundamentis quibus præcedens: atque extra oleas vagatur vir doctus. Tertio inquit: *Falsum est in Theologia quod hic statuit vir doctus quidquid tandem dicant Plato vel Aristoteles. Si enim consensu gentium verba significent quæro: quas gentes Adam consuluerit cum animalibus nomina imponeret? Genes.* 2. 19. 20. *quæro* 2. *An gentium consensu facta sit linguarum divisio* de qua Genes. 11. vers. 7. 8. Resp. 1. Eadem chorda hic oberrat vir doctus qua ante. Nam fal-

sum est me *institutum* de quo loquor explicare per consensum gentium. *Institutum* de quo loquor prius est gentium consensu sive consuetudine cujus mentionem facio. 2. etiamsi dixissem verba significare ex consensu gentium, falsum tamen non dixissem, modo consensum intelligas non antecedentem institutionem significationis verborum, sed subsequentem. Concidunt ergo quæstiunculæ viri docti & in fumum abeunt. Quantum enim ad primam verba quibus utebatur Adamus, saltem quo ad primam significationem, significabant ex institutione divina. At vero multiplicatis jam gentibus, verba illa significationem suam retinuere, ex consensu gentium, primam institutionem subsequente. Necessum ergo non erat ut Adamus gentes consuleret, cum animalibus nomina imponeret: sed necessarius erat consensus gentium (ubi exstitere) subsequens, ut nomina illa significationem, quam ex institutione sive Dei sive Adami habebant, retinerent. Ad secundam eadem est solutio. Nam dato verba variarum linguarum quæ in ædificatione turris babylonicæ exortæ sunt, ex institutione divina significationem habuisse, necessarius tamen fuit consensus gentium subsequens, ut verba linguę cujusq; significationem à Deo impositam, retinerent. Nam deficiente illo consensu multa verba periere quæ in usu fuerant: & eorum quæ supersunt, multa sunt, quorum significatio ignoratur. 4. ait: *Falsum est quod Platoni in Cratylo affingit vir doctus, licet hæsitanter & per* videtur. *Nam (ut verbis Marsilii ficini ad illum dialogum quæstionem agitatã explicem) Hermogenes Parmenidis discipulus & sectator, atque Cratylus sectator Heraclitii, de rectitudine nominum dissidentes, dum ille quidem nomina solum arbitrio, hic vero naturali ratione habere vim putat, denique Socratis se judicio subigunt. Socrates in Cratyli sententiam magis inclinare* VIDETUR. Resp. 1. Etiamsi falsissimum esset quod vir doctus falsum esse ait, nihil tamen causę meę decederet. Verba enim non natura sed institutione significare certum est. Nam 1. Sic sentiunt præter Aristotelem, Conimbricenses, Toletus, Pacius Keckermannus, Oviedo, Sarnanus, Vallius & alii (quos Vallius citat) quamplurimi. 2. rationibus idem suadetur, quas qui volet scire, adeat inter alios vallium in lib. 1. Arist. de interpret. Quæst. 2. cap. 3. Velim etiam legi quæ habet Oviedo logicę suę controvers. 8. de signo. puncto. 3. Vbi

3. Vbi inter alia hęc habet: *Neque possunt reperiri voces naturaliter significantes res. Dupliciter enim potest intelligi vocem naturaliter significationem habere, vel propter similitudinem univocam in re, quæ potest esse inter sonum & sonum, & de facto est in sono hujus vocis* TINNITUS *cum campanæ sonitu, & hujus vocis* TARATANTARA *cum sonitu tubæ. Vel non ob similitudinem, sed ob proprietates vocum, in asperitate & lenitate consistentes. Quæstio non procedit de primo significandi modo, neque per illum constituitur ratio signi, ex vi enim prædictæ similitudinis inter sonum vocis & sonum tubæ seu campanæ non est major ratio propter quam hic sonus illo significetur, aut ille signum sit hujus, cum neuter à natura sit inventus ut alium referat. Difficultas est de secundo modo significandi, qui in vocibus reperiri nequit, quia proprietates illæ paucæ sunt & non habent tantam proportionem ad res, ut has possint explicare, & in cognitionem earum ducere. Quod ex eo patet, quod nullus huc usque voces invenit, quibus nulla conventione facta circa ipsarum significationem, possit loqui & suos exprimere conceptus. Neque voces ab Adamo positæ hujusmodi fuere, ut naturas significarent, extant enim modo voces ab Adamo rebus impositæ, & nullus ex illis naturas rerum, quas significant, percalluit, nisi prius sancta instruatur lingua. Quod si Adamus aliusve laudetur, ex eo quod aptum nomen alicui rei imposuerit, non ideo laudatur, quia aptam significationem voci imposuit, sed quia postquam vox jam suam significationem habebat, simul cum voce rem significatam tali subjecto accommodavit, Exempli gratia imposita fuit significatio huic voci* simplex *quæ potuit imponi huic voci* ferax, *& postea vox simplex cum suo significato propriissime columbæ accommodatur, quia res significata naturaliter convenit columbæ.* 2. Falsum esse, quod
„ Platoni in Cratylo me affingere ait vir doctus, cum dico, Verba na-
„ tura sua nihil significant, sed quidquid significant ex instituto signi-
„ ficant, ut docere videtur Plato in Cratylo, & Aristoteles diserte af-
„ firmat lib. de interpret. sect. 1. cap. 2, non credidit Toletus in lib. 1. peri Herm. Arist. ubi ait. *Secunda concl. Significatio qua voces intellectus conceptus & res manifestant; non à natura, sed ad placitum inest, hæc est secundum mentem Arist. Nec oppositum existimavit Plato, quantum existimo, sed forsan loquebatur de priori significatione* (nimirum concl. prima indicata) *vel ut explicat bene Michael Psellus. C. de nomine, ideo dicebat significationem naturalem, quia sequebatur de op-*

timo & perito impositore, imponente talia nomina rebus, qualia illarum naturis conveniebant (quomodo autem nomina rebus conveniant Paulo ante ex Oviedo auditum est) *propterea vocabat nomina naturaliter significare, solemus enim artificialia, quæ maxime naturam imitantur, naturalia per exaggerationem vocare & forsan illud est Genes. 2. Omne, quod vocavit Adam, ipsum est nomen ejus.* Nec credidit id Vallius in lib. 1. de interp. quæst. 2. cap. 1. Nec Conimbricenses in lib. 1. de interp. cap. 1. quæst. 5. art. 5. Denique id quoque non credidit Ludovicus vives lib. 3. De caus. corr. art. 3. Immo ne quidem Marsilius Ficinus cujus auctoritate nititur vir doctus falsum esse pronunciavit id quod Platoni, *hæsitanter & per videtur*, ut ait, tribuo. Nam verba ejus sunt: *Socrates in Cratyli sententiam magis inclinare videtur.* Nam ut verbis viri docti utar, *hæsitanter & per videtur*; adeoque cum formidine oppositi, ab eo quod me Platoni affingere affirmat, recedit. 4. In ipso dialogo Platonis de quo loquimur, sunt talia quæ videntur suadere quod Platonem sentire *videri* dixi. Sic enim Socrates ait: *Vereor tamen ne revera juxta Hermogenis dictum tenue & præparcum sit hoc similitudinis pondus, necessarium autem sit etiam oneroso hoc insuper uti ad nominum rectitudinem nimirum consensione.* Nec non; *præclare vero nobiscum actum putemus, quod non ex nominibus, sed multo magis ipsæ ex se ipsis quam ex nominibus res discendæ sint ac quærendæ.* 5. Huc etiam facit quod Socrates cum convenientiam nominum cum rebus venatur, adducat, derivata, aut composita. Quod si autem nomina natura, ideſt per se & citra impositionem significationis id quod significant significare voluisset, ipsa primitiva & simplicia adduxisset, atque ex iis naturalem nominum & rerum convenientiam ostendisset. Ascendit quidem etiam Socrates ad primitiva quædam, eaque ex elementis quibus constant similitudinem cum rebus habere ostendere conatur; sed inde quod judicat vir doctus concludi nequit. Adducit vir doctus præter auctoritatē Ficini de qua actum, loca quędam ex dialogo illo Platonis, & clamat toties vocabulo φύσεως Socratem uti, ut supervacaneum videatur omnia loca enotare; idque in eum finem ut falsitatis convincat id quod me Platoni licet *hæsitanter & per videtur* affingere ait. Sed nihil proficit, nisi ostenderit. 1. Socratem approbasse sententiam Cratyli. Nam primus

lo-

locus ſententiam Cratyli exhibet. At id non facit. Immo contrarium docet pag. 38. ut ex ſequentibus liquebit. 2. Niſi probaverit Socratem voce naturæ uti prout ego ea uſus ſum & utuntur logici, cum verba natura ſua ſignificare negant, & naturam inſtituto, ſive ei quod eſt κατὰ συνθήκην opponunt: quod tamen non facit vir doctus. Nam & ego concedam eſſe voces quaſdam quæ naturalem convenientiam cum rebus quas ſignificant habeant, modo id dexterè intelligatur. Hoc eſt modo ne putetur, verba per ſe & ante omnem ſignificationis impoſitionem ſignificare id quod ſignificant: ſed ſtatuatur, quod poſtquam voci jam ſignificatio tributa eſt, ipſa cum re ſignificata accommodatè tali ſubjecto aptetur. Et quamvis hoc concedam, negabo tamen verba natura ſua ſignificare id quod ſignificant. Quia omnis ipſorum ſignificatio ex inſtitutione ſive divina ſive humana procedit. Vide quæ ſupra ex Ovicdo allata ſunt. Nec tantum ego hoc concedam, ſed etiam alii, qui tamen verba natura ſua, id quod ſignificant, ſignificare negant, ut ex auctoritatibus ſupra adductis liquet. Munit quoque ſe vir doctus Euſebii Cæſarienſis (quem oculatiſſimum in his rebus vocat) judicio quod ait exſtare lib. XI. præpar. Euang. cap. 4. & cap. 3. ejuſdem lib. Reſp. 1. Neſcio cur vir doctus Euſebium oculatiſſimum in hiſce rebus vocaverit: cum non deſint qui in ipſo judicium deſiderent. Forte hoc elogio ornavit eum ut cauſæ ſuæ ſerviret. 2. Quæ ex Euſebio adducuntur à viro docto habentur præp. Euang. lib. XI. §. poſt proemium 6. edit. græcę Rob. Steph. alia editio mihi non eſt ad manum. 3. Si oculatiſſimus eſt Euſebius in hiſce rebus miror oculatiſſimos viros qui nobis novam Bibliorum verſionem dedere, ad Gen. 2. v. 19. 20 ut recte mentem Moſis caperemus, placitum Euſebii quod hic receñſet vir doctus non adduxiſſe: hoc eſt non monuiſſe eos, Moſen cum ait, *Quocunque nomine vocavit illas Adam, animantem quamque, id nomen ejus eſt*, voluiſſe quod Euſebius tradit: id eſt, *quod nihil aliud dicere voluerit, niſi convenienter ad naturam rei nomen fuiſſe inditum, quaſi diceret. Vt ab eo quodque vocatum eſt, ſic in ejus* NATURA *erat*. 4. Quam oculatus Euſebius oculatiſſimus in rebus hiſce fuerit, liquet ex interpretatione vocis ἴυγξ & κάμψ quam exhibet. 5. Refer huc quæ dicta ſunt ad loca à viro docto ex Platone adducta, & patebit cauſæ

meæ non esse periculum ab Eusebio in hisce rebus oculatissimo. Transit vir doctus ad Aristotelem quem diserte asserere dixi, verba non natura sed instituto significare, aitque interpretes non dissimulare, videri eum à Platone dissentire; cæterum tamen eos varie illos conciliare. & conciliationes has adfert: *Nomina* (ait vir doctus) *inquiunt à natura esse, dupliciter contingit, vel à natura tanquam ejus opificia ut Heraclitus censebat, vel à natura tanquam naturæ rerum convenientia ut Plato. Pari modo, nomina esse positione dupliciter contingit, vel quasi quilibet habeat potestatem fingendi nomina ad libidinem ut dicebat Hermogenes, vel quod solus ille qui optime naturas rerum cognoscat, ita ut valeat proprium singulis nomen excogitare ut Plato, ita fere Ammonius. Nec dubitandum est utrumque philosophum in posterioribus vocum harum significatis convenire. Si enim nomina ita sola impositione valere censuisset Aristot. ut naturæ nulla in iis ratio haberetur, cur & in naturali auscultatione de casu, & de vacuo, & in meteoris de gutta & pluvia & alibi nomina consona rebus imponere sategit?* Resp. 1. Si Plato & Aristoteles conciliari possunt, utique habeo quod volo, videlicet videri platonem in Cratylo docere, quod verba natura sua nihil significant; sed quidquid significant, ex instituto significant. Nam diserte dicit Aristoteles: Ὄνομα μὲν οὖν ἐστι, φωνὴ σημαντικὴ κατὰ συνθήκην. & postea τὸ δὲ κατὰ συνθήκην, ὅτι φύσει τῶν ὀνομάτων οὐδέν ἐστιν, ἀλλ' ὅταν γένηται σύμβολον. Nam opponit hic Aristoteles ea quæ natura, (ut sunt voces belluarum, quibus addi possunt gemitus & suspira hominum) & quæ ex instituto significant, ut nomina. 2. Si Plato sensit, ut vir doctus hic affirmat, nomina non esse à natura, tanquam ejus opificia, (ut sunt naturales rerum imagines, veluti umbræ, & eæ quę in aquis & speculis apparent rerum similitudines) sed tanquam naturę convenientia, utique Plato rejecit sententiam Cratyli. Nam primum sensisse Cratylum (quod omisit vir doctus) testatur Ammonius ab ipso adductus. Quod si autem Plato rejecit sententiam Cratyli, dici non potest Platonem sub persona Socratis, *tantum in eo dissentire à Cratylo*, (ut vult vir doctus pag. 35.) *quod nomina quæ ex constitutione vocant, etiam nomina esse fateatur, sed ea se recte habere neget.* 3. Si uterque Philosophus in posterioribus vocum harum *naturæ* & *positionis* significatis convenit: iterum habeo verba non significare natura, sed ex instituto, idque

Pla-

Platonem videri docere in Cratylo, 4. Censuit Arist. nomina *sola impositione* significare, ut ex iis quę ante dicta sunt liquet, & tamen etiam naturæ rationem ubi id fieri potest (ubique fieri posse vir doctus, sat scio, non dicet) in iis habendam esse existimavit. Nam duo hæc inter se non pugnant, nimirum aliquid significare ex instituto tantum, & habere quandam cum rei quam significat natura convenientiam: quia convenientia illa nominis cum re, ex instituto fluit & in illud resolvitur. Verbi gratia vocant Hebręi hominem Adam, convenienter naturę hominis, quia ex terra quam hebrçi Adamah vocant desumptus est. Terram autem convenienter Adamah vocant, quia (ut ajunt) intacta & vera terra rubeat. At vero hæ congruentię in institutionem resolvuntur. Nam per solum institutum radix unde hæ voces fluunt, nimirum אדם *rubuit, rufus fuit* significat. Quod si nō est ita det mihi vir doctus congruentiam inter radicem אדם & rem ea significatam. Rursum vocatur homo apud hebræos אנוש & convenienter quidem, quia multis calamitatibus obnoxius est, quod voce illa significatur. Derivatur enim à radice אנש quę *æger fuit calamitosus fuit* significat. At pendet significationis hæc convenientia ex solo instituto. Nam si secus sentit vir doctus, det nobis naturalem aliquam convenientiam inter radicem אנש & significatum ejus. Sexcenta ejusmodi possem proferre.

Deflectit porro vir doctus ad Ciceronem & Marcum Varronem, non ut doceat verba non ex instituto sed natura significare, (nam si hoc tentasset felicem successum sperare non potuisset, sed suo se gladio ingulasset) sed *ut doceat non sequi, si verba significant ex instituto, ergo naturam eis nullo modo tribui posse. Sufficit autem*, inquit *si vel una vocis illius significatio eis conveniat, ut à loco Pauli (qui naturam absolute & generatim nominat) ad ea ducatur argumentum æque solidum ac est argumentum Poimenandri, Vt enim ille ex natura infert naturæ legem, & ex hac peccatum contra naturam in ordine ad pilos, ita qui ejus fundamento inhæret etiam faciet in ordine ad verba, unde eorum significationem naturalem sive nativam in aliam mutat, quod fit in tropis, eum legi naturæ fraudem facere, & contra naturam peccare concludet.* Resp. 1. Mirum hujus viri ingenium. pagina enim 33. contendit vasculo haurire aquam esse prçternaturale quid, quia vascula

arte

arte fiunt; hic vero adducit Ciceronẽ & Varronem ut doceat verbis, quę natura non significant, sed ex instituto, posse tribui *naturam*, adeoque esse aliquem eorum usum *naturalem*, alium vero *præternaturalem*. 2. Edat nobis vir doctus quam vocis *natura* significationem verbis attribuat, ut de ea cogitemus. Certe si putat verba natura significare prout opponitur instituto, & Heracliti & Cratyli sententiam amplectitur, turpiter errat. 3. Falsissimum est Poimenandrum ex natura apud Apostolum absolute & generatim nominata, ad legem naturę, & ex hac ad peccatum CONTRA NATURAM (nam majusculis placuit hęc, ut & alia quędam viro docto scribere literis) argumentari, ut abunde ostensum est. 4. Hinc consequitur frustra virum doctum ex Cicerone & Varrone ostendere niti verbis naturam tribui posse, Pergit tamen vir doctus & ait, *Quid ad hæc vir doctus? Negat tropos esse contra naturam verborum, & licet ita esset minime tamen, inquit, quispiam, nisi plane insaniat, scrupulositate illa quam auctor hic ridicule satis objicit, tenebitur. Resp. Risum viri docti per ea quæ adducta sunt, (& plura possent adduci) nonnihil compressum esse arbitror.* Resp. Si dividendo non dividenda, componendo non componenda, verba auctorum truncando, alio detorquendo, adversariis falsa affingendo, sibi ipsi contradicendo, risus meus comprimi potuit, certe risus meus non tantum nonnihil à viro docto, sed etiam vehementer admodum compressus fuit. Nam vir doctus ut ex iis quę præcesere liquet, sedulo ea ratione risum meum comprimere studuit. Sed quandoquidẽ, nullus nisi qui plane insaniat hac ratione risum suum comprimi patietur, risum meum (si tamen risi, nam ad omnia quę ridicule objiciuntur, ridere non soleo,) non tantum nullo modo repressit vir doctus, verum etiam auxit. Sed *Ad rem:* (inquit vir doctus) *Significatio verborum quæ à natura recedit, interdum contra illam est. ut in Ironia, interdum præter, ut in reliquis tropis. Qui hoc negat, ne definitionem quidem tropi novit.* Resp. Committit vir doctus, ignorationem Elenchi. Dixi enim ego verba non significare natura, sed instituto. Hinc intuli tropos non esse contra naturam verborum. Nam quod non est contrarium non habet. Si ergo vir doctus argumento meo satisfacere voluisset, verba natura significare & non exinstituto probare debuisset, quod non facit Alia quæ hic examinari possent prętereo

à quia

quia non faciunt *ad rem*. Pergamus. Inquit ergo vir doctus: *Insania & scrupulositas quam objicit redundat (quod tamen factum nollem) in Poimenandrum, per cujus vestigia hoc argumentum incedit. Neque sequitur: nemo facile hac scrupulositate tenebitur. Ergo ea non sequitur ex rationibus Poimenandrianis.* Resp. 1. Falsum est redundare hanc insaniam & scrupulositatem in Poimenandrum vel Voetium quem vir doctus hic nomine Poimenandri denotat. Quia ab omni veritate alienum est, quod argumentum viri docti incedat per vestigia Poimenandri vel Voetii. Certe qui toties præsidium causę suę ex falsis hypothesibus quærere cogitur, causam suam, si sciens id facit, desperatam esse clamat. 2. Quomodo ait vir doctus se factum nolle, quod tamen omni modo molitur; nimirum Poimenandro Voetioque, & quidem præter veritatē identidem affricando, id ad quod insaniam & scrupulositatem illam sequi necessarium ait? 3. Affingit mihi vir doctus more suo argumentationem ridiculam. Nam ubi ego sic argumentatus sum? nemo hac scrupulositate tenebitur: Ergo ea non sequitur ex rationibus Poimenandrianis. Verba mea sunt: *Licet natura sua significarent verba id quod significant, & usus troporum esset contra naturam illorum, minime tamen quispiam, nisi plane insaniat scrupulusitate illa, quam auctor hic ridicule satis objicit, tenebitur, quia usus troporum sæpe necessarius est, & ratione boni habet; pingunt enim orationem & illam illustrant: unde Christus, prophetæ, & Apostoli à tropis non abstinuere.* Attuli autem hæc in eum finem ut ostenderem futilem viri docti objectiunculam, de usu troporum, non attingere Voetium quem sub nomine Poimenandri vellicat: ut qui non damnavit *quidquid* quoquo modo contra naturam est p. lib. Poim. 337. 338. sed quidquid ita est contra vel supra, vel præter usum naturalem rei, ut nullum commodum, sed tantum damnum adferat, & ex vana ostentatione proficiscatur. Appositę autem hęc à me allata esse, nec speciem dare enthymematis quod vir doctus more suo cudit, nullus dubito. Sequamur tamen virum doctum: is ergo discerpit in partes responsionem meam, quę integra relinquenda fuerat, nam quod sequitur, non quæsitam, sed justam necessitatem, de qua loquor, esse, docet. Ait autem, *Addit usum troporum sæpe necessarium esse, quia plures sint res quam verba: Resp. Nullam esse necessitatem delinquendi, iis quibus una est necessitas non delin-*

quendi. ex Tertul. Deinde nego ex eo quod plures sint res quam verba; sequi necessitatem troporum, quia huic defectui succurri potest novorum verborum inventione. Resp. 1. Supponit vir doctus, non probat ex verbis adversariorum suorum sequi usum troporum esse illicitum. non quadrat ergo hic dictum Tertul. 2. Donec inventione novorum verborum defectui quo laboramus succursum non est, usus troporum necessarius est 3. Convocet vir doctus omnes totius mundi philosophos, & videat num omnibus rebus propria nomina sit inventurus. 4. Non tantum requiritur ut nova verba inveniantur, ut cesset usus troporum; sed etiam ut ea ab omnibus recipiantur, & memoria teneantur. At quando hoc fiet? Nam quantulum est verborum quæ inventa sunt, quod memoria tenemus? *Addit*, inquit *& rationem boni habent: pinguit enim orationem & illustrant. Resp. Nullum tam grave scelus esse quod non habeat rationem boni, saltem utilis aut jucundi. Ideo rationem hanc nullius momenti esse.* Resp. Peccata si habent rationem boni, tantum apparentis boni habent. In se mala sunt, & tantum damnum adferunt. Adeoque longe absunt à ratione boni quod tropis convenit. *Addit*, (ait) *unde Christus, prophetæ, & Apostoli à tropis non abstinuere. Resp. hoc vere est nugas agere. Nam inde sequitur tropos esse licitos. At ex Poimenandri ratione sequebatur eos esse illicitos, neque proinde Christo fuisse usurpandos & hæc pro* VII. *nostra ratione.* 1. Nugas egissem si tropos illicitos, esse vel dixissem vel probare nisus fuissem. Sed minime nugas ago cum (quod hic sit) ostendo septimum viri docti exemplum ab usu troporum ductum, quo infringere nititur argumentum Cl. Voetii quod exstat lib. Poim. p. 337. 338. esse ἀπροσδιόνυσον. 2. Falsum ex Poimenandri sive Voetii ratione sequi tropos esse illicitos, neque proinde Christo usurpandos fuisse. Petit vir doctus principium: atque adeo vere nugas agit; quod etiam attentum lectorem ad quem pag. 34. provocat, ex iis quæ hactenus disputata sunt, judicaturum existimo.

CAPUT X.

RESponsiones auctoris ad octavum exemplum de eo quod est contra naturam vindicantur. Argumentum viri docti ab exemplo Dei expenditur: Ver-

Verbis suis convincitur. Injuriam facit Poimenandro. An nunc elementum aquæ sit in loco naturali. Quod sub distinctione affirmatur & probatur. Viri docti contraria sententia refutatur. Violentum secundum eundem nunc esse situm elementi aquæ probatur. Mutatio rẽ præter in contra quod expenditur. Vox Totius à viro docto detorta. Quid natura. Suppositio viri docti quæstiunculam ejus elidit. Quæstio quæstione compensata Error de conservatione Noachi & pulsilli gregis ostenditur. Scholastici. Cajetanus. Libere & tamen necessario, sed ex hypothesi, agere Deum nõ sunt pugnantia. De morte Christi & peccato Judæorum. Metamorphosis viri docti an recte ab auctore indicata fuerit? Invidiose opponere. Modestiæ an vir doctus litarit? Præteritio ejusdem. An quod contra naturam est, sit supra naturam & aliquid amplius? Explicatur id & astruitur ratione & auctoritate. Pars negans refutatur. Creaturæ possibilem esse operationem supra naturam sub distinctione affirmatur, & probatur. Fuga viri docti id negantis. Contradictio ejusdem. Subterfugium intertur. Latebræ solitæ. Accusatio de confusa potentia naturali & obediencepta. tiali retunditur. Contradictio. Syllegismus frivolus. Natura an & quomodo finem significet? Querimonia Poimenandri. Fides auctoris. excusatio viri docti refellitur. Duplicatio culpæ. Postulata auctoris. Contradictio viro docto objecta probatur. Auctori objecta redarguitur.

PRogreditur vir doctus ad defensionem VIII. exempli sui, *Vbi Deum ipsum suo exemplo docuisse ait, & licere & expedire sæpe, ut ordo naturæ ad utilem aliquem in vita finem invertatur.* Responsum à me fuit datum, quintuplex. Primum erat, » Ab exemplo Dei ad id quod nobis licitum est, male concluditur » nisi ponẽda ponantur. Eripuit enim Deus Chananæis bona quę ju- » sto titulo, saltem quoad forum externum, possidebant, & ea Israeli- » tis tradidit: Male tamen inde concludet adversarius, sibi licitum » bona aliis eripere. Respondet vir doctus *Docendum erat viro docto quænam ponenda hic non ponantur, alioqui nihil agit.* Resp. 1. Statuit ergo vir doctus omnia ponenda hic esse posita: Atque adeo hæc major vera est: quidquid Deus facit ad utilem aliquem in natura finem, id homini similiter facere licitum est. Subsumam ego, Atqui Chananæis eripuit bona sua & ea Israelitis dedit: Item ab Ægyptiis commodata Israelitis concessit: & sexcenta ejusmodi. Et concludam. Ergo id homini similiter facere licitum est. 2. Quod si agnoscit, non omnia ponenda esse posita: non ipse à me petere debebat, quę nam illa essent, sed ipse ea ponere debuisset, ut argumentum stringeret. Nam miserum est ab adversario pe-

tere ea quæ faciunt ad argumenti robur. Pergit: *In exemplo quod contra adfert manifesta est ratio, cur non liceat mutari factum Dei, quia videlicet vetuit Deus furtum facere* &c. Resp. Concedit hic mihi vir doctus non valere argumentum ab exemplo Dei nisi *positis ponendis*. Nam enstasin meam adversus majorem suam nulla limitatione vestitam firmam esse agnoscit. Quid ergo responsat? Addit *Multo minus locum habet in re proposita, nusquam enim Deus vetuit elementorum situm naturalem mutare, alioqui omnes mistiones essent prohibitæ.* &c. *Ideoque in eo nisi quid firmius contra attulerit vir doctus, ab exemplo Dei recte ducitur argumentum.* Resp. 1. Quesivit vir doctus antea quænam ponenda esent, ut ab exemplo Dei recte ducerctur argumentum, ac si exemplum Dei per se sufficiens foret ad evincendum id quod vult: At hic ipse docet quidnam argumento suo apponere debuerit, dum ait: *Nusquam enim Deus vetuit elementorum situm naturalem immutare.* Hinc enim habeo hanc majorem non valere: quidquid Deus facit ad utilem in natura finem id nobis similiter facere licitum est: sed hanc demum probam esse: quidquid Deus facit ad utilem aliquem in natura finem, nec uspiam, ut similiter ab hominibus fiat, prohibet, id facere similiter nobis licitum est. 2. Non opus erat ut Deus prohiberet mutare elementorum situm naturalem: Quia nulla creatura illud potest. 3. Id quod adduxi ita firmum est, ut nisi id agnoscat vir doctus, hoc ipsi defendendum sit: Quidquid Deus facit ad utilem aliquem in natura finem, id similiter facere nobis licitum est: atque adeo infinita absurda. Alterum responsum meum erat: Quis dicit absolutè illicitum esse rebus contra inclinationem naturalem uti? Vide distinctionem datam. Respondet: Quicunque argumantatur à vocabulo naturæ absolutè posito, ad naturæ legem, necesario statuit, quicquid quoquo modo contra naturam fit, etiam contra legem fieri, atque ideo illicitum esse. ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Resp. At quis ille *quicunque?* Non Poimenander, non Voetius ut jam dudum ostendi. Tertium responsum meum erat: Vnde probat auctor hic terram vel aquam nunc esse in situ violento? ut primo die terra & aqua erant in situ naturali, sic etiam nunc sunt, propter illam quæ tertio die facta est mutationem. Adhoc autem vir doctus sic ait. *Situs elementorum naturalis est, ut quod gravius est subjidat, quod levius emi-*

emineat. Terræ ergo quæ graviſsima eſt debetur locus infimus, ſuper illam aquæ & ſuper hanc aeri. Si hic ſitus naturalis eſt, is qui ſucceſsit tertio die eſt præter naturam totius elementi. Violentum eſſe non dixi, quia ad hoc aliud requiritur, ut videlicet patiens reluctetur, quod hic non eſt. Reſp. 1. Ne hic ingrediar prolixam diſputationem de opere creationis primæ & tertiæ diei de quo videri poſsunt, præter noſtros in 1. cap. Gen. commentatores Thomæ ad p. 1. quæſt. 77. & 79. dico ſitum naturalem aquæ dupliciter ſpectari, vel ratione originis primæ, vel ratione diſpoſitionis divinę quę originem ſecuta eſt. Quod ſi priori modo conſideretur aquæ ſitus, dari poterit ſaltem ſecundum quid eum fuiſse quẽ vir doctus cupit. At ſi poſteriori modo conſideretur, dico ſitum aquæ, quem nunc obtinet, etiam naturalem eſse. Nam ſi naturale eſt aquæ, ut deſcendat ubi terra cedit, dici nequit, ſitum aquæ quem nunc obtinet, poſtquam cavitatibus virtute divina tertio die (ut communiter ſtatuunt Scholaſtici) in terra factis ad loca depreſſiora ſeceſsit, eſse præternaturalem. Quod ſi id neget vir doctus, dicendum erit, quidquid aquarum ante tertium diem terris immixtum erat: (nam totum corpus terrę aridum fuiſse non dicet) in ſitu non naturali fuiſse. 2. Flumina ad mare decurrentia in locum non naturalem fluere. 3. Diluvium ſecundum naturam fuiſse. 4. legem quam Deus aquis tertio Dei fixit, eſse præter ordinem naturæ. 2. Hac diſtinctione poſita patet, quid reſpondendum ſit ad verba: *ſi hic ſitus naturalis eſt, is qui ſucceſsit tertio die eſt præter naturam totius elementi* nimirum neutrum eſse pręter naturam; ſed utrumque ſecundum naturam; ſed, diverſo, reſpectu. 3. Si ſitus quem nunc aqua obtinet eſt *præter naturam* TOTIUS *elementi*, ſequitur aut aquas nullas ante tertium diem viſceribus terræ immixtas fuiſse: aut ſitum quem nunc obtinet aqua non eſſe *præter naturam* TOTIUS *elementi*. 4. Explicet mihi vir doctus, à quo terræ infimus locus, proximus aquę, tertius aeri deberetur. 5. An non ſit contra inclinationem aquæ, non eſſe in loco qui ipſi debebatur? atque adeo an non violentum nunc ſitum habeat? Addit: *Mirifica ſunt autem ultima verba viri docti (ſi ego ea protuliſſem ridicula eſſe dixiſſet) videlicet terram & aquam nunc eſſe in ſitu naturali propter illam quæ tertio die facta eſt, mutationem. Si ita res habet, ſequitur ante illam mutationem in ſitu naturali non fuiſ-*

se, ac proinde juxta illationem viri docti creata esse in situ violento. quod non modo falsum, sed & contra hypothesin. Resp. per me licet, ut verba mea mirifica, imo etiã ridicula videantur viro docto, modo vera sint. Vera autẽ esse ex dictis liquet. Non valet ergo illatio viri docti inter situm primitivum & naturalẽ nõ distinguẽtis. Potest situs esse naturalis, qui non sit primitivus, modo secundum naturam rei sit. Nisi hoc fateatur vir doctus, dicendum ipsi erit, aquam præter naturam deorsum fluere: atque adeo secundum naturam accidisse, ut aquæ maris rubri fissæ starent. 2. Velim me doceat vir doctus quomodo aqua nunc sit in alio loco quamqui ipsi debetur, & juxta illum tantum naturalis est, & tamen non sit in situ violento.

„ Quartum meum responsum erat: Quod si daretur quod vult vir
„ doctus, dicam situm illum quem nunc obtinent, esse quidem PRÆ-
„ TER naturam particularem illorum elementorum, sed non PRÆ-
„ TER naturam, elementorum quatenus sunt partes universi. Respondet, *Sufficit mihi, esse aliquo modo* CONTRA *naturam quod mihi largitur vir doctus. Inde enim sequitur non quidquid quoquo modo* CONTRA *naturam est, esse illicitum. Quod adversario statuendum est, si ex nuda voce naturæ ad naturæ legem quod facit, argumentari vult.* Resp. liberalitate mea qualicunque (nam συγχωρητικῶς, loquor) abutitur vir doctus. mutat enim vocem PRÆTER in CONTRA, & quidem bis. hinc colligo, aut ipsum sentire quidquid est præter naturam rei, etiam esse contra naturam, atque adeo velle eum, cum ait situm aquæ qui succesſit tertio die esse PRÆTER naturam, eundem esse CONTRA naturam: ac proinde eum quidquid dicat, velle aquam nunc esse in situ violento. Vel eum mihi mutatione hac manifestam injuriam facere. 2. Falsum est, immo falsissimum me à nuda voce *naturæ* ad naturæ *legem* argumentari. Ostendat mihi locum ubi sic argumentor. Addo falsissimum quoque esse aut Poimenandrum aut Voetium sic argumentari. Contrarium patuit cap. 7. Quintum responsum erat.

„ Ratiuncula hæc solutionem secum affert. Supponitur enim ele-
„ mẽta à Deo non esse relicta in primævo statu, ut stirpes pecudes &
„ homines essent: At totius quam partis majorem habendam esse
„ rationem vel ipsa natura docet, Quid ad hæc vir doctus? Ait

Resp. 1. Solituncula hæc præsupponit, stirpes, pecudes, & homines esse to-

totum: elementa autem terram & aquam partes. Quod falsum est: nam utraque sunt pates universi. 2. *Velim nos doceat vir doctus, quænam natura doceat, Deo totius magis quam partis rationem habendam? An non is majorem minimæ partis rationem habuit, puta familiæ Noachi, quam totius universi reliqui? An non majorem rationem habuit pusilli sui gregis, quam reliquorum omnium? Et an non hæc omnia facit ex libero suo beneplacito, minime autem ex necessitate vel suæ vel cujuscunque alterius naturæ.* 3. *Moneo virum doctum, ipsius vestigia secutus, ne hoc ita nude etiam respectu hominum statuat, sed positis ponendis. Alioqui procedet ratio Cajaphæ videlicet conducere ut unus homo moriatur pro populo & tota gens nõ pereat. Hoc enim est idem ac si dicat totius magis quam partis rationem habendam esse.* Resp. Ad 1. responsiuncula hæc falso affirmat me supponere, stirpes, pecudes & homines esse totum, elementa autem, terram & aquam esse partes. Voce enim Totius *universum* intelligo, ad cujus perfectionem faciebat stirpium, pecudum, & hominum productio, quæ aquarum in unum locum congregationem requirebat. Ad. 2. Recta ratio est illa natura quæ in re proposita docet Deo magis *Totius* quam partis rationem habendam fuisse. Supponitur enim à viro docto, Deum stirpes pecudes & homines producere voluisse, eaque nisi ordo naturæ ad utilem illum finem inversus fuisset, sed aqua totam adhuc terram operiret, futura non fuisse. Verba viri docti sunt: *Denique (ne nimium nos hic diffundamus) Deus ipse suo exemplo docuit & licere, & expedire sæpe numero, ut ordo naturæ ad utilem aliquem in vita finem invertatur, Si enim elementa reliquisset in ordine ac situ suo naturali, aqua terram totam adhuc operiret, & nec stirpes, nec pecudes, nec homines usquam essent. Ideo illum ordinem mutavit* v. Gen. 1. 2. 9. Hisce autem suppositis, recta ratio (ut quę Deum prudentissimè operari novit) docet, Deo, ut efficeret quod volebat, impedimentum removendum, id est aquas in unum locum colligendas, atque adeo majorem rationem totius id est universi, ad cujus perfectionem faciunt stirpes, pecudes & homines, quam partis id est aquę quoad situm, habendam fuisse. 2. Vicissim quæro à quo terrę deberetur infimus locus, proximus aquæ & tertius aeri? Vbi autem hoc explicuerit, sibi quæstionem hanc quam movet inutilem sen-

sentiret. 3. Exempla Noachi & pusilli gregis (si verum est quod vir doctus ait) ad propositum non faciunt: hic enim quæstio est de effectu conducente ad perfectionem universi: at exempla allata talia sunt, ut supponit vir doctus, ut non faciant ad perfectionem universi, sed partis. 4. Falsum est in conservatione Noachi & pusilli gregis magis habitam rationem partis quam universi. Quoniam enim certum est conservationem Noachi & pusilli gregis non minus esse actus providentiæ divinæ, quam punitionem sceleratorum: consequitur tum in illa tum in hac spectatam fuisse perfectionē universi. Nam ut verum est Deum providentia sua res dirigere in fines suos particulares, sic quoq; verum est eundem eas quoque dirigere in finem quendam universalem, nimirum perfectionem universi, ad declarationem gloriæ suæ. Videantur hac de re Scholastici ad Thomam parte 1. quæst. 22. Quod si autem id verum est, (ut verissimum est) sequitur Deum providentia sua circa singularia, magis habere rationem Totius sive universi, quam partis. Docet hoc Cajetanus ad partem & quæstionem dictam art. 2. *Integritas* inquit *universi majus bonum est quā quodcunq; particulare bonum creatum. Gen.* 1. Legantur quoque quæ sequuntur. 4. Non repugnat Deum libere quid agere, & simul necessario, sed diverso respectu. Libere Deus creavit quidquid creavit. Libere Deus gubernat quidquid gubernat. Quia potuisset, nisi decrevisset creare & gubernare, quæ creavit & gubernat, non creare & gubernare. At posito decreto creandi & gubernandi, necessario creavit & gubernat. Quia voluntas Dei est immutabilis. Amplius dico Deum posse aliquid libere agere, & tamen cum agit non posse aliter agere ex *necessitate naturæ suæ.* libere certe Deus homines alloquitur, at quando eos alloquitur, per *naturam suam* non potest aliter quam verum loqui, quia seipsum abnegare non potest. Ipse vir doctus cum ait disp. 1. Thes. 7. *Si enim elementa reliquisset in ordine ac situ suo naturali, aqua terram totam adhuc operiret, & nec stirpes, nec pecudes, nec homines usquam essent. Ideo ordinem illum mutavit;* satis ostendit, in actionibus Dei liberis aliquam necessitatem cum libertate consistere posse. Quod si enim elementis in ordine ac situ suo naturali relictis, nec stirpes, nec pecudes nec homines futuri fuissent, & tamen hæc Deus producere decreverat, & quidem hoc &

non

non alio quam produxit, modo, an non necesario Deus *ordinem naturæ*, ut vir doctus ibidem loquitur, invertit? Ad 3. gratiam habeo viro docto pro admonitione: sed intempestiva est. Nam ut revera expediebat, ut Christus moreretur pro populo suo Ioan. 11. 50. 51. atque adeo id faciebat ad perfectionem universi, sic peccatum judæorum Christum interimentium non faciebat ad perfectionem universi, verum id per quod peccatum illud ad ordinem reductum est, quod minime peccato, sed Deo tribuendum est.

Dixerat vir doctus disp. de coma 1. Thes. 7. *Nota obiter, quam imprudenter Poim. etiam quæ supra naturam sunt illicitis annumeret, quod in ipsum Deum injurium est, quem solum supra naturam operari constat.* Hoc ego ad examen revocavi & dixi 1. Sed non tam nominandus erat Poimenander quam Voetius. Quid hic à me peccatum? An verum non est quod dixi? Verum esse ne quidem vir doctus negat. An intempestive hoc monui? Tempestive sanè. Nam tum cum dicendum erat, dixi. An malo fine? Optimo sane fine; nimirum 1. Vt vir doctus in posterum à lacessendo Cl. Voetio abstineret, ne ipsi necessitatem sua defendendi imponeret, neque se majoribus, quam quibus se evolvere posset, difficultatibus indueret. 2. Vt lectores, quibus nota est eruditio Collegæ mei, suspectum haberent judicium viri docti de injuria (de qua loquitur) imprudenter in Deum commissa. Ait tamen vir doctus: *Vbi primo mihi satis invidiose nomen Clariss. Collegæ sui opponit, cujus ea sint verba non Poimenandri.* Resp. Hic iterum vir doctus se judice pag. libert. 20. Tribunal Dei καρδιογνώστου conscendit, dum judicat de fine quem mihi hic propositum habuerim. Invidiose enim is alteri aliquid objicere dicitur, qui id facit ut eum cui id objicit in invidiam & odium adducat. Præterea profert rationes quare Poimenandrum nominarit; omiserit vero Voetii nomen. Sunt autem eæ; 1. Quia Poimenander Voetiana pro se laudando sua fecerit. 2. Eaque ad suam opinionem à Voetiana diversam perperam accommodaverit. Rationes eas nunc non excutio, 1. Quia dixi. 1. *Non tam erat nominandus Poimenander quam Voetius*: Non autem, non erat nominandus Poimenander sed Voetius. 2. Quia supra satis de approbatione librorum dictum fuit, quod huc referri potest. 3. Quia ipse lector ex collatione status controversiæ à Poimenandro libel.

sui p.34. constituti, & quæstionum ad quas Voetius respondet pag. lib. Poim. 336. & seq. aliquot, facile videre poterit, Poimenandrum verba Voetii ad sententiæ suę confirmationē non perperam accommodasse. Præterire vero non possum, quod ait id à se factum ut *modestiæ litaret*. Hinc enim consequitur, si litatur modestiæ, cum auctorum, quos refutandos sumimus, nomina silentio præteriuntur, non litasse modestię virum doctum, me, Poimenandrum & Borstium quos sibi refutandos susceperat, toties in disputationibus suis nominando. 2. Non litasse saltem modestię, cum Poimenandrum qui tantum *pro se laudando quæ Voetii sunt* (ut ait) *sua fecerat*, & *ad suam opinionem à Voetiana diversam perperam accommodarat*, nominavit, Voetio ipso non nominato. Forte Pomum est, quidquid in Poimenandri caput mittitur. Omiseram quod ait, de prętermissa in Thesibus suis approbatione in qua & nomen meum compareat operi Poimenandriano præfixa; quod tamen intactum relinquendum non est. Nam nolo vir doctus existimet me sibi eo nomine, aliquid debere. Si enim ab ipso aut alio quocunque approbationem illam silentio sepeliri voluissem, eam cum collegis meis Poimenandro non concessissem, nec nomen meum subscripsissem. 2. Pręteriit quidem illam vir doctus in thesibus suis de coma, sed non in syrraxi publica, narravere enim mihi qui interfuere quod cum edoceretur ipsum mihi tribuere, id quod non sentio, ut se expediret, ad approbationem illam *in qua & nomen meum comparet* confugisse. Dixi 11. Si D. Poimenander aut D. Voetius sint injurii in Deum, etiam auctor hic injurius est in Deum. Statuit enim ut ex ratiunculis paulo ante refutatis liquet, creaturæ possibilem esse operationem contra naturam. At operatio contra naturam dicit operationem supra naturam & aliquid amplius. Respondet vir doctus: *An rationes meas suis solutiunculis infirmarit, penes lectorem judicium esto. Sed acroama quod hic ponit omni veritate caret. Si enim omnis operatio contra naturam alicujus, sit etiam supra eam, immo aliquid amplius, sequitur amplius quid esse pugnam quā victoriam. Et operationem Satanæ ac perditorum hominum esse supra naturam operationum divinarum, imo aliquid amplius quam supra illam, quia sunt contra illam, quod & δύσφημον est & prorsus ἀκατάληπτον. Nam qui Deo utriusque generis operationes tribuunt, tamen hisce palmam tribuunt, non illis.*

illis. *Tunc enim eum facere contra naturam ajunt, quando facit aliquid cujus simile in natura, & à natura habet, tamen alio modo omnino diverso*, ut *cum divina virtute vitam aut visum dat. Supra naturam* autem quãdo facit tale quid *cui simile natura facere nõ potest, & ad quod natura non habet ordinem secundum propriam virtutem, sicut quando Deus factus est homo. Ita Bonavent. d. 18. in fi. lib. 2.* Resp. 1. Libenter permitto judicio lectoris an *solutiunculis meis* Viri docti *rationes* refutarim nec ne. 2. Tota hęc δυζφημία & ἀκαταληψία quam vir doctus hic mihi objicit, nata est ex prava interpretatione vocabuli AMPLIUS quo usus sum. Ipse enim ita eam interpretatur ac si sensu *Majus* posita esset, cum id mihi significet idem quod *præterea* quo sensu apud idoneos linguæ latinæ auctores sumi nulli est dubium. Sensus itaq; verborum meorum est: quod *operatio contra naturam dicit operationem supra naturam & aliquid præterea.* Recte autem id à me dictum esse patet, quia operatio contra naturam dicit præter negationem potentię rei ad effectum, quod per operationem illam producitur, etiam contrariam aliquam inclinationem, vel exigentiam quandam oppositi. Sic certe lapidem sursum ferri nõ tantum est supra potentiam lapidis activam, sed etiam contra naturalem ejus inclinationem. Sic quoque restitutio visus in cæco, non tantum est supra potentiam naturalem cæci, sed etiam quodammodo contra naturæ exigentiam, ut quę per se considerata sine ordine ad Deum, exigit permanentiam cęcitatis. Audiamus hac de re Valentiam. Is ergo ad Thomam Tom. 1. disp. 8. quæst. 3. de 2. Effect. gub. divin. puncto 2. sic ait: *Tertio sequitur si respiciamus ad naturam particularem rerum, præter cujus rationem, & facultatem miracula fiunt, dici posse miracula esse ex ea parte contra particularem rerum naturam, quatenus rei natura particularis, exigit aliud quiddam oppositum ei, quod in illa fit per miraculum: sicut natura hominis qui ante fuit visu orbatus, exigit permanentiam cæcitatis, cui est oppositus visus, qui interdum restituitur per miraculum. Si autem simpliciter respiciamus naturam rerum ut habent quoque* NATURALEM POTENTIAM OBEDIENTIALEM *ergà Deum ejusque omnipotentiam: Sic non sunt quidem miracula contra rerum naturam; sed quodammodo secundum illam.* 2. Si operatio contra naturam dicit PUGNAM non VICTORIAM & Deo competit juxta virum doctum, (approbat enim

ea quæ ex Bonaventura adducit) operatio contra naturam, PUGNAT in tali operatione non VINCIT Deus, quod est δύσφημον & ἀπαθέλητον. Dixi III. distinguo inter naturam hujus aut illius rei secundum quid & naturâ ejusdē absolute cōsideratā, & dico creaturæ possibilem esse operationem aliquam supra sive præter naturam alicujus rei secundum quid consideratam. Respondet vir doctus: *In enthymemate adversarii, quo infert comam virilem prolixam esse illicitam, quia sit supra naturam capillorum, hic latet syllogismus: Quidquid est supra naturam alicujus rei, est illicitum: coma prolixa &c. ergo.* Resp. An Cl. Voetius (quem hic nomine adversarii designat vir doctus) hoc enthymemate usus fuerit, ut ipsi ridiculus ille syllogismus viri docti tribui possit, supra cap. 8. examinatum fuit. Pergit. *Negavi majorem, quia Deus agit supra naturam nec tamen ejus actiones sunt illicitæ. Hunc nodum non solvit vir doctus, sed arripit vocem solius ac probat etiam actionem creaturæ posse esse supra naturam illius rei, sed secundum quid.* Resp. 1. Totum argumentum viro docto omittendum fuerat, non neganda major. Quoniam sibi adversarium fingit (ut ostendi cap. 8.) quem non habet. Neque enim Cl. Voetius tam imbellis est disputator ut tali argumento uti velit. 2. Quęstio erat de verbis viri docti *disp. 1. Thes. 7. Nota obiter quam imprudenter Poim. etiam quæ supra naturam sunt illicitis annumeret, quod in ipsum Deum injurium est, quem solum supra naturam operari constat.* Negavi Voetium esse injurium in Deum, Negavi quoque (negandum enim hoc erat ut liberarem Cl. Voetium ab injuria in Deum) *Deum solum supra naturam operari constare.* cum ratione me hoc negasse tum ex verbis meis paulo ante allatis & porro adducendis liquere existimo. Addit: *Cum soli Deo operationem supra naturam tribui, accepi vocem in famosiori significato prout ille solus facere potest quæ omnē vim naturæ creaturæ excedunt. Hoc modo operatio supra naturam nec absolutè nec secundum quid creaturæ competit. Alii modi operandi supra naturam alterius rei excogitari possunt. Nam cum unius rei creatæ natura superet naturam alterius rei in esse, utique etiam in operari. Sic operatio angeli est supra operationem hominis, hujus supra operationem bestiæ, & bestiæ quoque supra operationem vegetabilium &c. Item cum pugna est inter naturas contrarias; contingit alteram ab altera superari atque etiam destrui, exemplum de igne & aqua. Sed hæ non sunt acceptiones Theo-*

lo-

logicæ & supra. ut notum est, adeo eas recte omittere, potui. 2. *Non faciunt ad causam adversarii, sed contra eam, quippe hæ operationes quia supra aliquam naturam sunt, non ideo sunt illicitæ; alioqui quod contra adversarium est, tonsura erit illicita, quia superat naturam capilli quem amputat & destruit, saltem ex parte.* Resp. 1. Fatetur hic vir doctus verum esse quod dixi, videlicet creaturæ possibilem esse operationem *aliquam* supra sive præter naturam alicujus rei, atque adeo, non *constare*, immo falsum esse quod ipse dixerat *Deum solum operari* supra naturam 2. Inane subterfugium est quod ait se, cum *soli Deo* operationem *supra* naturam tribuit, accepisse vocem in *famosiori significato, prout ille solus facere potest quæ omnem vim naturæ creatæ excedunt.* Nam quod si ita est necessum est, ut aut Cl. Voetius, (quem arguit vir doctus injuriæ imprudenter in Deum admissæ) creaturę tribuerit operationem *supra* naturam quæ omnem vim creatam excedit: aut ipse cum dixit, *constare Deum solum supra naturam operari* de famosiori illa significatione non cogitarit, sed quidquid quoquo modo est supra naturam alicujus rei Deo soli tribuerit. At primum falsum est: Verba enim Voetii sunt. **Ten tweeden om dat het tegen of ten minsten boven ende buyten het natuerlijck gebruyck des haers is (waer van de Medici ende Anatomici handelen) sulcken overschot ende quantiteyt daer van te houden: waer mede het hooft niet bedeckt: maer veel eer beswaert wert.** &c. Posterius ergo verum est. Prætereo exempla quę vir doctus in medium adfert, nec examino an ad propositum faciant. Quia iis non sum usus; alia attuli. 4. Theologicum non est, ut evincas eum qui dixit esse contra vel saltem supra & præter naturalem usum capillorum, de quo Medici & Anatomici tractant, tantam eorum redundantiam & quantitatem retinere, ut non tegatur, sed potius gravetur caput &c. imprudenter injurium esse in Deum, asserere, nulla explicatione aut distinctione addita, *Deum solum supra naturam operari constare.* 5. In solitas latebras vir doctus se iterum recipit, tribuendo adversario quod dixerit quidquid quoquo modo est contra naturam id esse illicitum. Vbi probaverit vir doctus hoc ab adversario dictum esse (quod hactenus non fecit) eum ego non defendā. » Addidi iis quę paulo ante ex thesibus meis adduxi: Verbi gratia, » sursum ferri lapidem est quidem supra naturam lapidis, quo ad po-

„ tentiam ejus actívam, at non est supra potentiam ejus universali-
„ ter consideratam, etiam in ordine ad creaturas. Habet enim ad hoc
„ potentiam obedientialem, etiam in ordine ad creaturas. Sed inna-
„ tare ferrum aquæ (ut factum tempore Elisęi) absolute supra natu-
„ ram ejus est in ordine ad creaturas: quia non habet potentiam o-
„ bedientialem ut actus secundus gravitatis à creatura suspenda-
„ tur: quamvis habeat respectu Dei. Respondet vir doctus *Possem hoc exemplum prætermittere, nam solutione modo data ejus vis evanuit. Unum addo ex superabundantiam videri mihi minus recte nec juxta communem usum philosophantium potentiã obedientialem cum naturali confundi. ita enim debet oppositionem instituere: sursum ferri lapidem, est quidem supra naturam lapidis, quoad potentiam ejus activam, at non est supra naturam ejus quoad potentiam universaliter consideratam &c. Habet enim ad hoc potentiam obedientialem. Atqui potentiam obedientialem naturali opponi solere meminí etiam tum cum relationem habet ad creaturam. Ita enim naturalem definiunt. ut sit ordo, propensio, cuique rei insita ad id quod sibi consentaneum est, ut potentia materiæ ad formam sibi proportionatam &c. Obedientialem autem, ut sit aptitudo seu non repugnantia, quam res habent ad aliquid obtinendum ab eo cui præter vel supra naturæ modum obedire aptæ sunt. Quomodo inest ligno potentia ad formam statuæ, quæ est præter naturam, pro ut natura ab arte distinguitur &c. v. Coll. Conimbr. in 1. phys. c. 9. q. 12. a. q.* Resp. 1. Si hoc exemplum præterire vir doctus potuit, etiam præterire potuit omnia quæ contra se faciunt. Docet enim hoc exemplum, non constare, immo falsum esse, Deum solum operari supra naturam, quoniam etiam creaturę competit operatio aliqua supra naturam alicujus rei secundum quid consideratam: atque adeo male impegisse virum doctum Voetio quod imprudenter injurius esset in Deum. 2. Solutio quam dedit vir doctus, talis est, ut mihi concesserit verum esse quod dixi, posse creaturę tribui aliquam operationem, quæ sit supra naturam alicujus rei, atque adeo causam tradiderit. 3. Male vir doctus ait me confundere potentiam obedientialem cum naturali quam vocant. Tale enim est argumentum ejus: *Qui dicit ferri lapidem sursum esse quidem supra naturam lapidis quoad potentiam ejus activam; sed non esse contra naturam lapidis quoad potentiam ejus universaliter consideratam, etiam in ordine ad cre-*

atu-

aturas, quia ad hoc habet potentiam obedientialem: is confundit potentiam obedientialem cum naturali. Atqui adversarius hoc dixit. Ergo. At falsa est major hujus argumenti, nec video eam solida ratione à viro docto confirmatam. Nam definitio potentiæ naturalis & obedientialis quam dat, non confirmat sed destruit, quod adstruere nititur. Naturam fateor, nominavi, sed potentiam, quam vocant obedientialem, propterea naturalem non vocavi; & si eam sic vocassem non omisso tamen, discriminis ergo, voce *obedientialis*, quid hic à me peccatum foret? Nam utique ostenderem me non loqui de potentia illa quam absolute naturalem vocant, sed de alia potentiæ specie, & auctoritate Scholasticorum me tueri posse. quoniam inter ipsos non desunt qui potentiam obedientialem ita naturalem vocant. Sic enim Valentia ad 1. p. Thomę disp. 8. quæst. 3. puncto. 2. loquitur: *Si autem simpliciter respiciamus naturam rerum, ut habent quoque naturalem potentiam obedientialem erga Deum ejusque omnipotentiam: sic non sunt quidem miracula contra rerum naturam* &c. Dixi IV. Voetius quando ait usum illum comarum de quo loquitur esse supra vel præter naturam, nihil aliud voluit, quam esse alienum à fine propter quem comæ hominibus datæ sunt. Respondet vir doctus *Cum Poimenandro hic mihi res erat, non cum Voetio, usus enim comarum de quo loquitur Voetius, diversus est ab eo de quo loquitur Poimenander.* 2. *Supra naturam alicujus rei esse, & alienum à fine illius, æquivalere ne ipse quidem vir doctus credit, licet ipse eam sententiam Voetio, nescio quam vere, tribuat. Nam si crederet, saltem significationem vocabuli naturæ pro fine, & supra naturam, pro alienum à fine in suas disputationes textuales retulisset. Ut taceam, probandum esse Poimenandro, usum comæ quæ aures aut cervicem tegit esse alienum ab* omni *ejus fine, id autem nec vir doctus nec Borstius credit.* Resp. ad 1. Si non fuit viro docto res cum Voetio, Neque cum Poimenandro fuit. Nam non puto eum (Si non respicit judicium Voetii) daturum locum ex libello Poimenandri quo probet eum scripsisse *virum comam summittere esse supra naturalem usum capillorum:* ut inde bellum hunc syllogismum exprimat, quem propinat libert. pag. 46. Quidquid est supra naturam alicujus rei, est illicitum: Coma prolixa &c. Ergo 2. Ipse vir doctus non obscure fatetur sibi rem fuisse cum Voetio libert. pag. 44. Vbi ait: *Vbi primo*

mihi

mihi satis invidiose nomen Clariss. Collegæ sui opponit, cujus ea sint verba, non Poimenandri. At cum ea Poimenander. 1. *pro se laudando sua fecerit, atque etiam* 2. *ad suam opinionem à Voetiana diversam perperam accommodarit, ut antea docuimus, licere mihi arbitratus sum, hujus nomen omittere & cum solo Poimenandro agere.* Nec valet ratio qua vir doctus probare nititur sibi cum Poimenandro non Voetio fuisse rem, nimirum quia *Usus comarum de quibus loquitur Voetius diversus est ab eo de quo loquitur Poimenander.* Nam 1. talis hinc emergit syllogismus: quisquis diversum comarum usum à Poim. tradit, is thesibus viri docti obpugnatus non fuit. At Voetius diversum usum comarum tradit à Poim. Ergo. falsam, ne quid gravius dicam, hanc esse minorem, ipsæ theses viri docti luculenter docent. 2. Si talibus ratiunculis vir doctus elabi potest atrum album vocare poterit. Nam disp. sue 1. thesi 6. citans verba: *contra, supra vel præter naturalem usum* quę thes. 7. fugillat, & unde injuriam in Deum arcessit, nos ad pag. 337. nec aliam prętereа, libelli Poim. ablegat: at ibi loquitur Voetius, dicitque capillos qui non tegunt sed potius gravant caput esse *supra naturalem eorum usum.* 3. Dimittam virum doctum nec urgebo ipsi rem cum Voetio fuisse, etiamsi & pagina quam indicavit id doceat, & ipse, (ut Paulo ante ostensum fuit ex pag. libert. Christ. 44.) id falsus sit, si ostendat nobis Poimenandrum, vel semel in universo scripto suo, phrasi ea quam accusat injurię in Deum atque ex judicio Voetii se hausisse significavit, esse usum. 4. An Voetius in re capillari diversum sentiat à Poim. nunc prętereo, quia extra oleas hic vagatur vir doctus. Ad II. Resp. 1. etiamsi ego verba Voetii male explicuissem verum tamen manet, male dixisse virum doctum nulla explicatione addita, CONSTARE DEUM SOLUM SUPRA NATURAM OPERARI. Et male inde collegisse, EUM QUI ALIQUID QUOD SUPRA NATURAM REI ALICUIUS EST ILLICITIS ANNUMERAT, INIURIUM ESSE DEUM. Ut QUEM SOLUM SUPRA NATURAM OPERARI CONSTET. 2. Vir doctus verba Voetii mutavit & supra naturalē usum in naturam transformavit: vel ut initio thes. 7. disp. 1. fecit *naturām* de suo addidit, eum autem præcuntem secutus sum. 3. Ait vir doctus me non credere quod *natura* finem significet. si de fine operantis loquitur, controversiam non moveo: At si de fine operis & quidem in naturalibus,

natu-

naturam etiam finem significare me credere non diffiteor. Rationem addit quare id non credat, nimirum quia si id crederem, quod me non credere ait, significationem eam in disputationes meas textuales retulissem. At simili ratione inferam virum doctum non credere *naturam* significare, *ingenium*, *staturam*, atque alia multa de quibus lexicographi videri possunt, præsertim autem Henricus Stephanus, nimirum quia significata illa in disputationes suas, ubi naturę significationes evolvit, non retulit. Sed dicet forte, ut antea enim dicentem audivimus. Poimenandrum id est Voetium *contra vel saltem supra vel prater naturalem usum* capillorum attulisse ut ostenderet quid vox *naturæ* in dicto Paulino significaret. Verum quam alienum id ab omni veritate sit, cap. 8. planum feci.

» Concludi: Non ergo Voetius aut Poimenander imprudenter
» injurius est in Deum: sed ipse hic auctor imprudenter injurius est
» in Voetium & Poimenandrum, & sibi imprudenter contradicit,
» dum contendit creaturam posse operari contra naturam, & tamen
» negat posse operari supra naturam, cum tamen nequidem ipse
» Deus in operatione miraculorum absolute operetur contra natu-
» ram, licet operetur supra naturam; quia omnes creaturæ potenti-
» am obedientialem habent in ordine ad Deum ad operationes quæ
» circa illas in productione miraculorum exercentur. Quid ad hæc vir doctus? *Quæ durius*, inquit, *sonant in auribus viri docti, ea depravando non debet reddere duriora* 1. *enim Voetium non nominavi, at ipse me in illum incurrentem facit; quo animo ipse novit.* 2. *Nec dixi Poimenandrum injurium esse in Deum, sed id quod ille imprudenter statuit, esse in Deum injurium. De dogmate quod asserui licet forte duriuscula phrasi, in personalem injuriam non debet derivari.* Resp. 1. Objicit, mihi vir doctus depravationem verborum suorum, sed judicabit lector tum ex iis quæ dicta sunt, tum ex iis quæ sequentur, uter nostrûm huic culpæ magis affinis sit. Certe Poimenander de viro docto ob depravationem suorum verborum graviter questus est. Voetium & Borstium nunc prætereo. 2. Verba viri docti prout eam thesibus suis expressit fideliter adduxi, ut lector judicare posset, an bona fide cum ipso agam nec ne. 3. Negat se nominasse Voetium sed tamen thes. 6. indicavit pag. Libelli Poim. nimirum 337. at quo fine? nimirum ut qui vellet ad eam recurreret. At ea

inſpecta, non patere non potuit eſſe Voetium in quem incurreret. Digito ſcilicet Voetium monſtravit, ſed non nominavit. 4. Vir doctus Poimenandrum nominat, ſed ſub ipſius nomine in Voetium quem digito monſtrat, incurrit, adeoque non minuit, ſed duplicat culpam. 5. Egone te facio in Voetium incurrentem? oſtendo in quem incurris, ſecutus indicium tuum. Quod ſi viro docto placitum fuiſſet miſso Voetio aliiſque in quos in theſibus ſuis incurrit, quieſcere, aut in magis meritos ſtyli (quo valere ipſum non invitus concedo) aciem convertere, ego Voetium ipſi non objeciſſem. 6. Quo animo Voetium à viro docto peti indicaverim, ipſo hoc capite explicatum inveniet lector. 7. Negat ſe dixiſſe Poimenandrum imprudenter injurium eſſe in Deum, ſed id quod ille imprudenter ſtatuit, eſſe injurium in Deum; quaſi ſcilicet dictum aut factum alicujus injurium poſſit eſſe in Deum, ut non auctor dicti aut facti injurius ſit in Deum. Queri ergo deſinat, me quod de dogmate aſſeruit, licet forte (ut ait) phraſi duriuſcula, in perſonalem injuriam (uti loquitur) mutaſſe. Attexit hiſce quędam vir doctus de libertate qua pontificii utuntur in Thomam; quaque præter illos etiam orthodoxi utuntur erga Cyprianum. Nec non dicta quædam. M. Ant. Vlmi Patavini quandam Scaligeri opinionem convellentis, idque eo fine ut & ſibi concedatur libertas judicandi de cauſa Poimenandriana: & ſubjicit: *Abſit (& abeſt à me) animus injuriam inferendi optimis & doctiſſimis viris, ſententiam tamen ſuam aliquam, quam pro erronea habemus, qualis noſtro judicio eſt, talem nominari ægre ferre non debent. abſque hoc enim nulla diſputatio foret.* Sed 1. hiſce meo judicio opus non erat. Nemo enim viro docto libertatem judicandi de cauſa Poimenandriana ademptam cupit; ſed hoc petitur ne pro theſi principali, determinationem alicujus dubii inde emergentis, arripiat, neque eam pro theſi principali venditet: ne quã aliis benigniorem interpretationem ultro defert, Poimenandro deneget: ne argumenta adverſariis quibus non utuntur attribuat, ne dicta eorum prava interpretatione in alium ſenſum detorqueat: ſed recta via incedat. Cauſam autem id petendi eſſe, ex præcedentibus patuit, & porro patebit. 2. Velim meminerit vir doctus eorum quæ ex M. Ant. Patavino attulit inter quæ & hęc ſunt: *propterea & ſcribentes & agentes æquitate potius quam rigidita-*

te

te aliorum excipiamus opiniones vel opera. 3. Facile admitto à viro docto abesse animum injuriam inferendi fratribus suis adversum quos scripsit, injuriam tamen eum ipsis facere ex iis quę dicta sunt, constare arbitror. Ad contradictionem quam viro docto objeci, ita respondet: *Porro quod mihi ipsi contradicam, fervide quidem à viro docto affirmatur, sed languide probatur. Quis enim præter ipsum videre potest hæc duo esse contradictoria: creatura potest operari contra naturam: creatura non potest operari supra naturam? magis quam illa duo quæ ex sua sententia immediate ipse subjungit: Deus operatur supra naturam: Deus non operatur (absolute) contra naturam. Quanquam Deum etiam contra naturam agere tum ex nostro exemplo, tum sensu licet diverso, tamen ex Bonaventura modo apparuit. Quæ de potentia obedientiali adjicit, quam iterum cum naturali confundit, jam ante sunt excussa.* Resp. 1. Contradictionem merito objeci viro docto. Nam statuit solum Deum supra naturam operari adeoque nullam creaturam supra naturam operari. Statuit idem vir doctus creaturas aliquas contra naturam atque adeo supra naturam operarari, quia operatio contra naturam, includit eam quæ est supra naturam, ut patet in jactu lapidis sursum. Contradictoria autem sunt: *Nulla creatura supra naturam operatur*, & *Aliqua creatura supra naturam operatur.* Iudicet hinc lector an fervide quidem affirmen virum doctum sibi contradicere; languide vero probem. 2. In verbis meis contradictionem esse nego. Nam non affirmo aut explicitè aut implicitè, Deum solum operari supra naturam & non solum operari supra naturam, nec aliquid aliud, unde vir doctus contradictionem eruat: sed ostendo quam inprudenter vir doctus soli Deo attribuat operationem supra naturam, creaturæ vero concedat operationem (& quidem sine ulla limitatione) contra naturam; cum tamen nequidem ipse Deus in operatione miraculorum operetur absolute contra naturam, licet operans contra naturam operetur supra eam. *Quia omnes creaturæ potentiam obedientialem habent in ordine ad Deum, ad operationes, quæ circa illas in productione miraculorum exercentur.* Vide de hisce Scholast. ad *Thomam part. 1. quæst. 105. 3.* Repetit vir doctus id quod antea dixit, de confusa à me potentia obedientiali cum naturali: sed ea de re in præcedentibus actum fuit.

CAPUT XI.

Assensus putativus. Pugna cum Apostolo imaginaria. Depravatio argumenti quo auctor usus erat castigata. Argumentum restitutum. Officium definientis, & acroamaticè scribentis? Distinctio quantæ molis. Subterfugium. Moneta aliena.

HActenus ostendimus, frustra conatum esse virum doctum vindicare sua quibus probare nitebatur, non esse necessarium ut vox *naturæ* in dicto Paulino significet legem *naturæ*. Sequitur ut examinemus quæ affert pro rationibus quibus ostendere nisus est, vocem *naturæ* in dicto Paulino non posse significare legem naturę. Principio ergo ait se adduxisse disp. 1. Thes. 8. differentes definitiones legis naturæ, qua à jurisconsultis qua à Theologis allatas: & ostendisse in quibus descriptio jurisconsultorum videatur deficere, quod ego approbaverim. Concluditque quia nihil præterea in hanc thesin attulerim firmam manere ratiocinationem contra Borstium qui naturæ ordinem de quo hic agitur, etiam à bestiis observari dixerat: ut observatum Thes. 6. & hic à se refutatum ait. Resp. Assensus sum viro docto aliter à juris consultis aliter à Theologis legem naturę definiri: nec aliud quippiam ad Thesin ipsius octavam, quæst. text. primæ parte 3. Thes. 5. attuli. Sed nego me propterea probasse ratiocinationem viri docti contra Borstium. Defendi sæpius Poimenandrum & Borstium adversus virum doctum, nusquam tamen dixi me eos defensurum quotiescunque illos injuste ab eo impeti judicarem, ut quoties quippiam quod eis objicit, prętereo, colligeret, me ipsi assentiri. Cæterum quid de hac ratiocinatione statuam, videri potest cap. 6. ubi ostendi, nec formaliter nec æquipollenter dicere Borstium, quod vir doctus ei tribuit. Deinde se confert ad examen observationis cujusdam meę, in definitionem legis naturæ á se datam disp. 1. Thes. 9. Verba Thescos illius sic sonant. *Theologi aliter definiunt: legem enim naturæ seu jus naturale vocant, quod ratione naturæ rationalis omnibus hominibus inter se commune est.* v. Rom. 1. 32. Et 2. 1. 14. 15. *Vbi jus illud Dei appellatur & omnium hominum cordibus inscriptum esse dicitur, juxta quod & se ipsos & se mutuo accusant vel ex-*

excusant &c. Continet autem principia practica de licito & illicito, vel secundum legem æternam & immutabilem, vel secundum derivatas ab ea libera Dei voluntate. De quibus alibi. Secundum hæc negamus attonsionem comæ esse de lege naturæ. Animadversio mea erat quod definitio hæc definitum sufficienter non explicet. Verba mea erant: » Thes. 5. Theologos ait legem naturę sive jus naturale definire » quod ratione naturæ rationalis omnibus hominibus inter se com- » mune est. Fere ita definit Becanus Theol. Scholast. part. 2. Tract. » 3. c. 3. alii tamen aliter. Sed parum refert quibus verbis quis in de- » finitione utatur modo propria sint & definitum sufficienter expli- » cent. Quod an de hac definitione dici possit nonnihil ambigo. » Nam quando quis audit legem naturæ dici jus illud quod ratione » naturæ rationalis omnibus hominibus commune est, & jus illud » postea ab auctore hoc omnium cordibus inscriptum esse dicitur, » juxta quod se accusant vel excusant, facile eo adducetur, ut credat » ea omnia non esse legis naturæ, quorum plurimi nec habent, nec » unquam habuere notitiam. At sic judicare esset errare. Nam mul- » tæ sunt conclusiones quę sunt legis naturę quarum multi non ha- » bent notitiam: & quidem conclusiones non tantum secundi, sed » etiam primi generis, id est tales, quæ ratione aliarum conclusionum » rationem principiorum habent, ut patet ex iis quę supra dicta sunt. » Addendum ergo fuit definitioni, aut saltem post definitionem po- » sitam explicandum, quomodo jus hoc de quo agitur ratione natu- » ræ rationalis omnibus hominibus commune sit: & quomodo hoc » omnium cordibus inscriptum sit, an viz. explicitè secundum om- » nia an vero explicitè secundum quædam & implicitè secundum a- » lia. Adhęc vir doctus ait: *Mirum est virum doctum ita nudè hæc invadere, quasi de meo cerebro exprompta essent, cum ea probarim verbis* Pauli Rom. 1. 32. & 2. 1. 14. 15. *Non ergo mecum sed cum ipso Paulo sibi hic rem esse sciat.* Resp. 1. An nude invaserim definitionem viri docti, an vero quod dixi ratione munerim, judicabit lector. 2. Non est mihi res cum Apostolo, sed cum viro docto. Apostolus enim locis allegatis non definit, ut facit vir doctus, legem sive jus naturæ, licet ea tradat ex quibus definitio legis naturæ exsculpi possit si explicētur ex locis, quibus & de ignorantia quę mētibus hominum inest, nisi à Deo illuminentur, agit, & quomodo id quod ait de in-

scriptione operis legis in cordibus hominum intelligendum sit, docet, quod vir doctus non fecit. Pergit: *Argumentum viri docti tale est: jus quod omnibus hominibus inter se commune & omnium hominum cordibus inscriptum est, omnibus notum esse debet. At multæ sunt conclusiones quæ sunt legis naturæ nec tamẽ omnibus notæ: Ergo tales conclusiones non sunt omnibus hominibus inter se communes nec hominum cordibus inscriptæ. In quo syllogismo manifesta est ignoratio elenchi. Si enim quis contra definitionem inferre vellet, subsumendum ei erat. Atqui jus naturæ non est omnibus notum. Et concludendum. Ergo jus naturæ non est natura omnibus hominibus commune, nec omnium cordibus insculptum. Quod an salva auctoritate dogmatis apostolici dici possit judicent Theologi. Porro quomodo ea quæ hic dicit pateant ex iis quæ supra à se se dicta alii quærant quibus otium est, ego enim invenire non potui.* Resp. 1. Aut minus judicioso aut rebus suis diffidentis disputatoris est, adversarii ratiocinationem corrumpere, ut ipsi *manifesta ignoratio Elenchi* impingatur. Facere autem hoc virum doctum manifestum est. Nam dixi definitionem viri docti definitum non explicare sufficienter. Probavi hoc: quia talis est ut occasionem suppeditet credendi, ea omnia non esse legis naturæ, quorum plurimi nec habent, nec unquam habuere notitiam: Argumentum meum tale est: quæ definitio legis naturæ occasionem dat credendi ea omnia non esse legis naturæ, quorum multi nec habent nec unquam habuere notitiam: ea non explicat sufficienter definitum. Talis autem est definitio viri docti legis naturæ. Ergo. Probavi majorem hoc modo: quę definitio occasionem errori dat; ea definitum sufficienter non explicat. At talis ist definitio quę occasionẽ dat credendi, ea omnia non esse legis naturę quorum multi nec habẽt, nec unquã habuere notitiã. Ergo. Probavi minorem syllogismi hujus, hoc modo si multæ conclusiones non tantum secundi sed etiam primi generis sunt, quarum multi nec habent nec unquam habuere notitiam, quæ tamen sunt legis naturæ: utique ea definitio quæ occasionem dat credendi ea omnia non esse legis naturæ quorum multi nec habent nec unquam habuere notitiam, errori occasionem dat. Sed verum prius. Ergo & posterius. Vbi hic quæso ignoratio elenchi? Pergit: *Non opus fuit me hæc omnia explicare, qui nec ex professo de jure naturæ hic agebam, sed tantummodo in quantum facit ad præsentem quæstionem,*

nec

nec commentaria scribebam sed theses. Viro docto hæc vel quæcunque collibitum est pro medio termino sumenda erant quo impugnaret datam juris naturalis definitionem. Hoc non facit. Itaque quæstiones suas ipsi relinquimus. Neque enim quæstionibus evertuntur definitiones, sed argumentis. Resp. 1. Quandoquidem vir doctus qui versabatur in acroamatico scribendi genere definiendam suscepcrat legem naturæ, obligatus erat legibus legitimæ definitionis, adeoque curare debebat ut definitione sua definitum sufficienter explicaret, ne ulli errandi occasionem objiceret. 2. *Omnia hæc* quæ sibi explicanda fuisse negat, unica distinctione *expliciti* & *impliciti* absolvi potuissent: Adeo ut mirum sit virum doctum vel adeo morosum vel occupatum (si modo de distinctione data cogitavit) fuisse, ut *omnia hæc* sibi prætereunda duxerit. 3. Petit vir doctus principium cum ait se egisse de lege naturæ in quantum faciebat ad præsentem quæstionem. 4. Quęstionibus non oppugno viri docti definitionem sed argumentis, ut jam auditum est, conficioque ipsi addendam fuisse, vel in ipsa definitione vel mox post definitionem, distinctionem *expliciti* & *impliciti*, nisi forte statueret, ea omnia non esse legis naturæ quorum multi nec habent, nec unquam habuere notitiam. Inspiciantur verba mea quibus usus sum, & verum esse liquebit quod dico. 5. Præter morē viri docti non facerem, si per quæstiones quid sentiat, eruere tentarem, vide libert. pag. 12. 20. 21. & alibi sæpius. 6. Relinquit vir doctus (ut ait) mihi quęstiones meas; ego vicissim ipsi tergiversationes suas. Denique transit ad animadversionem aliam quam dedi ad commentarium ab ipso thesi dicta datum, & mea se moneta mihi solvere dicit. Verba ejus erant. *Continet autem* (lex naturæ) *principia practica de licito & illicito, vel secundum legem æternam & immutabilem vel secundum derivatas ab ea ex libera Dei voluntate. De quibus alibi.* Animadversio mea. Deinde dicit vir doctus legem hanc naturę continere principia practica de licito & illicito: sed hoc non sufficit: Nam etiam continet conclusiones, quæ discursu ex principiis illis eruuntur. Adhęc respondet: *Ut sua moneta viro docto solvam, dico, eam continere principia explicite, conclusiones implicite. 1. Non actu sed virtute. Illas saltem de quibus hic agit vir doctus. 1. quæ per discursum ex principiis naturæ eruuntur. Eas enim non mere naturales nobis, sed aliquo*

quo modo acquisitas esse res ipsa evincit. Resp. Non erat viro docto exspectandum donec monetam à me mutuaretur ut mihi solveret: sed hoc agendum ne moneta mea indigeret, quod non fecit. 2. Explicationem expliciti & impliciti accipio; meamque monetam non viri docti esse fateor. 3. De mere naturali aut non mere naturali nunc quæstionem non moveo: dummodo fateatur conclusiones illas ad legem naturę pertinere.

CAPUT XII.

REprehensio retusa. Ratio rationis expers. Quæstio de objecto legis æternæ. An omnia quæ legis naturæ sunt ab Adamo in statu innocentiæ observata sint. Distinctio præceptorum legis naturæ in absoluta & hypothetica. Latebræ. Adami indigentia imaginaria. An posita causa præcepti, id mox obliget. De reddēdo debito conjugali. An ea de re Adamo data fuerit lex. De loco Gen. 2. 28. Auctores citati. De præcepto usus conjugii, edendi bibendi, nimirum an si homo perstitisset in integritate id Adamo & posteris necessarium futurum fuerit. Thomas, Valentia, Sylvius, Bannes. De loco 1. Cor. 7. 5. an contineat præceptum legis naturæ. De nuditate tegenda. De nuditate Adami ante lapsum. De cognitione ejusdem. De obligantibus ex hypothesi peccati. De usu vestium. De nudis quibusdam. De concursu præceptorum divinorum. De impudētia. De nuditate in resurrectione. An differant lex naturæ & modestiæ, prudentiæ &c. Honestas naturalis. An per legem naturæ immodestis & imprudentibus esse liceat. Quomodo necessitas tegendi nuditatem ex lege naturæ descendat. Eleemosynam dare indigenti an legis naturæ sit? Suarez, eum Malderus, Suarez. Greg. de Valentia.

CArpit me vir doctus quod dixerim thes. 6. rationes quibus ostendere conatus est *Naturam* in dicto Paulino non posse significare legem naturæ duas esse, *cum revera tres sint:* quoniam ea *quæ militat adversus intrinsecam malitiam de qua* thesi sua 12. *etiam huc spectat.* Resp. Certe dixi duas esse rationes quibus probare nititur, vocem naturæ non posse habere significationem legis naturæ in dicto Paulino. Nec plures esse mihi persuadeo. Nam tertia, quam vocat vir doctus, ratio non est qua probat quod probandum erat; sed refutatio erroris cujusdam cujus auctor à viro docto proferri nequit, & de quo à me actum quæst. text. 1. parte 3. Thesi 2. & supra cap. 4. videlicet *capillos habere intrinsecam malitiam.* Rem ita se habere docet locus à viro docto indi-

dicatus. Ibi enim hic syllogismus occurrit. Theologis *idem est habere intrinsecam & inseparabilem malitiam, talem, inquam, quam nec Deus ab eo separare possit. At ejusmodi malum non est submittere crimen. Ergo id intrinsecam malitiam non habet.* Quis autem dixerit eo probari quod probandum erat, nimirum legem naturæ, in dicto Paulino locum habere non posse? sed inquit libertat. suæ. 55. Vt probet thesi indicata tertiam rationem contineri, *Nam quæ militat adversus* intrinsecam malitiam *de qua thesi nostra 12. etiam huc spectat, cum lex naturæ participatio quædam sit legis æternæ* v. Thom. 1.2. q. 91. a. 1. *Hæc autem jubet ea quæ intrinsecam rectitudinem, & vetat quæ intrinsecam & inseparabilem pravitatem continent. Qui ergo dicit aliquid habere intrinsecam malitiam, etiam legi naturæ id repugnare dicit.* At non video quomodo hac ratiocinatione, quod vult, assequi possit. Nam nescio an quispiam ita fælix syllogismorum artifex inveniri possit, ut hinc extundat hanc conclusionẽ, ergo *naturæ* legis naturę significationem in dicto Paulino locum habere nequit, quę tamen danda erat, non autem illa quam vir doctus affert, viz. *Qui ergo dicit aliquid habere intrinsecam malitiam etiam legi naturæ repugnare dicit.* Pluribus hæc nõ persequar, unum tãtum rogabo virum doctum, nimirum an sentiat, legem æternam, cujus participatio quædam est lex naturæ, prescribere tantum actiones quæ intrinsecam rectitudinem, & vetare solummodo quæ intrinsecam & inseparabilem malitiam habent? Ratio quæsiti est, quia nisi ita sentiat, probare non potest (quod tamen velle videtur) non posse legem naturæ locum habere in dicto Paulino.

Pergo ad discussionem eorum, quę vir doctus responsionibus meis, quibus primum ipsius argumentum dissolvi, opponit. Argumentum viri docti tale erat: *Quæ sunt legis naturæ ea ab Adamo servata sunt in statu integritatis. At Adamum tum comam attondisse nulla probabilitate nititur. Cum nec ferramenta adhuc reperta essent, sed multo post* v. Gen. 4. 22. *Itaque non est hoc legis naturæ* Respondi autem ad utramque hujus syllogismi propositionem; & primo quidem ad Majorem, negavique eam universaliter esse veram, quoniam præcepta legis naturæ alia absoluta sunt, alia hypothetica, quę non obligant nisi positis ponendis, exemplisque posterius divisionis membrum illustravi. Verba mea adscribam: Major non est

„ universaliter vera. Nam quædam præcepta legis naturæ, absoluta
„ sunt: quędam vero, ut sic loquar hypothetica, quę non obligant
„ nisi positis ponendis. Sic legis naturę est, ut vir uxori reddat debi-
„ tum conjugale: an ergo hinc colliget auctor hic Adamum in sta-
„ tu integritatis operam dedisse liberis. Legis naturæ est ut nudita-
„ tem nostram tegamus; an hinc colliget auctor hic Adamum & E-
„ vam in statu integritatis, cum nondum probrosa esset, suam texis-
„ se? legis naturæ est, ut indigentibus elemosynas demus: an ergo
„ inde colliget auctor Adamum dedisse elemosynas. Primum pro-
„ bare debuisset Auctor hic Adamum habuisse in statu integritatis
„ comas tales de quibus disputatio est. Deinde Adamum habuisse
„ in statu integritatis (etiamsi vel maxime habuisset tales comas)
„ instrumenta quibus comas suas tonderet. Sicuti enim quamvis le-
„ gis naturæ sit, ut nuditatem nostram tegamus, illa lex tamen nos
„ non obligat, ubi desunt quibus eam tegamus, quia est inter eas
„ quas hypotheticas vocamus: sic quoq; non obligabatur Adamus ad
„ attonsionem comarum, si non habebat instrumenta quibus eas at-
„ tonderet. At negat hic auctor Adamum habuisse ferramenta qui-
„ bus comam attonderet. Respondet ad hæc *Ponenda ergo de qui-
bus agit vir doctus, sunt coma qualis hic controvertitur, & instrumenta
quibus ea tondeatur si alterutrum deficiat, negat teneri ad impletionem
legis. Probo ergo primum: Adamus comam habuit qualis inter me &
Poimenandrũ controvertitur, quia nec ad millesimam horæ partẽ potuit in
paradiso esse, quin coma cresceret, atque ita limites quos ei statuit Poime-
nander transiret. 2. Instrumentis ad eam tondendam si caruisset (posita
adversarii opinione) dedisset ei Deus legem, & media ad eam præstan-
dam denegasset, quod est contra felicitatem status illius, ut alia quæ inde
sequuntur absurda taceam.* Resp. 1. Dat mihi vir doctus distinctio-
nem præceptorum in absoluta & hypothetica. 2. Ad incitas reda-
ctus, rursus se recipit ad sententiam quam Poimenandro (qui negat
eam esse suam, ut antea ostendi, & postea amplius ostendam) tri-
buit, atque sub ea se, tanquam sub sepię atramento, abscondit. 3.
Tacite fatetur argumentum suum contra me non stringere. 4.
Male sibi imaginatur, posito præcepto tondendi, sed hypothetico,
Adamo, si non habuerit instrumenta quibus comam tonderet, ad
felicitatem quippiam defuisse, quoniam si non habuit obligatus

non

non erat ad exercitium præcepti. Nam si verum est quod ait, multa certe Adamo ad felicitatem defuerint. Multa enim erāt ad quæ Adamus *positis ponendis* obligatus erat, ad quorum exercitium tamen, quia non ponebantur ponenda, in statu integritatis nō tenebatur. Nam, verbi gratia, obligatus erat ut liberis provideret, modo haberet. Item ut hortum coleret Gen. 2. 15. modo cultura indigeret, quod accidisse negat vir doctus durante statu integritatis, lib. p. 62. atque instrumenta haberet idonea quæ ipsi negat vir doctus; nam ligno ipsum tantum armat, negatis iis quibus id aut acueret aut præpararet. libert. pag. 61. 64. Quod si ergo male dicitur, Adamo aliquid defuisse ad felicitatem, quia Deus ipsi dederat legem de providendis liberis, de colendo horto, cum ipsi denegabat liberos, nec dabat occasionem colendi horti, aut instrumenta apta, ut vult vir doctus, sine quibus quod præceptum erat exercere non poterat; utique male infert vir doctus, aliquid defuturum fuisse Adamo ad felicitatem, si legem de tondendis capillis Deus dedisset, nec tamen instrumenta quibus comam tonderet suppeditasset. Transit vir doctus ad exempla à me adducta. Et ad primum quidem quod est de reddendo debito conjugali respondet. 1. *Lex reddendi debiti obligat quidem* semper *sed non* ad semper, *Quia ejus causa non requirit continuum actum. Ideo si maxime ea Adamo data fuisset, non tamen injunctum ei erat eam exequi in paradiso, præsertim si exiguo tempore, puta uno tantum, vel certe paucis diebus, ut plerisque visum est, ibi fuit.* v. *Aug. de Gen. ad lit. lib.* 9. c. 10. *De Civit. Dei lib.* 14. c. 21. *seqq.* 1. *Retract.* c. 10. 13. 19. *Contra lex de tondendo capillo non solum semper sed ad semper Adamum obligasset, quia causa ejus, puta incrementum capillorum nunquam cessat.* Resp. Dat mihi vir doctus cum ait legem reddendi debiti obligare quidem *semper* sed non *ad semper*, præcepta quędam esse quæ non obligant ad exercitium nisi positis ponendis: tale autem est præceptum de tondendis comis virilibus. 2. Si sentit vir doctus sufficere ut lex hypothetica obliget, quotiescunque, causa legis ponitur, graviter errat. Nam sic tenebitur ad eleemosynam etiam is qui Iro pauperior est, ubi alter est qui indiget. Ipsum autem id velle patet, quia infert, legem de tondendo capillo, ad semper Adamum obligaturam fuisse *quia causa ejus puta incrementum capillorum nunquā cessat.*

3. Rursus se recipit ad sententiam illam insulsam, quam Poimenandro invito & reclamanti obtrudit, atque in ea causę malæ præsidium quærit. 11. *Ne data quidem fuit illa lex Adamo. Nam* τὸ crescite & multiplicamini Gen. 28. *Non fuit præceptum sed* Benedictio, *Vt ibidem expresse dicitur. Alioqui & avibus & piscibus idem præceptum datum fuisset.* v. 21.22. *Qui tamen legis non sunt capaces, & prohibitus fuisset naturali lege cælibatus, quod judæi perperam sentiunt.* v. Seld. de jure nat. & civ. secundum Hebr. l. 5. c. 3. Resp. 1. *Si* non fuit data illa lex Adamo, utique præcipui finis ob quem matrimonium institutum fuit, idest procreationis rationem unquam habere non tenebatur: quod absurdum est. 2. Verba illa *crescite & multiplicamini* à me adducta non fuere: opus ergo non erat ut vir doctus se fatigaret, ut probaret iis præceptum non contineri. 3. Præceptum illis verbis contineri, negari non potest. Nam verbis illis Deus Adamo & Evæ quibus benedictione divina vis prolifica concessa erat, imperat ut conjugio non ad libidinem, sed ad propagationem generis utantur. 4. Negat Bellar. de Clericis lib. 1. cap. 21. verbis hisce quippiam proprie præcipi; & quidem propter rationem viri docti mox adducēdam, sed mox quasi sui oblitus ait: *præceptum autem naturale esse de conjugio ineundo*, concedi *potest, sed quia est affirmativum, non obligat nisi in casu necessitatis*; Adeoque plus largitur quam vir doctus, quod mirandum est. 4. Longe aliter quam vir doctus, de verbis illis præstantissimi inter Theologos nostros statuunt. Petrus Martyr ad verba illa Genesēos sic loquitur. *Habes ergo hic matrimonii* PRÆCEPTUM *quo omnes adstringuntur quotquot non aliquo peculiari impulsu divini spiritus aguntur, ut in cælibatu magis expediti inserviant euangelio.* Zanchius lib. 1. de hominis creatione, de conjugio Evæ cum Adamo, hęc habet: *Dubitatur autem an hoc sit præceptum cum ait* fructificate: *an vero concessio, vel benedictionis explicatio, Præceptum esse omnes fere interpretes consentiunt: & ad omnes etiam homines pertinere: illis tantum exceptis quos dono continentiæ donat, ac proinde quos à conjugii eximit necessitate ut expeditius vacent Euangelio.* Quæ illi *dicunt vera sunt. Est enim præceptum*, Vt qui se non continent nubant. *Cæterum ad sensum quod attinet hujus loci, non mihi videtur tradi præceptum de ducenda uxore illis, qui carent uxore. Hic enim non loquitur Deus non inconjugatis, sed*

sed jam conjugatis. præceptum potius de ducenda uxore continetur in illis verbis: Quapropter relinquet homo patrem & matrem &c. *Et ex illa pendet ratione.* Quia bonum non est hominem esse solum. *Præceptum igitur hic mihi esse videtur: quo conjuges jubentur operam dare in suo conjugio non voluptati, neque libidini, sed liberis suscipiendis, quibus mundus repleatur, & ecclesia Dei promoveatur.* Videantur quoque quæ postea ibidem sequuntur. Iunius in notis ad hunc locum ait: *Id est prout vim intus indiderat, sic* PALAM MANDATUM *dedit eis curandæ propagationis & dominationis exercendæ.* Vide eundem in prælect. in Genes. c. 1. v. 28. Nec non in animadversionibus in Bellarm. Controv. 5. lib. 1. cap. 21. Rivetus Exercit. x. in Genesin contra Bellarminum contendit hisce verbis præceptum incisse, & ex Scholasticis Thomam & Scotum adducit qui præceptum hisce verbis contineri dicunt. 5. Rationes quibus probare conatur, præceptum verbis *crescite & multiplicamini* non contineri, infirmæ sunt. prima earum est, quia ipso illo loco dicitur, verba illa benedictionem esse: quid autem ad eam respondendum sit ex iis quæ ex notis Iunii ad hunc locum adducta sunt liquet. Altera: quia alioqui & avibus, & piscibus idem præceptum datum fuisset v. 21. & 22. qui tamen legis non sunt capaces. Sed ratio hæc est ex Bellarmino petita, qua alii etiam pontificii & inter eos Cornelius à Lapide & Tirinus utuntur adversum nostros, adeoque suspecta esse debet. 2. Rejicit illam Rivetus loco supra indicato. 3. & merito, quia cum bruta non sint ratione prædita, certum est præceptum proprie dictum in ea cadere non posse, adeoque improprie dici Deum hoc aut illud præcepisse. At vero homo cum sit ratione præditus, præcepti proprie dicti capax est: adeoque temere & sine ratione, quando quid ei à Deo præceptum perhibetur ad improprietatem confugiendum non est. Notum est axioma Theologicum, à proprietate verborum scripturæ sine manifesta necessitate, non esse recedendum. Similitudo phraseos non est sufficiens ratio ad evincendum similitudinem sensus; conferatur (ut alia loca præteream) Ps. 106. v. 31. cum Rom. 4. v. 5. Tertia est quia prohibitus fuisset cœlibatus naturali lege: sed ea præcedentibus firmior non est. Nam ut nunc non adferam quæ Martyr ait loco supra jndicato, & Rivetus disputat exercitat. supra memorata, cum Zanchio dico

non imperari hoc loco, ut qui non habent, ducant conjugem: sed conjugatis ut matrimonio non ad libidinem, sed propagationem sobolis utantur. III. Ait *Licet si Adam perstitisset, generatio liberorum, etiam in paradiso futura fuisset (quod non arbitror virum doctum negaturum) tamen ad hoc ipsum præcepto vel ei vel posteris non fuisset opus, non magis quam ad edendum, bibendum, dormiendum, quæ licet sint naturalia, tamen ideo ea legis esse dici non potest.* Resp. Dubium an vir doctus respiciat hic locum Gen. 1. v. 28. à se adductum, an vero id quod à me dictum fuit, nimirum juris naturę esse, ut vir reddat uxori debitum conjugale. Sed parum refert an huc an illuc respexerit. Dico itaque falsum esse Adamo & liberis in statu integritatis permanentibus præcepto ad generationem sive reddendum debitum conjugale conjugibus, opus non fuisse. Nam si Adamo & liberis præcepto ad hoc opus non fuisset, dicendum erit aut generationem Adami & liberorum ejus actionem humanam aut ullo modo voluntariam futurâ non fuisse: aut plane & absolute indifferentem, adeo ut ipsis absolutè liberum fuisset in conjugio vel liberis operam dare vel non dare. Prius dici nequit, ut notum est. Nec posterius affirmari potest: tum quia Deus conjugium instituit ad sobolis propagationem, tum quia vir in statu integritatis non magis habiturus fuisset proprium corpus in potestate quam post lapsum: idem de muliere statuendum est. Loquor hic de potestate, ut ea ab Apostolo sumitur 1. Cor. 7. v. 4. 2. Falsum est in statu integritatis opus non fuisse præcepto aliquo ad edendum bibendum & dormiendum. Nam alioqui dicendum erit aut edere bibere, dormire esse actiones nullo modo voluntarias, quod falsum; aut licitum futurum fuisse Adamo & posteris in statu integritatis, ab omni cibo, potu & somno abstinere, sicuti quosdam post lapsum fecisse, sibique mortem accerciviſse legimus: quod etiam absurdum est. Habeo hic consentientem Thomam Summæ part. 1. quæst. 97. art. 3. Nec non commentatores ejus. Inter quos Gregor. de Valentia sic loquitur. *Nec tamen est negandum, quin ex dictamine alioqui legis atque rationis naturalis fuisset tunc etiam homo obligatus ad edendum ex fructibus arborum aut ex herbis quantum ad vitam sustentandam ei opus erat.* Silvius *Art. 3. probat hominem in statu innocentiæ indiguisse cibis quia agebat vitam animalem, ad quam in pri-*

in primis pertinent opera animæ vegetativæ, quæ sunt alimento uti, generare, augere. Neque propterea sequitur quod poterat mori, si nimirum non sumeret cibum: quod enim non sumeret convenienti tempore cibum, non poterat accidere durante illo statu, QUIA NON SUMENDO PECCASSET, *atque ita decidisset ab innocentia.* PECCASSET *inquam sive contra positivum præceptum, quod quidam putant Deum ei dedisse simul quando vetuit esum ligni scientiæ boni, & mali; sive contra naturale* PRÆCEPTUM *quo dictabatur vitam esse conservandam &c.* Bannes: *Ad primum argumentum respondetur ex doctrina D. Tho. art. 3. ad tertium, quod homo in illo statu habuit præceptum comedendi, tempore debito: sic adeo ut* PECCARET *mortaliter si non comederet. Qua propter, manente illo statu innocentiæ, non potuit non comedere, quod si comederet, perpetuo conservaretur.* IV. inquit *quod Paulus ea de re præceptum dat, id pertinet ad statum peccati, causam enim addit;* διὰτὴν ἀκρασίαν ὑμῶν, propter incontinentiam vestram 1. Cor. 7. 5. *Licet in nomine* debiti *rationem quoque peti ex naturale æquitate, qua sancit unicuique dandum esse quod sibi* debetur, *non inficiemur sed hæc ratio etiam reperitur in omnibus legibus humanis & contractibus forensibus & c. qui tamen ideo non dicuntur esse juris naturæ.* Resp. 1. Si nullo præcepto Adam & posteri ejus si permansissēt in statu integritatis astringēdi fuissent, ad reddendum debitum conjugale conjugibus suis (nam exemplum à me allatum de *debito conjugali* loquitur) aut necessitate quadam naturæ, non voluntate liberis operam dedissent, atque ita societas ipsorum conjugalis, quasi societas brutorum fuisset; aut finem matrimonii à Deo instituti insuper habere potuissent. At utrumque absurdum est. 2. Si propterea præceptum quod dat Apostolus 1. Cor. 7. 5. non est juris naturæ, quia exercitium ejus ad statum peccati pertinet, utique nulla præcepta quorum exercitium ad statū peccati pertinet, erunt legis naturæ: quod falsum est. Nam sic non erit juris naturæ restitutio ejus quod per furtum ablatum est; item restitutio famæ per calumniam ablatæ. Defendere se ipsum cum moderamine inculpatę tutelę. & denique ut alia omittam juvare, cum possis, de vita periclitantem. Quia hæc non nisi ad statum peccati pertinent. At quis hoc concesserit qui vel à limine Theologiam Scholasticam salutavit. 3. Ajunt Scholastici, & recte quidem ajunt omnia illa esse juris naturæ, quæ

ratio-

ratio naturaliter prescribit. v. Azor. Tom. 1. lib. 4. c. 2. quæst. 7. Vbi ait *Annotandum puto, ea esse legis naturæ quæ ratio naturaliter præscribit.* Item omnia illa esse juris naturæ quæ ex principiis naturalibus derivantur, per modum conclusionis. v. Silvium ad 1. 2. q. 95. art. 1. & Suarez de legibus cap. 7. Vbi non tantum id multis ostendit, sed etiam ait *quædam præcepta legis naturæ multa ratiocinatione* ex *principiis* concludi. Hinc arguo. 1. quæcunque ratio naturaliter præscribit, ea sunt legis naturæ. Atqui ratio naturaliter prescribit marito, ubi periculum est peccati, uxori reddendum esse debitum conjugale. Ergo illud est legis naturæ. Major Azorii est. Minor probatur, quia ratio naturaliter prescribit, conjuges se mutuo amare, atque adeo alterum alterius quantum potest, perniciem avertere debere. 2. Quidquid ex principiis naturalibus per modum conclusionis derivatur, illud est legis naturę. Atqui viro debitum uxori reddendum, ubi periculum est peccati nisi id fiat, ex principiis naturalibus colligitur per modum conclusionis. Ergo. Major est Silvii. Minor patet: quia principia naturalia sunt, alteri faciendum quod secundum rectam rationem tibi fieri velis. Item uxorem viro esse diligendam ut propriam carnem. 3. Si natura docet (ut vir doctus ait) unicuiq; suum esse dandum: & natura docet, corpus viri non esse in potestate ejus, sed uxoris: consequitur præceptum illud Apostolicum de reddendo debito ubi periculum est peccati: esse juris naturę, licet exercitium ejus casu posito, tantum locum habeat in statu peccati. 4. Ratio æquitatis reperitur in omnibus legibus humanis (videlicet justis) & contractibus forensibus, sed leges humanæ quæ stricte tales vocantur & de quibus hic vir doctus loquitur, non derivantur à principiis naturalibus (quod notandum) per modum conclusionis, sed per modum determinationis, sive restrictionis ad certam aliquam speciem, lege naturali nihil determinante. Verbi gratia lex naturæ dictat, ut omnia quæ volumus secundum rectam rationem ut nobis faciant homines, etiam ipsis faciamus. Hinc colligo per modum conclusionis: si famam alterius læsi mihi læso eam esse restituendam. Lex naturalis docet magistratus esse punire malos; neque tamen determinat qua pœna singuli sint afficiendi. Hinc secundum æstimationem humanam, quæ pœna huic aut illi peccato con-

congrua sit decernitur. v. Scholasticos ad 1. 2. quæst 95. art. 2. Hinc elucescit quæ vir doctus de legibus humanis differit ad propositum non pertinere, nisi ostenderit, præceptum illud Apostoli de reddendo debito conjugali, non deduci ex principiis naturalibus, per modum conclusionis, sed per modum determinationis, quod nunquam faciet. Idem de contractibus forensibus dico. Quod si quæ vir doctus hic ait, Voetio, Poimenandro, mihi excidissent, quid non diceret? Hactenus vindicavi primum quod attuli exemplum, progredior ad vindicias secundi. Ait ergo vir doctus: 1. *Si nuditatem tegere esset juris naturæ, scivisset hoc Adam in statu innocentiæ, atque etiam feciſſet, neque enim ut novacula ad tondendum, ita foliis ad se velandum carebat. At non fecit.* Resp. Novacula nulla opus est ad hoc argumentum incidendum, cum folio quolibet fragilius sit. Nam 1. præceptum de nuditate tegenda, ex eorum numero esse diximus quę hypothetica vocavimus, & quæ ad exercitium non obligant nisi ponantur ponenda, atqui in statu integritatis non ponebantur ponenda. Nam probrosa non erat nuditas Adami & Evæ quamdiu in statu integritatis erant. quia nulla turpitudo, nulli inordinati motus in ipsis erant. 2. Sciverunt Adamus & Eva nuditatem sibi tegendam si peccarent. Nam 1. Hoc ipsi pueri noverunt, ubi ad usum rationis perveniunt. At Adamum & Evam in statu integritatis pueris naturali cæcitate laborantibus, scientia inferiores fuisse, imago Dei qua ornati erant, non patitur. 2. Si hoc nescivit Adamus in statu integritatis, per lapsum recti aliquam cognitionem adeptus est. Quod absurdum & ab omni theologia alienum est. Obtenebratus est homo per lapsum, non vero illuminatus. 3. Nuditatem tegere non debuerunt Adamus & Eva in statu integritatis, non quod deessent folia, sed quia nuditas ipsorum, (ut verba mea à viro docto allata docent) nondum erat probrosa. 2. *Si nuditatem tegere fuit introductum in pœnam peccati, non est hoc juris naturæ, quia jus naturæ est hominum non qua peccatores, sed qua homines sunt, 1. Qua ratione prædiri.* Resp. & hoc argumentum foliaceum est, nec novaculam ut incidatur requirit. Nam 1. Negatur consequentia. Alioqui enim legis naturę non erit, ut magistratus in malos animadvertat. Quia animadversio in malos introducta est in pœnam peccati. 2. Non valet ratio consequentiæ.

Quia non qua peccatores, sed qua homines id est ratione prędíti, novimus nuditatem nostram esse tegendam ob peccatum. Sicuti qui peccavit, non qua peccator, sed qua ratione prędítus est, novit se pœnam meritum esse propter peccatum. 3. Videtur hic velle vir doctus, omnia illa legis divinæ ad quæ ex hypothesi peccati obligatur homo, non esse juris naturę, sed me astipulatorem non habebit. 4. Quávis daretur vestes datas in pœná peccati, quia signa quędam sunt defectionis nostræ; rationem tamen etiam boni habent; conducuntque non tantum ad arcendas aëris injurias, verum etiam ad impediendos inordinatos motus, qui si nudi inter se versarentur homines, excitarentur, & pudori subveniunt. 5. Si vestes tantum sunt pœna peccati petimus ergo pœnam, cum vestes petimus. 3 *Si nuditatem tegere sit juris naturæ, male fecit ille adolescens qui nudus aufugit. Marc.* 14.52. *Male Petrus qui nudus piscabatur.* Ioan. 21.7. *Male qui nudi cubitum eunt, male qui lavantur, male qui medicis vulnera sua denudant, per hæc enim omnia jus naturæ periclitaretur.* Resp. 1. duobus præceptis concurrentibus, quę talia sunt ut simul servari nō possint, quod minus est, cedit majori. Atq; adeo non peccavit adolescens ille cum nudus fugit, si modo fuga licita erat; quia prędceptum quod est de salute per fugá quærenda, ubi ea sine cujusquam injuria fieri potest, potius est præcepto de tegenda nuditate sive externa honestate servanda. Idem judicium esto de denudatione vulnerum coram medicis. 2. Alienum ab Apostolica, imo cujusvis honesti hominis verecundia fuisset, si Petrus omnino nudus fuisset. Dicendum itaq; nudum dici fuisse, vel quod parte quadā fui, velatis tamē membris quę minus honeste nominantur, & in scriptura, (cujus consuetudinem loquendi in exemplo allato secutus sum) nuditas hominis appellantur, nudus esset, vel quod solis interioribus vestibus indutus esset. vide Interpretes novę versionis belgicæ, Maldonatum, Cornelium à Lapide, Ianseniunt Yprensem & Grotium ad hunc locum. 3. Male certe faciunt, qui aliis spectantibus plane nudi cubitum eunt & lavantur; hoc enim plane inverecundum est. Nam ipsi primi parentes, quamvis nullus præter ipsos homo esset, nuditate sua turpi conspecta eam velarunt. 4. *Si nuditatem tegere sit juris naturæ, in resurrectione jus naturæ violabitur, nudi enim resurgemus, & vestium in cœlesti gloria nullus*

erit

erit usus. Resp. 1. In resurrectione vestes non habebimus, adeoque jus naturæ non violabitur. 2. Si verum est quod vir doctus ait de violatione juris naturæ in resurrectione, etiam verum erit tunc violandam legem modestiæ, de qua cum mox loquentem audiemus. 3. In cœlesti gloria nuditas non erit turpis nec aliis offendiculo, quia ibi nullum peccatum, nulli inordinati motus. Addit, *Quis ergo non videt usum vestium non ad legem naturæ, sed modestiæ, prudentiæ, ædificationis pertinere, & quidem peccato interveniente, licet ex naturali honestate ratio communis ad particularem illum casum accommodari possit? id autem fit per viam determinationis, non per viam conclusionis absolute.* Resp. 1. Quis ergo non videt tegere nuditatem ubi per peccatum probrosa facta est; pertinere ad legem naturæ? 2. Ego de vestibus locutus non sum, sed simpliciter de tegenda nuditate, per peccatum probrosa, quocunque id modo fiat. Adamus & Eva suam texêre, cum nondum vestes essent. 3. velim mihi vir doctus explicet, quid per *honestatem naturalem* intelligat: item utrum honestati illi naturali non repugnet, posito peccato, partes corporis obscœnas cum possis, non velare? 4. Si lex modestiæ, prudentiæ & ædificationis alia est à lege naturæ, explicet nobis vir doctus qualis ergo sit, nimirum an sit juris positivi vel divini vel humani? putabam ego pro tenuitate mea lege naturę modestiam, prudentiam & ædificationem proximi nobis esse præceptam. 5. Secundum virum doctum per legem naturę immodestis, & imprudentibus nobis esse licet, nec non ędificationem proximi negligere. Ratio est quia aliam facit legem modestię, prudentiæ & ędificationis proximi à lege naturę, aitq; non hac sed illa ista prohiberi. 6. Falsum est, tegendam nuditatem non per viam conclusionis sed determinationis ex lege naturæ derivari. Nam aut loquitur de determinatione divina aut humana. At de neutra quod dicit verum est. Nam per naturam notum est nuditatem esse tegendam, ubi probrosa, aliisque noxia est si pateat. Hinc non tantum omnes fere orbis nationes nuditatem suam tegere solitę sunt, & inhonestos atque projecti pudoris esse judicant, quibus nulla ejus tegendæ cura est; verum etiam pueri ubi ad usum rationis perveniunt, ob nuditatem retectam erubescunt. v. D. Rivetum in Genes. exercitat. 27.

Tertium exemplum quod attuli erat de eleemosynis. Ait autem vir doctus : *Eleemosynam dare non est juris naturæ, quia tantum pertinet ad statum peccati. Nam ante eum non erant indigentes, ideo nec esse poterant eleemosynæ.* Resp. male supponit ut antea visum fuit, omnia illa præcepta non esse juris naturæ, quorum exercitium tantum in statu peccati obtinet. Audiatur Suarez lib. 2. de legibus *Nam* (ait) *multa sunt de jure naturali, quæ non obligant nec locum habent nisi aliqua suppositione facta, ut præceptum non furandi, non habet locum nisi facta divisione bonorum & dominiorum. Præceptum item parendi dominis, non habet locum, nisi supposita servitute; justitia etiam contractuum non habet locum, nisi suppositione commercii humani.* & Paulo post. *Ratio etiam reddi potest, quia quod conclusio sequatur ex principiis naturæ ex suppositione talis vel talis materiæ, aut status hominum non variat modum legis, quæ subsistit ex intrinseca rei natura, & non ex voluntate humana, sed denotat solum distinctam materiam legis, verbi gratia, lex reddendi promissum, & servandi fidelitatem Deo, vel homini, naturalis est; & tamen non habet locum, nisi ex suppositione promissionis; sic etiam in materia de Simonia, dicitur, vendere rem consecratam ab hominibus, contra jus naturale esse, licet supponat consecrationem humano jure introductam. Ergo licet conclusio sequatur ex suppositione, se tenente tantum ex parte materiæ præcepti, si illatio est evidens ex principiis per se notis, talis conclusio ad jus naturæ pertinet, non ad gentium.* 2. Non quæritur utrum in statu innocentiæ aut indigentes aut eleemosynæ futuræ fuerint; verum utrum sana ratio non dictet, si detur indigens, & habeas unde des, eleemosynam esse dandam? Qui hoc negat simul etiam negare potest, non dictare sanam rationem, alteri faciendum quod tibi fieri velis; aut proximum operæ esse diligendum. 3. Edisserat nobis vir doctus dare eleemosynam non sit legis naturæ, cujus tandem legis sit. 4. ipse dixit disput. 1. de coma Thes. 8. *Legem naturæ seu jus naturale* à Theologis vocari *quod ratione naturæ rationalis omnibus hominibus inter se commune est & omnium cordibus inscriptum est.* Hinc arguo: quidquid ratione naturæ rationalis omnibus hominibus commune est, atque omnium cordibus inscriptum est, illud est juris naturæ. Atqui tale est præceptum de danda eleemosyna. Ergo. Major à viro docto datur. Minor negari nequit nisi statuas quod ratio recta non

non docet indigentibus si habeas, eleemosynam esse dandam. 5. Malderus de virtutibus Theologicis ad 2. 2. quæst. 32. art. 5. disertis verbis ait eleemosynam esse præcepti divini & naturalis. Naturalis quidem: *Quia jus naturæ dictat etiamsi scriptum non esset, in necessitate subveniendum proximo sicut in necessaria inopia nobis subventum vellemus; tum quia res ipsa loquitur pecuniam esse rem multo viliorem quam sit frater.* Idem statuit Suarez lib. de triplici virtute Theologica, Tract. 3. disp. 7. Sect. 1. in. 1. *Dico*, inquit, *primo, dare eleemosynam, est in præcepto* naturali *& divino, quod ex genere suo sub mortali obligat.* Nec non Greg. de Valentia ad 2. 2. disp. 3. quæst. 9. puncto 4. Vbi ait, *Tertio probatur ratione ducta ex natura charitatis, cujus actus est eleemosyna intercedente virtute misericordiæ, ut puncto primo explicavimus. Nam ad charitatem pertinet non modo bonum velle proximo, sed etiam bonum ei facere, juxta illud* 1. *Ioan.* 3. *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate. Et præterea charitas est etiam quædam amicitia, ut supra quæst.* 1. *tradidimus, cujus leges violantur, si non sit inter amicos mutua beneficiorum communicatio, cum alter alterius ope indiget. Ergo hoc ipso quod charitatis actus est necessarius ex præcepto, necessarius est etiam actus eleemosynæ, per quem sublevetur efficaciter miseria, proximi, ejusque succurratur necessitati. Quo argumento efficitur, præceptum divinum eleemosynæ non modo esse positivum ob scripturæ testimonia citata,* SED ETIAM NATURALE, *Sicut est præceptum dilectionis proximi.* Silvius ad 2. 2. quæst. 32. art. 5. ejusdem est sententiæ, *Denique*, inquit, *accedit & ratio. Eleemosyna est actus charitatis, sed charitas ad quam pertinet, non solum velle bonum proximo, sed etiam operari, est in præcepto: ergo & eleemosyna. Confirmatur, charitas est amicitia, ad amicitiam vero pertinet, mutua beneficiorum communicatio. Ex his patet largitionem eleemosynæ esse præceptam, non tantum jure divino positivo, sed etiam* NATURALI. Hisce Iungo Azorium instit. Moral. Tom. 2. lib. 12. c. 7. quæst. 2. Verba ejus sunt. *Secundo quæritur, an sit præceptum dandi eleemosynam? Respondeo, esse præceptum, tum juris divini, tum* NATURALIS. & post quædam, *Iuris item* NATURALIS *est eleemosyna, quia ratio præcipit ut quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Præscribit itidem ut proximum nostrum diligamus affectu & opere. Vnde illud S. Ambrosii; si non pavisti, occidisti.* Nec non Filliucium Moral. quæst. Tom. 2. Tractat. 28. c.

28.c.3.quæst.3. ubi ait, *Tertio quæro, An sit præceptum de eleemosyna facienda? Respondeo esse, tum* NATURALE, *tum divinum.* NATURALE *quidem quia ratio naturalis dictat, ut quod nobis volumus, alteri faciamus, & quod proximum nostrum diligamus affectu & opere sicut nos ipsos. Confirmatur quia eleemosyna est actus misericordiæ & charitatis; quare si charitas est in præcepto, etiam erit eleemosyna, quæ est ipsius actus mediatus.* Videsne vir docte, te, cum defendis dare eleemosynam indigenti, cum habeas unde des, non esse legis naturæ, novam calcare viam, & rationi contradicere? Pergit: *Permiscet perpetuo Vir doctus jus naturæ cum iis ad quæ in hoc vel illo casu illud applicari potest, & conclusiones cum determinationibus imprudenter confundit. Quo ejus agendi modo semel recepto, nulla deinceps distinctio inter jus naturale & positivum, sive illud sit humanum sive divinum erit. Ad hoc enim astringimur virtute principii practici naturalis; Deum colendum esse. Ad illud virtute alterius itidem naturalis, unicuique suum tribuendum. Nec tamen ideo leges quasvis positivas esse juris naturæ quisquam nisi errando sibi persuasit. & hæc de propositione nostra sufficiant.* Resp. 1. Errat perpetuo vir doctus, cum ait me jus naturæ cum iis ad quæ id in hoc vel illo casu illud applicari potest, & conclusiones cum determinationibus imprudenter confundere. Nam dixi & dico, per viam conclusionis ex principiis naturalibus deduci, ea de quibus nunc disputatum fuit, nimirum marito positis ponendis, uxori esse reddendum debitum conjugale, nuditatem nostram postquam probrosa facta fuit esse tegendam. Indigenti, si habeas unde, eleemosynam esse dandam. An autem vere id à me dictum fuerit nec ne, ex iis quæ hactenus dicta sunt, judicabit lector. 2. Quæro ex viro docto, an præceptum de danda eleemosyna indigenti (quandoquidem illud juris naturæ esse negat, sed juris positivi esse ait) sit juris positivi divini vel humani. Si prius affirmaverit, quæro quomodo præceptum illud inter omnes gentes etiam eas quæ nihil unquam de jure positivo divino audiverunt notum sit? Si posterius, an non præceptum illud mutabile sit?

CAPUT XIII.

AN Adamum in statu innocentiæ tonsum non fuisse certum sit? An ferramenta Adamum non habuisse constet? An quidquid non legitur in historia crea-

creationis Adamum habuisse, id non habuerit? Paratragœdiatio intempestiva. Occupationes Adami in Paradiso. Junius, Pareus, Pererius, Thomas. An Adamum nihil ferramentis analogum in paradiso habuisse constet. An comæ aliter quam ferramentis tonderi nequeant? Michael Montanus, Catullus. Factum Zipporæ, Josuæ. Josephus Acosta. Herodotus. Abjectio armorum. φιλανθρωπία Dei. De probabili. Criminatio retusa. Agricultura tantum non porcina. Præcepta hypothetica. De causis agriculturæ Adami. De otio Adami. De mora Adami in Paradiso. Rivetus, Pererius. Crambe sæpius cocta. Junius à viro docto rejectus. Copiæ viri docti cæsæ. Versio Tigurina, Chrysostomus, Munsterus, Piscator. Cajetanus, Salianus, Pererius adversus virum doctum adducti. Dionysius Siciliæ tyrannus. Causa utendi medio à medio distinguenda. An Dionysius ustularit genas? An Adamus in Paradiso rationem comparandi ignis nesciverit? Bartasius. Goulartius. Agatharchides. Sabæi. Paratragediatio viri docti. An adiaphorum nunquam præcidere ungues? medium minuendi ungues ridiculum. Causæ traditio.

MInor primi argumenti viri docti, quo probare nititur legem naturæ in dicto Paulino non posse habere locum hæc erat. *At Adamum tum comam attondisse nulla probabilitate nititur.* Ratio vero qua eam conatur statuminare, *Cum nec* » *ferramenta reperta essent sed multo post.* Respondi ego: Minor in- » incerta est: & quamvis verissima esset, non valet tamen ratio qua » probatur. Reponit ille: *Si hæc* (minor) *incerta est, proferendæ ei qui contrarium tueri vult, rationes quibus saltem hoc probabile reddat, quod cum non faciat, vir doctus per illum manet inconcussa.* Resp. 1. Merito dixi minorem esse incertam, quia ratio viri docti qua eam probare nititur, non valet ut à me ostensum est quæst. text. 1. parte 3. Thes. 6. & postea amplius ostendetur. Nec ullam aliam adferre potest quę solidior sit. Si enim potuisset meliorem aut solidiorem invenire, eam nobis non invidisset. 2. Si ego asseruissem Adamum comam totondisse in statu innocentiæ, utique hoc mihi probandum fuisset. At vero cum nusquam hoc factum sit, nec ut fieret mihi necesarium fuerit: sed tantum dixerim incertum esse an Adam in statu innocentiæ tonsus fuerit; male vir doctus mihi partes probandi imponit, videlicet ut ipse declinet onus sua defendendi. An autem hoc boni sit disputatoris alii judicent. 3. Quia tamen vir doctus poscit ut probem quod nimirum incertum sit utrum Adamus in statu innocentiæ tonsus fuerit nec ne, non gravatè faciam.

am. Probo autem id hoc modo, Videlicet, quia scriptura per quam solam ea de re certi esse possumus, nobis non tradit tonsus ne fuerit Adamus nec ne. 4. Quam *minor* viri docti inconcussa stet, ex *thesi* mea paulo ante indicata liquet & porro liquebit. Certe si viro docto credendum, victor est; sed alii, ut opinor non quid ipse de laboribus suis & in meis sentiat, sed quid rei veritas poscat, considerabunt. Vt autem rationem viri docti non valere ostenderem, tribus argumentis usus sum. Primum hoc est: Nam quomodo novit Auctor hic Adamum nulla prorsus habuisse ferramenta? Certe eum aut habuisse, aut aliquid quod ipsis esset analogum, liquere videtur ex eo quod Genes. 2. versu 15. horto impositus fuisse dicitur ad colendum eum, præsertim si statuas diutius (quod tamen probabile non videtur) in statu integritatis fuisse. Quomodo enim hortum colere potuisset, sine ullo prorsus ferramento, aut eo quod ferramentis analogum esset? dicitur quidem Thubalcainum acuisse omnem fabrum æris & ferri; sed sensus hujus loci non est, Thubalcainum prima ferramenta invenisse: sed artem inventam in majus auxisse. Audiatur Iunius in hunc locum. Artem (inquit ille) inventam ad commoditatem cædendi ligna, sacrificia &c. excoluit, ornavitque. Quam ob rem non video cur tantopere in ea quæstione laboretur, quo instrumento Kaiin Abelum occiderit, cum agriculturæ jam ante operam dedisset Kaiin, quæ sine ferramentis non potuit, saltem ex quo terra maledicta est, exerceri. Hic antequam ad viri docti exceptiones descendam notandum est. 1. Mihi probandum non fuisse ferramenta fuisse in statu integritatis, sed viro docto non fuisse. 2. ex abundanti tamē attulisse rationem qua probabile esse ostenderem, ferramenta fuisse, aut aliquid ipsis analogum, in statu integritatis, ratione ex Gen. 2. v. 15. desumpta. 3. Indicasse me, potissimum stringere rationem hanc, si Adamus statuatur diutius in statu integritatis fuisse (quod tamen mihi probabile non videbatur) minime autem voluisse, quod si diutius in eo non manserit, nulla sit. 4. Locum Iunii à me allatum non ut probarem ferramenta in Paradiso fuisse: sed ut negarem, quod vir doctus affirmat prima ferramenta à Thubalcaino inventa esse. Audiamus nunc virum doctum. Ait ergo. *Ad rationem meam quod attinet facili negotio se ab oppos-*

qua-

quæstiuncula expediet. Si enim ferramenta habuit in statu integritatis ea vel à Deo creata fuerunt, vel ab ipso fabrefacta. Prius non dicet ut arbitror vir doctus, neque invenitur in historia creationis. Posterius quoque nullam habet veri similitudinem. Cui enim vel per somnium hactenus in mentem venit Adamum in paradiso artem fabrilē exercuisse? Malleum, forcipem, incudem fabricasse, ut sibi forficulas aut novaculam attondendo capiti compararet? & quomodo hoc onus ei post peccatum demum impositum est, Gen. 3. v. 19. *In sudore vultus tui vescitor cibo, si jam antea opificium maximi sudoris in paradiso exercuerat? mitto boves, mitto folles qui ad hoc requiruntur.* Resp. Vt tremendum illud dilemma viri docti evertam, ad primum membrum minoris quęram, unde probet vir doctus, Adamum per creationem ferramenta nulla habuisse? Respondet ille: quia id non invenitur in historia creationis. pulchre certe; nam hinc habeo hunc syllogismum: Quidquid in historia creationis non invenitur Adamum in paradiso habuisse per creationem, id in paradiso per creationem non habuit. Atqui non invenitur in historia creationis ipsum in paradiso per creationem habuisse ferramenta. Ergo. Resp. Neg. Major. Quia non habemus particularem historiam rerum quas Adamus in paradiso habuit. Si affirmet vir doctus nos habere, edat nobis eam, dicatque nobis cujus generis arbor vitę & scientiæ boni malique fuerit. item an, & qui pisces in fluminibus paradisi fuerint? & sexcenta ejusmodi. 2. Possem præterire alterum minoris membrum, ut de quo priore protrito mihi laborandum non est: placet tamen pauca quædam circa illud annotare; nimirum 1. Quod pręter rationem vir doctus hic paratragœdiet, cum fabrefactionem minutioris alicujus instrumenti ferrei, adeo exaggerat, ac si nobis cyclopum labores depingere voluisset. Noverunt illi quibus res Indicæ notę sunt, apud Indos, (qui tamen ut puto cum Adamo quoad ingenium non sunt comparandi (v. libert. pag. 36. 37.) instrumenta ferrea præsertim minutiora nullo fere negotio confici. 2. Quod difficilius non videatur ex ferro, aut alia quavis simili materia, instrumenta conficere, unguibus & crinibus secandis apta, quam terram proscindere, plantare, serere, irrigare, semitas viasque deambulationibus aptas parare: quibus tamen viri docti qui cum scriberent, non somniarunt, nec statum integritatis cum statu peccati, confu-

derunt Adamum in paradiso occupandum fuisse censent. Iunius ad Gen. 2. 15. Adamo injunctum ait ut hortum coleret, prosciſſione, irrigatione, ſatione & ſi qua ſunt ejuſmodi. Pareus, ut hortum coleret, conſereret, plantaret, & ad uſum ſuum transferret; item ut hortum cuſtodiret, ne vel ſua negligentia de ejus elegantia aliquid periret, vel à beſtiis aut feris plantæ amœniſſimę vaſtarentur. Pererius ait hominem in paradiſo varia ſibi loca ad habitandum comparaturum, viaſque & ſemitas per quas commode & cum voluptate ingredi poſſet concinnaturum fuiſſe. 3. Quod labor quem ſubiiſſent Adamus & poſteri ejus in ſtatu integritatis, ſi is perpetuus fuiſſet, (ſi modo labor & non potius operatio dici debet) moleſtus futurus non fuiſset, nec cum tædio conjungendus; verum ad exercitationem, voluptatem (quam etiam ſummam poſtquam peccatum in mundum venit ex agricultura & mechanicis artificiis viros principes cœpiſſe legimus) & rerum experientiam valuiſſet. Vide hac de re comment. ad Gen. 2. 15. & Thomam ejuſque comment. p. 1. quęſt. 102. art. 2. 3. Sed eſto non habuerit Adamus in ſtatu integritatis ferramenta; an etiam probat vir doctus eum nihil habuiſſe ferro analogum? minime certe, immo ne quidem hoc tentat, cum tamen hoc ſibi à me objectum eſſe noverit. Sed ut aliquid dixiſſe videatur, ait. 1. *Quantopere hic fluctuet vir doctus apparet ex eo quod alternet inter hæc duo vel* ferramenta, *vel aliquid* analogum *habuiſſe*. Reſp. hac alternatione utor, ut oſtendam, etiamſi forte probaret, quod non fecit, Adamum ferramenta non habuiſſe in ſtatu integritatis, ſciret ſibi aliud reſtare probandum, videlicet Adamum nihil ferro analogum habuiſſe: adeoque ipſum ſufficienti enumeratione in probatione minoris non eſſe uſum. Quod ſi enim ea ſufficiens eſſet, ſequeretur, præter ferramenta nihil eſſe quo comæ tonderi poſſunt: quod falſum: nec cuipiam hactenus id in mentem vel per ſomnium veniſſe arbitror. Michael Montanus operis ſui quod vocat *les Eſſais* lib. 1. cap. 30. quod eſt de Canibalibus, ait: *Ils ſont raz par tout, & ſe font le poil beaucoup plus nettement que nous, ſans autre raſoüer que de bois ou de pierre.* Ad hæc olim fuiſſe qui vice ferramentorum aliis rebus uterentur, ad ſciſſionem, veteres prodidere. Catullus in carmine de Berecyntia & Aty ait.

Stir-

Stimulatus ut furenti rabie vagus animus,
Devolvit ipse acuto sibi pondera silice. Iuvenalis *Satyra.* 6.
Mollia qui rupta secuit genitalia testa. Sipporam uxorem Mosis filiolum suum & postea Iosuam Israelitas lapide acuto circumcidisse multorum virorum & quidem doctissimorum est opinio. Vide porro quæ comment. habent in Exod. 4. v. 25. & Ios. 5. v. 2. Nec non Iosephum de Acosta, qui historiæ suę lib. 5. cap. 20. Mexicanos, iis quos immolabant cultro lapideo magno, lato & acuto, pectus aperuisse testatur, & porro ait lib. 6. cap. 26. eosdem usos gladiis, quorum mucrones constarent lapidibus quibus uno ictu collum equi amputabant. Herodotus (quem omiseram) lib. 7. narrat in Xerxis exercitu militasse Æthiopias armatos sagittis quibus ἀντὶ σιδήρου ἐτῶν λίθῳ ὀξυς πεποιημένῳ, ὧι τὰς σφραγῖδας γλύφουσι. 2. Non fluctuat vir doctus, sed arma abjicit ut qui ne quidem probare nititur Adamum nihil analogum ferro habuisse. Addit. 2. *Id* liquere *dicere non ausit, sed* liquere videri. Resp. 1. sufficit ut probabile sit quod dico, ut ostendam non stringere illud viri docti *cum nec ferramenta adhuc reperta essent, sed multo post* v. *Gen.* 4. 22. *id est tempore Thubalcainis.* Quum autem dico *liquere videri*, probabile quod dico esse significo. 2. Asseverantius loqui non erubesco, præsertim cum vir doctus, (ut ex, dictis liquere arbitror) argumentum meum convellere nequeat. 3. *Argumentum sumat ab eo, quod ipsi* probabile non videtur *nempe à diuturniori perseverantia Adami in statu integritatis: nec mirum sane, nam sententiam propugnat quam pro vera non habet, ut supra ostensum, ei propugnanda conveniunt argumenta, quæ ne probabilia quidem ipsa videt & fatetur.* Resp. Multum hic bilis, nihil veri. Nam 1. Argumentum meum etiam procedit licet tantum ad breve aliquod tempus Adamus in paradiso fuisset. Dubium enim nulli esse potest si vestigia viri docti sequamur, quin Deus, cum opus Adamo imperavit, nimirum horti culturam, etiam ei media ad exsecutionem concesserit. Hoc enim philantropię Dei, & felicitati primi hominis erat convenientissimum. 2. Nusquam significo argumentum meum non procedere, si statuatur Adamus ad breve tantum tempus in paradiso fuisse, sed tantum ostendo fortius stringere, si ponatur diutius in paradiso fuisse; Verba mea sunt: certe eum aut habuisse, aut aliquid

„ quod ipsis analogum esset, liquere videtur ex eo quod Gen. 2. v. 15.
„ horto impositus fuisse dicitur ad colendum eum, præsertim si sta-
„ tuas diutius, (quod tamen probabile non videtur) in statu integri-
„ tatis fuisse. 3. Quod mihi aut viro docto probabile non videtur, aliis probabile videri, immo etiam verissimum esse potest. Patribus quibusdam probabile non videbatur, imo ridiculum censebatur, dari antipodes, at tamen esse, certum est. 4. Falsum est me sententiam propugnare quam pro vera non habeo; nec non, quod id se supra ostendisse ait. Conscendit hic vir doctus Tribunal Dei καρδιογνώστου quod ipse damnat pag. libelli fui 20. 5. Si argumenta mea ipse ne quidem probabilia esse video & fateor, (quod falsum est) mirum sane quod vir doctissimus ea refutare nequit; nec sua adversus ea defendere. Pergit: *Ad rem ipsam quod attinet: 1. Nego ab instrumentis quibus terra, obsequens adhuc & delicata, dirimi potest, ad instrumenta quibus caput tondetur, aut raditur consequentiam duci posse. Nam terram etiam nunc vel suis rostra, vel talpæ videmus dissici, quibus tamen nemo ad capillum resecandum, si sapit utetur. Ad illud igitur quovis ligno v. g. potuit uti primus parens, quod ad alterum tamen usum non valet.* Resp. 1. Ad cultum horti non tantum requirebatur ut terra verteretur, & consereretur, verum etiam ut arborum ratio haberetur. An autem ab instrumentis, quibus earum rami luxuriantes præscinduntur, ratio duci non possit ad instrumenta quibus comę præscindi possunt, alii judicent. 2. Tantum non porcinam agriculturam vir doctus tribuit Adamo, qui eum quovis ligno eam perficere potuisse judicat. 3. An etiam Adamus & posteri ejus usque ad Thubalcainum quovis ligno agriculturam exercere potuere, cum terra maledicta esset? hoc ipsi statuendum est, aut nihil dicit. 4. Ad plantas majores defigendas vel eruendas majoribus saltem lignis Adamus, opus habuisset. At quomodo ea præparasset, ut apta essent ad egerendam terram, nisi aut ferramenta aliqua aut aliquid quod ipsis analogum esset, habuisset? Ignem enim Adamum habuisse in paradiso quo sudes præureret, postea negat vir doctus. Manibus forte, dicet Adamum, terram egesturum, & rursus affusurum fuisse aut dentibus præparaturum sudes quibus uteretur. Sed obstat ipsi dictum quod mihi nuper objecit, si modo serio egit: *In sudore vultus tui vescitor cibo.* 6.

Por-

Porcos & talpas viro docto relinquam, ut eorum roſtris, ſi volet, utatur aut ad agriculturam aut ad tonſuram. 2. *Præceptum de colendo horto ex eorum natura eſt, quæ non obligant* ad ſemper, *ſed ad tempus illud quo hortus culturæ indigeret. Quis autem credat eum à ſapientiſſimo hortulano.* 1. *Deo ipſo plantatum, unius aut alterius diei ſpatio ita degeneraſſe, ut nova cultura indiguerit? Nemo certe. At alia ratio eſt de capillis, ut ſupra viſum.* Reſp. 1. Sunt ergo præcepta quædam quæ non niſi poſitis ponendis ad ſui exercitium obligant. Adeoque vir doctus ſine ratione dixit quæcunque ſunt legis naturæ, ea ab Adamo ſervata eſſe in ſtatu integritatis. 2. Vel ſeminum quorundum maturitas, vel aliud quodcunque quo Deus otium Adami impedire voluit, efficere potuit, ne Adamo occaſio & commoditas deeſſet dandi operam agriculturæ. 3. Explicet nobis vir doctus an intra hebdomadam vel menſem, vel duos vel tres vel etiam plures hortus à ſapientiſſimo hortulano, id eſt Deo, plantatus ita degeneraturus fuerit, ut nova cultura indigeret, ut noverimus quamdiu Adamo, ſi perſtitiſſet, otiandum fuerit. 4. Vnde probat vir doctus Adamum tantum unum aut alterum diem in paradiſo fuiſſe, An ex ſcriptura? At ea nihil tale dicit. An ex traditione? At de ea nihil accepimus. An ex ratione? at ea non comparet. Procedit itaque argumentum viri docti ex incertis. Quid autem illi ſit opponendum vide apud Rivetum in Geneſin exercitat. 40. circa finem. Longe modeſtius Pererius qui determinans tempus morę Adami & Evę in paradiſo ait, quanto tempore fuerint in paradiſo pręciſe ac definite non poſſe conſtitui; quod tamen vir doctus facere præſumit, qui ipſos unum atque alterum diem tantum citra ullam hęſitationem in paradiſo fuiſſe dicit: poſtea quidem Pererius moram illam octo dierum fuiſſe ait, ſed tantum ut ipſe diſerte ſignificat, per modum divinandi. Inquit enim: ſi mihi fas ſit divinare, dicam fuiſſe in paradiſo per octo dies. v. eum in Geneſ. cap. 3. ad v. 23. quæſt. 2. 5. Reponit vir doctus cramben ſuam, non bis, ſed ſæpius coctam, ſententiam Poimenandri ſcilicet, quia ea ſublata, cauſam ſuam (ut ego quidem arbitror) jugulatam novit: atque adeo ex nę quidem probabilibus argumentatur. Progreditur ad id quod de Thubalcaino dictum fuit: & ait: *Cur verſionem & opinionem Iunianam hic aliis præferat, præſertim He-*

bræorum magistris, nulla est ratio. atque in contrarium adducit *Mercerum*, cujus verba recitat, *Judæorumq; Magistros*, quos ait *in rei summa convenire. 1. originem hujus artificii ad Thubalcain communiter referre.* Hisce conjungit *Hellenistas* ita tamen ut solum *Iosephum* nominet. Et denique *Lyram*, *Munsterum*, *Fagium*, *Vatablum*, *Tostatum*, *Lutherum*, *Calvinum*, *Musculum*, *Marloratum*, *Pareum*, *Corn. à Lapide*, *Goulartium*, *Rivetum*, & *Polydorum Virgilium de inventoribus rerum.* Et tandum ita desinit; *hosce omnes si ad nomen (insigne de cætero virt) Francisci Iunii, arma abjecturos, & loco cessuros vir doctus putet, in magno ut ego quidem arbitror errore versatur.* Resp. 1. prætuli versionem & opinionem Iunii non tantum hebræorum magistris, sed etiam aliis qui censent, Thubalcainum fuisse primum inventorem artis fabrilis, 1. Quia verba textus hebraici non evincunt quod volunt. Experiatur vir doctus vires suas (nam nequidem hoc ab ipso tentatum invenio) ut contrarium probet, & videbit (nisi admodum fallor) se frustra sudaturum. 2. Quia ratio Iunii, quam vir doctus ne verbo quidem convellere conatus est, me coegit, ut ipsum contrarium sentientibus præferrem. 3. Velim mihi nominet vir doctus hebræorum sive judæorum (quos vocat) magistros, quos ait communiter secum facere, ut videam (modo eos habeam aut nanciscì possim) num quod vult dicant. Certe nec Salomo Iarchi, nec Aben Ezra sententiæ quam vir doctus amplectitur, favet. 4. Nequidem Mercerus (quantum ego quidem videre possum,) dicit magistros hebræorum affirmare, quod vir doctus loco illo Geneseos dici putat. Ait quidem: *Hic sane, juxta hebræos ingenio Caini præditus, arma invenit, ad cædem comparata.* Sed verba *juxta Hebræos* referri possunt, ad id quod proxime sequitur: *Ingenio Caini præditus*: quod si fiat, nihil adversum me dicunt hebræorum magistri. 2. si referantur ad remotius, *arma invenit*, armorum inventionem, ab hebræorum magistris Thubalcaino tribui dicet Mercerus. Sed an qui hoc dicunt, nullam artem fabrilem ante ipsum fuisse ajunt? vocem *invenit*, expressit vir doctus literis majusculis, sed cur aliis vocem *arma?* 5. Iosephus ambiguus est, ut legenti eum patet. Nam nisi per χαλκείαν cujus meminit, artem ferrariam quoque intelligas (quod non est necessum) nihil ex ipso adversum me produci potest. Immo vero Thubalcainum

num primum artis fabrilis non fuisse inventorem, docet Iosephus Antiq. 1. cap. 3. Vbi Cainum primum terram arare excogitasse refert. Non puto autem virum doctum dicturum eum quovis baculo hoc facere potuisse. Atque ita periere viro docto Helleniste. 6. Cæteros quos in aciem educit quod attinet, fateor esse inter eos qui viro docto suffragentur: Sunt tamen ex iis qui (quantum ego judicare possum) mihi non officiunt, ut Lutherus, Calvinus, & Rivetus. Fagius in notis ad versionem chaldaicam, hac de re non loquitur, si alio loco quippiam habet quod pro viro docto faciat, is indicandus fuerat. Munsterus pro me testimonium dicit. Marloratus in Genesin mihi non est ad manum. Polydorus Virgilius auctoritate Iosephi nititur, de quo quid sentiendum sit, indicatum est. Adeo ut magnæ illę copię quas vir doctus ostentat, ad paucos redactæ sint. 7. Vix est inter illos quos vir doctus adducit, qui aliqua ratione probare nitatur textu Mosaico Thubalcaino inventionem artis fabrilis tribui. 8. Non solus Iunius, sed etiam plures alii contra virum doctum suffragium ferunt. Nam ut præteream quod nec Græca, nec vulgata Latina, nec Gallica, nec Anglicana, nec Belgica, (cęteras consulere non vacat) ita vertant locum Mosaicum, ut pro viro docto faciat: Tigurina expresse contra ipsum militat, ut quæ non primam inventionem, sed expolitionem cujuscunque opificii ferri & æris Thubalcaino tantum attribuit. Chrysostomus in Gen. 4. ad v. 8. ξίφος quo Abel à Caino occisus est fuisse dicit. Munsterus quem vir doctus pro se adduxit, hæc habet, in Gen. cap. 4. ad v. 22. *Patrem Hebræi appellant principem reique alicujus autorem. fuit Lamech in omni arte prudentissimus, quippe qui primogenitum docuit rem pecuariā juxta naturas jumentorum & pecorum. Secundum vero docuit usum & modulationem instrumentorum musicorum. Et tertium instituit ut disceret artem fabrilem & faceret gladios, lanceas & alia instrumenta bellica.* Piscator quæst. in Genes. 96. ait. *Verisimile est quod eum occiderit vel fuste vel cultro. Fuste scil. feriendo caput, vel cultro conscindendo jugulum. Nam jugulatio pecudum ad sacrificia cultro non poterat carere, nec agricultura instrumentis ferreis. Neque enim putandum ferramenta inventa demum esse per Thubalcainum de quo infra v. 22. Is enim non dicitur inveniisse aut excogitasse artem fabrilem: sed acuisse (id est acute eru-*

eruditiſſe) omnem fabrum ærarium. Vnde intelligitur fabros ærarios jam antea fuiſſe. Hiſce jungo Cajetanum in Gen. cap. 4. Salianum ad annum mundi 688. n. 16. Pererium in Gen. 2. ad verſ. 8. & 4. ad verſ. 17. 9. Non exiſtimavi nomen Iunii tantum eſſe (quamvis merito magnum ſit) ut eo audito arma abjicienda, & loco cedendum ſit iis qui forte contrarium ſentiunt: ſed rationem quam adfert talem eſſe putavi, ut crederem virum doctum & ſi quos forte habet ſibi adſtipulantes, aut arma abjecturos & loco ceſsuros; aut ſaltem eam refutaturos: quod à viro docto nequidem tentatum eſſe (quandoquidem non acquieſcit) ſummopere mirandum eſt. 10. Peto à viro docto ubi auctores citat, loca ad quæ reſpicit indicet; Alioqui enim mihi ipſi reponere licebit, ſi forte invenire nequeam. *Quærant quibus, otium eſt, ego enim invenire non potui.* aut etiam: *non libet in tenebris micare.* Pergit: *Adhæc ſi maxime ſententia Iunii vera eſſet, (id quod non damus) contra adductam à nobis rationem aliquid obtineret vir doctus, nihil tamen contra ſententiam noſtram, neq; pro opinione quam defendit: Nam Iunius negat quidem ſine ferramentis agriculturam exerceri potuiſſe, ſed cautè addit,* Saltem ex quo terra maledicta eſt. *At nos hic diſputamus de ſtatu integritatis, cum terra maledicta nondum eſſet.* Reſp. 1. Si vir doctus nõ dat ſententiam Iunii eſse veram, cur rationem qua nititur non refutat? 2. Si ſententia Iunii vera eſt, ſequitur rationem viri docti qua ſola minorem munit, nimirum quod Adamus nulla ferramenta habuerit: (addendum docui aut ferramentis quid analogum) nullam eſse, atq; adeo minorẽ illã ex ſyllogiſmo viri docti exaruiſse. Ratio enim ejus hoc ſolo nititur, quod ferramenta à Thubalcaino inventa ſint. Neq; enim ut puto ſibi vir doctus tantum tribuit, ut in talibus ſine probatione aliquid dicenti, acquieſcendum ſit 3. Iunius cum ait ſaltem *ex quo terra maledicta eſt*, non negat Adamum in ſtatu integritatis aut ferramenta habuiſse, (quod facit vir doctus) aut ferro aliquid analogum habuiſse (quod viro docto negandum fuerat, ne inſufficienti enumeratione peccaret, ſed negare non audet, nihil enim ad hoc ab ipſo reſponſum eſt) ſed tantum quid ſentiat de ratione agriculturæ in ſtatu innocentiæ, hic præterit. Sufficiebat enim ei probare originem primam artis fabrilis Thubalcaino non deberi; quod aſſerit vir doctus. 4. Iunius cum ait Geneſ. 2. v. 15. *colendi*

vo-

vocem, *proscisionem, irrigationem, sationem*, & si qua sunt ejusmodi» *complecti: quovis baculo* Adamum *ad agriculturam, uti non potuisse* sed pluribus opus habuisse instrumentis, se sentire significat.

Secundum meum argumentum quo viri docti rationem, qua » minorem suam probat, impugnabam hæc erat. An nulla alia sunt » media minuendi comas quam ferramenta? Nota est historia Dio- » nysii Siciliæ Tyranni. Respondet vir doctus. *At illa historia Adamo quam apte conveniat vide. Tyrannus ille, quod undique sibi imminentem necem, ob admissa scelera timeret, nec quomodo sine periculo pilorum incrementum compesceret videret, tandem ardentibus nucum putaminibus sibi genas ustulavit.* Resp. Apte convenire posse hanc historiam nemo negaverit, nisi qui secutus virum doctum, causam utendi medio, à medio non distinguit. 2. Velim mihi indicet ubi legerit Dionysium sibi *ustulasse genas ut pilorum incrementum compesceret.* 3. Quæro utrum etiam Tyrannus ille sibi *ustulaverit* caput ut compesceret capillorum incrementum? Nam apud Plutarchum in Dione lego ipsum *comam circum aduisse.* Pergit, 1. *Possem quærere ex viro docto, satin' certus sit ignem jam tum in Paradiso in usu fuisse? Vnde vero hoc habet? & quæ ejus necessitas?* & ut quæstioni suæ colorem addat: mihi Christianos, hoc est Bartassium poëtam ejusque commentatorem Simonem Goulartium opponit, Plinium enim, Diod. Siculum & Vitruvium, & alios quos non nominat, ipse rejicit. Resp. 1. Quero satin' certus sit vir doctus Adamum rationem ignis comparandi nesciviisse? Certè quod barbaris nunc notum est, Adamo, cujus maximam fuisse scientiã in statu integritatis negare non potest, & fatetur *libertatis suæ* p. 37. ignotum esse non potuit. 2. Quæro satin' certus sit vir doctus Adamum quamdiu in paradiso fuit otiatum esse, nec ligno (Nam lignis agriculturam exercere potuisse ait pag. 61.) grandiore aliquo opus habuisse; illudque sine igne ad agriculturam (nam ferramenta habuisse Adamum negat, ferramentis vero analogum quid habuisse negare debet, nisi insufficienti enumeratione partium peccare velit in ratione qua minorem suam probat,) aptare potuisse? 3. Quero satin' certus sit, Christianos quos crepat, quique ad duos reducuntur poëtam Bartassium, & Simonem Goulartium, verum dicere? Addit *Hæc observatio etiam valet adversus artem Adami fabrilem de qua an-*

tea. Resp. 1. Artem fabrilem Adamum in paradiso exercuisse à me dictum non fuit. Dixi probabile esse eum habuisse ferramenta, aut aliquid quod ipsis analogum esset; præsertim si diutius in paradiso fuerit, quod vir doctus nullo modo refutare potuit. 2. Nisi satis certus sit vir doctus Christianos illos verum dicere, hæc observatio nihil valet. At unde satis certus reddi possit me latet, ipse viderit. Pergit: 2. *Ponamus ignem in paradiso fuisse, an eo sibi Adamus caput ambussit? hoccine sine dolore, sine fœtore, sine deformitate fieri potuit. Habeat ergo sibi artem se dignam Dionysius, absit, absit, ut summæ innocentiæ, ita omnis pulchritudinis & amœnitatis loco.* Resp. 1. Neque ego dixi Adamum igne vel ignita materia comas suas adussisse; sed dixi etiamsi non habuisset aut ferramenta aut ferramentis quid analogum, ignita aliqua materia, ubi opus esset, id facere potuisse. 2. Nesciebam ego capillos aduri non posse, sine ambustione capitis, adeoque non nisi cum dolore. 3. Excrementa primorum parentum (huc ut descendam facit viri docti importunitas) si credimus ipsi violam oluisent. 4. An nihil fuisset in paradiso quo Adamus fœtorem illum compesceret? Narratur in excerptis ex libris Agatharchidis de accolis maris rubri, non procul à fine, tantam esse fragrantiam stirpium apud Sabæos ut necessum habeant, nonnunquam succendere pauxillum bituminis & hirci barbam ut vim illius retundant. 5. Vti ablutio, aspersos pulvere vel terra inquinatos pedes aut aliunde alia corporis membra, nitori suo restituisset; sic lenis frictio, aut aliud aliquid quod *aut ingenii ad omnia attenti acumen, aut Dei φιλανθρώπια benignitas edocere potuit*, quidquid forte in capillis per adustionem exstitisset momentaneę deformitatis (quam vocat vir doctus) tollere potuisset. Absit, absit ergo paratragœdiatio hęc viri docti.

„ Tertium meum argumentum hoc erat: Si ratio hæc stringit:
„ quæram quomodo Adamus & Eva & reliqui, donec ferramenta
„ inventa fuere, ungues manuum pedumve minuere potuerint? for-
„ san morsu sibi invicem eos arrosere. Respondet vir doctus, 1. *Quæstio hæc proponenda erat Poimenandro, is enim in incremento unguium non incommodum modo, sed peccatum statuit: ejus ergo est de medio dispicere quo id de paradiso in statu innocentiæ arceatur, nos in incremento unguium ut nullum peccatum, ita in tam exiguo utpote exigui temporis*

poris quo Adamus fuit in paradiso, nullum incommodum, nec necessitatem eas amputandi reperire possumus. Resp. 1. Non Poimenandro, utpote quo cum mihi res non erat, sed viro docto qui dixerat Adamum non attondisse comas in statu integritatis (quia ferramenta demum à Thubalcaino inventa fuere, qui longo tempore post creatum Adamum natus est) proponenda fuit. 2. Si plane adiaphorum est nunquam resecare ungues: etiam adiaphorum erit, nunquam tollere ubi potes, quæ actionibus humanis impedimento sunt: ungues enim semidigitales actionibus humanis & admodum quidem impedimento esse non negabit (ut opinor) vir doctus; 3. Si plane adiaphorum est, nunquam minuere ungues, adiaphorum quoque erit, periculo læsionis exponere semetipsum. Nam non negabit (ut arbitror) vir doctus, ungues semidigitales præsertim pedum per incessum, terræ vel lapidibus appressos, nocumentum adferre posse. 4. Si ita est ut vir doctus ait, consultum foret, ut ipse suos ungues nunquam resecaret, ut non tantum scripto sed exemplo suo libertatem Christianam tueretur. 5. Deformitatem omnem ita procul nuper removit à paradiso, ut diceret *absit absit*: At hic, cum ait, nullum esse peccatum in nutritione unguium, Adamum & posteros si perstitissent in statu integritatis, sponte sibi deformitatem accersere potuisse significat. Nam non inficiabitur (ut puto) ungues manuum pedumve semidigitales, manus & pedes deformare. 6. Iterum quæro ex viro docto unde hauserit quod Adamus tam exiguo tempore in paradiso fuerit, atque videri vult eum fuisse? 7. Si non diutius fuerit Adamus in paradiso, ut tonderetur opus habuisse probari nequit. Pergit. 2. *Quod ad statum eorum ac subsequentium extra paradisum, quanquam licet in tam obscuris, ut opinor aliquid ignorare, nec ad interrogata, sed ad argumenta tenear respondere, multum tamen abest, ut ad ridiculum illud medium, quod affert vir doctus confugiamus. Si enim jumentis, dum per asperas rupes ambulant, nugulæ, ut ait facetissimus mortalium, deterantur usque ad genua, quomodo prisci illi homines, vel pumice vel aspero alio lapillo unguium luxuriem, quoties libuit cohibere non potuerunt? Dixi id quod sponte se mihi offert, nam alia eos necessitas, & ingenii ad omnia intenti acumen & Dei φιλανθρώπια benignitas edocere potuit.* Resp. 1. Si nolit vir doctus urgeri quæstionibus, mirum est eum mihi tam libera-

beraliter eas proponere. 2. Putabam ego quæstionem hanc continere argumentum deducens ad absurdum. 3. Si in rebus adeo obscuris viro docto licet aliquid ignorare, utiq; & mihi. 4. Medium quod ostendo ridiculum est, sed adduco illud ut vir doctus absurditatem suæ rationis videat. 5. An minus ridiculum quod ipse excogitavit medium? 6. An Adamus & Eva si perstitissent, eorumq; posteri pumice, vel aspero aliquo lapillo, detrivissent luxuriem unguium, manuum & pedum? Quod si hoc affirmet vir doctus rogabo satin' certus sit in paradiso pumices & asperos lapillos fuisse? Item an benignus ille Deus minus beneficus fuerit in illos, quam in nos quibus longe commodiora, ad ea quę nobis cum ipsis communia sunt, concessit instrumẽta? non mirabitur autem vir doctus me argumentari ex suppositione perseverantiæ in statu integritatis, nam ipsum sic arguentem audivimus p. 577. Ait vir doctus se dixisse id quod spõte se ipsi offerebat, at quis coëgit eum ut non proferat nisi quæ se sponte offerunt? 8. cum vir doctus ait, *Nam alia eos & necessitas & ingenii ad omnia intenti acumen, & Dei φιλανθρώπως benignitas edocere potuit*, causam tradit. Nam esto; nõ habuerit Adam ferramenta quibus comam tonderet in statu integritatis, (si modo ta diu in eo fuerit, ut tonderi necesum habuerit) nec possim ostendere ipsum aliud quod ferro analogum esset quo se tonderet, habuisse: dica ego: Ingenii quo præditus erat Adamus singulare acumen (Nam nõ puto dicturum virum doctum majus ingenium fuisse in ipso & posteris ejus post lapsum, quam in ipso ante lapsum erat & Dei φιλανθρώπως benignitas, (quam eximiam fuisse erga Adamum ante lapsum vir doctus non inficiabitur) Adamum aliquid quo se tonderet edocere potuit. Tandẽ concludo, In fumos ergo abiit hęc ratio & evanuit. Respondet vir eruditus, *Multum fumi excitasse virum doctum in cudendis ferramentis, & amburendis crimbus, lectores vident, sed is rationem meam secum abripere non potuit, quæ eo etiam firmior est, quod licet omnia instrumenta minuendi comam & ungues in paradiso probare posset, id tamen nõ pro Poimenandro, sed contra eum faceret, cum usus illorum instrumentorum, incrementum capillorum & unguium præsupponat: atque ita peccatum statuat, antequam primum peccatum de quo* Gen. 3. *commissum esset. Quod manifeste absurdum esset in Theologia, & hæc prima nostra ratione.* Resp. Fumus quem excitavi, ita acris fuit, ut nõ tan-

tantum excruciaverit, verum etiam plane peremerit primam viri docti rationem contra significationem vocis naturę in dicto Paulino. exceptiones ejus, ad responsiones meas prorsus protritas esse, non dubito, quin lectores judicent. 2. Injuriam fieri Poimenandro viro optimo, doctissimo, & de ecclesia Christi optime merito, non tantum queritur ipse Poimenander, sed etiã insulsitas sententię quã ipsi attribuit vir doctus, clamat. Sed hac de re suo loco actum fuit.

CAPUT XIV.

Distinctio transgressionis formalis & materialis. Solitæ latebræ. Christi & viri docti disparatio. De obligatione legis naturæ in casu spiritualis necessitatis. Judicium auctoris. Sententia viri docti de obligatione legis naturæ in casu necessitatis corporeæ, refutata. Junius à viro docto oppugnatus. Ab auctore explicatus, & defensus, & argumenta viri docti excussa & refutata. Distinctio vestium virorum & mulierum secundum virum doctum. An sit juris naturæ? Tertullianus Junio an contrarius? Juxta virum doctum per legem naturæ impudentibus nobis esse licet. An usus arte factorum omnis à jure naturæ alienus? Salmasius, Dialegista, Ambrosius viro docto contrarii. Moris vires juxta virum doctum.

SEcundum viri docti argumentum quo probare nitebatur in dicto Paulino legem naturæ locum habere non posse erat: *Quæ sunt legis naturæ, ea propter necessitatem corporalem transgredi non licet. At præceptum de attondenda coma, secundum adversarios, licet transgredi propter necessitatem corporalem. Ergo.* Probabat minorem: *Quia Poimenander*, ut ait, *statuit licitum illud esse transgredi propter varietatem complexionum, & imbecillitatem. Borstius propter luctum.* Responsum à me fuit, eadem thesi mea 6. Transgressio dupliciter sumi potest, vel propric vel improprie, sive, formaliter vel materialiter. Quod si auctor hic priori modo vocem transgressionis sumat, falsissima est minor. Quis enim eorum quos sibi adversarios vir doctus delegit, unquam dixit, licitum esse manente obligatione de attondenda coma, comam non attondere? quod si posteriori modo vocem transgressionis sumat 1. Catechrestice loquitur, atque adeo meminisse debet, sui muneris esse, etiam adversariorum verbis, benigniorem interpretationem non denegare ubi eam admittunt. Ad hæc vir doctus ait *Distinctio hæc in iis quæ ita contra naturam sunt ut honestari non possint locum nullum habet. In iis enim omnis transgressio materialis, etiam formalis est, & for-*

maliter peccatum. At talis est coma viri prolixa apud Poimenandrum, est enim contra naturam, ut illa quæ fugillantur Rom. 1. 26. Quamvis ergo hæc duo non conjungat in una sententia, nempe licitam esse comam, manente obligatione tondendi, tamen utrumque statuere cogitur, nam ex natura peccati hujus sequitur, obligatio perpetua, & ex ejus concessione, obligationis relaxatio, quæ duo simul consistere non possunt. Resp. 1. Verum non est Poimenandrum unquam dixisse; comam viri prolixam, esse ita contra naturam ut nunquam honestari possit: nam contrarium Poimenandrum sentire ex ipso hoc argumento viri docti liquet, ubi ait, Poimenandrum sentire licitum esse transgredi (voce à viro docto usurpata utor) præceptum de attondenda coma, *ob varietatem complexionum & imbecillitatem.* 2. Ratio qua vir doctus Poimenandrum quod ait, sentire probat, refutata est supra cap. 4. 3. Non tantum Poimenander duo illa de quibus loquitur vir doctus non conjungit in una sententia, sed ne quidem in diversis; Adeoque non sequitur quod vir doctus sequi vult. 4. Produxit vir doctus in scenam, non tantum Poimenandrum, sed sub persona Poimenandri, etiam Voetium, & cum iis Boristium eosque dixit sentire, quod licitum sit præceptum de attondenda coma trangredi transgressione formali (ut paulo post se explicabit) hic tamen missis reliquis, solum Poimenandrum, id de quo quæstio est, dixisse probare nititur. Atque adeo tacitè fatetur se male reliquis duobus id objecisse. Conferatur disp. ejus 1. de coma Thes. 11. cum iis quæ hic habet. Pergit: *Quod me catechrestice ait loqui, si transgressionem materialiter tantum accipiam, primo me non tangit, quia hoc non facio, ut patuit. Deinde non major in eo esset catachresis, imo aliquanto minor quam est in verbis Christi Matt. 12. 5. Ubi dicit,* Sabbatis sacerdotes in templo sabbatum profanare & inculpabiles esse. *Ex postremis verbis apparet vocem* prophanandi tantum materialiter *à Christo accipi. Hoc ergo etiam in negotio de quo agimus liceret. Et hæc esset benignissima verborum Poimenandri acceptio, ut consideranti facile apparebit. Unde subit mirari, quomodo vir doctus, & eam à me requirere & eam improbare possit.* Resp. 1. Si virum doctum id non tangit, falsa est minor ipsius, ut ex dictis facile cuivis apparebit. 2. Non est par ratio Christi, & viri docti, dato quod catachrestice loquutus fuerit. Nam Christus populari sermone usus est, seque expli-

plicuit ut vir doctus fatetur, nec petivit principium: At vir doctus acroamatico passim utitur docendi genere, & se ipsum non explicat, & principium petit, aut quatuor terminis constantem syllogismum dat. 3. Hæc benignissima verborum Poimenandri interpretatio esse nequit, nisi Poimenander alibi dixerit *licitum esse præceptum de attondenda coma transgredi ob necessitatem corporalem*. At probare nequit vir doctus, alibi Poimenandrum sic esse locutum. 4. Non requiro à viro docto, ut verba Poimenandri hoc modo interpretetur, quia illa Poimenandri non sunt: verum ut si ita ipse vir doctus verba sua intelligat, etiam benigne aliorum verba, ubi forte minus proprie, aut nimis durè loquuntur, benignè accipiat. Nam nemo negaverit *transgressionem legis* improprie & durè dictam fuisse, si materialiter voce transgressionis usus fuerit. Pergit, *Quod cum morsu quodam, me viros illos quos cito, mihi adversarios delegisse ait, sciat nullum hic delectum esse, cum vel solos vel præcipuos alicujus sententiæ auctores pro ea cito, imo hoc prorsus necessarium fuisse, nisi (quod negligentius hic agentibus protinus solet objici) aërem ferire, aut umbram meam oppugnare velle viderer. Deinde suæ admonitionis vicissim virum doctum commonefacio, ut videlicet vocē adversarii in benigniorem partē interpretetur, quæ in disputationibus nō hostem, sed adversæ sententiæ defensorem semper significat.* Sine adversario *ait Cic. lib. de fato* nulla luctatio est. *Occurrunt mihi hic verba gravissimi philosophi Iac. Zabarellæ in fine apologiæ de doctrinæ ordine adversus philosophum item insignem Franc. Picolomineum*: Vtcunque, *inquit*, sit &c. Resp. 1. Vnde novit vir doctus me cum morsu dixisse, *quos sibi adversarios delegit vir doctus?* Certe si morsus hic est, aut in voce *adversarios* est, aut in vocibus *sibi delegit*. At neutrum dici potest. Non primum: quia ipse vir doctus voce illa usus fuerat; & in ea morsum non esse contendit; nec alterum, nisi forte vir doctus sine consilio potius in hos adversus quos disputat, quam in alios inciderit. 2. Mirum mihi videtur, quod vir doctus inquit, hic nullum delectum fuisse. Nam quomodo hoc fieri potuit, cum ipse noverit etiam integras synodos (ut alios omittam) non paucas, & sæpius quidem damnasse capillorum luxuriem, quam impugnant ii quos vir doctus potissimum oppugnat. Quod si dixisset delectum illum suum ex vitioso aliquo affectu non esse profectum, (quod forte

vo-

voluit) libenter admitterem. 3. Illi quos vir doctus oppugnat, nec soli, nec præcipui sunt sententię quam defendunt auctores. Præcessere alii, & ut jam dictum est integræ synodi. 4. Libentissime vocem *adversarii* licet sit ex iis (ut ego quidem arbitror) quæ (ut loquuntur) *in malum sonant*, in meliorem partem interpretor, & porro interpretabor. Certè ego is non sum qui siniſtris suspicionibus indulgere velim aut amarulentia cum quoquam certare: nolo tamen mihi ademptam eam dissentiendi libertate, quam vir doctus sibi eripi nolit. 5. Approbo dictum Zabarellę, ut & vir doctus. Demus ergo operam, ut, si quod est sententiarum inter nos divortium, charitas non lædatur.

» Dixi 2. Negatur major. Nam certe quędam præcepta legis na-
» turæ talia sunt, ut posito casu necessitatis non obligent; non quod
» tum aut abrogentur, aut de iis dispenset Deus, sed quia mutatio fit
» in objecto. Notandum autem hic majorem argumenti viri docti negari posito quod vox transgressionis *materialiter* ab ipso sumta fuerit. Respondet vir doctus: *Ius naturæ in casu necessitatis corporeæ (hoc expressæ additum est in majore mea) non obligare prorsus nego.* Resp. 1. Non loquor, de alia necessitate quam corporea ut quæ sequuntur in thesi, quam vir doctus convellere nititur, manifestè docent. 2. Quęro an vir doctus sentiat, legem naturæ in casu necessitatis spiritualis non obligare? & quod si id sentiat, an credat eam posito tali casu non obligare secundum quodcunque præceptum: an vero secundum aliqua tantum? Non gravabitur spero vir doctus aperire mentem suam super hac quæstione, quia ex ejus recta decisione non parum commodi redundare poterit. Sententia mea est: quędam præcepta juris naturę non obligant ad sui exsecutionem posita necessitate corporali: sic quoque non obligare quædam præcepta legis naturæ in casu necessitatis spiritualis: minime tamen id in universum de omnibus prędceptis legis naturæ pronunciari posse. 3. Sententia ergo viri docti est, omnia præcepta legis naturæ quacunque necessitate corporali posita, obligare ad exsecutionem sui: si enim quod ait, tantum de quibusdam intelligeret, male se mihi opponeret, ut qui non dixi nulla præcepta legis naturæ obligare posito casu necessitatis corporeæ; sed tantum quædam non obligare. Quam male id autem ab ipso dicatur, ex-

em-

exempla quę sequuntur docent. Legis naturæ est ut vir conjugi debitum conjugale petenti reddat, ut antea probatum fuit. At non tenetur vir id facere, si ipse ea infirmitate laboret, ut id si faciat, se in discrimen vitę sit præcipitaturus. Teneor dare eleemosynam vi legis naturę, ut quoque antea probatum fuit. At quod si ipse amplius non habeam, quam mihi ad vitam necessarium est, non teneor. Legis naturæ est ut nuditatem meam velem, ut quoque ostensum fuit: At tamen necessitas corporalis talis esse potest, fatente viro docto pag. 58. ut eam velare non tenear. Legis naturæ est, ut vitam proximi tuear. At tamen si in naufragio tabulam prior nactus sum, nec sine ea evadere possum, neque ea binis ferendis sufficit, eam mihi soli reservare possum: etiamsi alter in summo submersionis periculo versetur. Legis naturæ est ne occidam proximum: Attamen si occidero latronem me aggredientem ferro, mortemque inferre nitentem, modo ne excedam moderamen inculpatæ tutelæ, non peccavero. Infinita talia sunt quę adferre impromptu foret, sed paucula hæc sufficiant. Addidi

» Intellexit hoc Franciscus Iunius qui cum docuisset distinctionem
» vestium virilium & mulierum esse juris naturalis, tandem ita ait:
» ex quo sequitur nulla occasione id quod quod Dei beneplacito
» (*scribendum fuerat*, Dei placito) quod naturæ, quod naturali or-
» dini & honestati adversatur tentari posse. Hujus tamen honestatis
» naturalis ea ratio est, ut si honestas privata cum privata utilitate
» comparetur: honestatem pluris quam utilitatem fieri oporteat. Sin
» autem honestas hęc cum publica utilitate concurrat, aut cum gra-
» vi ulla necessitate privata aut publica, tum publicæ utilitati hone-
» statem oportet cedere. Aliud enim est honestatem absolute con-
» siderare, aliud comparate. Nam si cum rebus inferioribus com-
» parabitur, honestas præponderat: si cum superioribus & gravio-
» ribus ęquum est cedere honestatem privatam atque consimiles.

Vir doctus ait. *Cogor exclamare o Iuni* πῶϊνοι ἔω & φύγεν ἴεχ & ὀδόντων; *Et o vir docte tanti fuit controversia capillaris, ut illius nomine disertis verbis utili pro honesto palma deferretur? quid illam utilitatem præsertim* CORPORALEM *de qua hic nominatim agitur, tantam esse posse ut* DEI BENEPLACITO, NATURÆ, NATURALI ORDINI & HONESTATI *præponderet?* Resp. fatetur hic vir doctus

ctus Iunium pro me ſententiam dicere. 2. Vt elabatur, non tantum Iunium graviſſimum Theologum hic repudiat,& refutandum ſumit, ſed etiam (quod mirandum) admiratur & exclamat non aliter ac ſi articulus aliquis fundamentalis religionis Chriſtianæ in dubium vocaretur. Admiratio & exclamatio hæc mihi compeſcenda eſt: tum ut exiſtimationem viri doctiſſimi & de Eccleſia Chriſti optime meriti Franciſci Iunii, qui inter clariſſima Academiæ Lugduno-batavæ ſidera hactenus fulſit,defendam: tum etiam ut amoliar ſiniſtras de me ſuſpiciones, quas hæc intempeſtiva admiratio & exclamatio, non tantum adverſum virum illum, ſed etiam me inſtituta, in animis imperitorum excitare poſſet, niſi compeſceretur. Principio itaque obſervandum eſt, Iunium per honeſtatem naturalem intelligere,non quidquid honeſti nomine venit, ſed τὸ πρέπον ſive decorum externum, quod ex naturæ ſive ſanæ rationis dictamine fluit, & quilibet pro ſexus ſui ratione exprimere debet,ut ſexui ſuo convenienter ſeſe gerat. Rem ita ſeſe habere docet tum locus quem Iunius explicat; tum etiam verba Iunii. Locus enim quem Iunius explicat, non agit de honeſto in genere ſed de ſpecie aliqua honeſti,nimirum de decoro in diſtinctione veſtium virilium & muliebrium obſervando. Verba vero Iunii inter alia (omnia enim adducere longum foret) hæc ſunt: *Huc pertinet ratio quam adducit Moſes cum pronunciat, quiſquis facit iſta, cum abominationi eſſe Iehovæ Deo noſtro tanquam ſi diceret,non poſſe nō abominari Deum homines ejuſmodi qui naturā naturalemq; honeſtatem,& ordinem ita conturbarint. Naturam,quia naturæ auctor eſt Deus, cui omnes oportet acquieſcere. Honeſtatem, quia diſcrimen ſexuum profiteri honeſtatis eſt: ut contra impuritatis eſt confundi. Ordinem quia Deus virum caput eſſe voluit mulieris, & mulierem gloriam viri, quæ ſubſit ipſi ſecundum ordinem à Deo poſitum.* Deinde notandum Iunium docere ab omnibus ſemper decorum illud naturale eſse ſervandum (ait enim, *nulla occaſione id quod Dei placito,quod naturæ,quod naturali ordini & honeſtati adverſatur unquam legitime tentari poſſe*) niſi interveniat caſus *neceſſitatis utilitatis publicæ*, aut *neceſſitatis privatæ gravis*. Alterutro enim caſuum illorum poſito, exiſtimat Iunius, præceptum hoc de *honeſtate illa naturali* ſervanda obligandi vim omittere. Quia videlicet ſenſit præceptum illud eſse ex eorum numero

mero quę hypothetica appallavimus. Adhæc, considerandum, Iunium non dicere *honestatem illam naturalem* cedere debere *utilitati publicæ* & *necessitati privatæ gravi* de qua loquitur, simpliciter ut *utilitati* & *necessitati*. Sensit vir doctissimus *honestatem* naturalem cedere debere *utilitati publicæ* & *necessitati privatæ gravi*, quatenus boni honesti & magis quidem necessarii quam sit hæc *honestas naturalis* de qua agit, rationem induunt. Exemplo res clarior fiet. Lex honestatis naturalis est secundum Iunium ne vir veste muliebri induatur. At quid si hostis muros conscendat, vestesque viriles ad manum non sint, nec periculum moram patiatur, an mihi nefas erit ut *honestati illi naturali*, *utilitatem publicam præferam*: atque veste muliebri tectus, aut etiam nudus si aliter fieri nequeat, rempublicam defendam, atque perniciem, à capitibus quibuscum in unam civitatem coalui avertam? Minime gentium; At quare quæso? Non quod *utilitas* quâ *utilitas honestate* illa potior esse possit: sed quia *utilitas* illa *publica* boni honesti rationem habet, & quidem magis necessarii quo tempore respublica, (quando aliter fieri nequit) neglecta piori illa honestate defendenda est. Notant Theologi quando concurrunt pietatis & Iustitiæ officia quę simul præstari nequeunt, fieri posse ut vel ipsa pietatis officia omittenda sint, ut officiis justitiæ locus sit. vide Amesi. Medullę p. 2. cap. 4. §. 16. Quod si autem hoc verum est, ut verissimum est, nihil absurdi est, si dicatur quando duo Iustitiæ officia simul prętstari nequeunt, id quod minus est, debere cedere graviori. Deinde honestatis naturalis est secundum Iunium, ne nudus in conspectu hominum compaream; nam certe si secundum ipsum distinctio vestium virilium & muliebrium est honestatis naturalis, multo magis nuditatis nostræ tectio: at quid si morbus periculosus occupet partes corporis quas minus honeste nominamus, an mihi illicitum erit illas retegere medico, ut remedium adhibeatur? Item quid si ad necem querar; an illicitum mihi erit, si periculum moram non patiatur ut nudus aufugiam? Minime gentium. At quare quęso. Quia videlicet concurrunt hic duo officia secundæ tabulæ quæ simul præstari nequeunt: nimirum cura honestatis naturalis, & vitæ meæ conservatio: vitæque meę conservatio, fatente id ipso viro docto libert. pag. 58. potior est cura honestatis illius (quam Iu-

lectores prudentes judicaturos, virum doctum, ut quam mitissime loquar, Iunium non intellexisse. Pergit. *Quid quod necessitatem etiam privatam, inter ea ponat Iunius, quibus honestatem cedere oporteat? licebit ergo* HONESTATEM *saltem negligere ob periculum mortis qua nulla necessitas gravior.* At *pulchre Tertull. de Coro. Mil. Nulla est necessitas delinquendi, quibus una est necessitas non delinquendi.* Resp. 1. Conceditur licitum esse, *honestatem naturalem*, id est decorum illud de quo loquitur Iunius negligere in gravi necessitate privata, adeoque ob mortem, juxta exempla antea adducta: nec quisquam hactenus inventus fuit, quantum scio, qui id negaret. 2. Ipse vir doctus, ut patet ex libert. pag. 59. id licitum statuit. 3. Insidiose *honestatem* sine addito hic posuit. Cum de honestate naturali, id est de decoro externo quod dictat natura, sed positis ponendis, servandum esse, agatur. 4. Nihil Iunio officit dictum Tertulliani. Nam 1. Negat Iunius omissionem honestatis naturalis, posito casu *utilitatis publicæ*, aut, *necessitatis privatæ gravis* esse delictum. 2. Eam nequidem vir doctus credit esse delictum libert. pag. 59. Pergit. *Porro quod distinctionem vestium virilium & muliebrium juris naturalis esse asserut Iunius, fatemur, quod* docuerit *id est probarit negamus, neque id verum esse credimus, cum nec vestes ipsæ sint Iuris naturæ, ut paulo ante observatum.* Resp. An Iunius id, de quo loquitur vir doctus, probarit, nõ inquiro: docuisse id est asseruisse & inculcasse eum hoc mihi sufficit, hinc enim habeo res viri docti salvas esse nõ posse, nisi Iunium, summum theologum, oppugnet. 2. Secundum virum doctum per legẽ naturæ licet nobis impudentibus esse Nam distinctionem vestium virilium & muliebrium negat esse Iuris naturę. Imo quidem ita impudentibus, ut etiam nudato corpore viri & mulieres nõ obstante quod nuditas per peccatum probrosa facta sit, inter se vivant. Ait enim; propterea se non credere distinctionẽ vestium de qua agitur, esse juris naturę, quia nec vestes sint Iuris naturæ, quod Paulo ante probaverit. Si enim sequitur ob rationem illam, non esse Iuris naturæ distinctionem vestium de qua agitur, etiam sequetur non esse juris naturę, licet nuditas nostra probrosa facta sit per peccatum, ut nuditatem tegamus. Nec ipsum juvat, quod alibi ait de lege modestiæ prudentiæ & ædificationis. Nam secundum ipsum lex illa modestię alia

est

est à lege naturæ. 3. Dictat sana ratio, ut nuditatem nostram tegamus: Adeoque præcipit ut, ubi possumus, ea nobis comparemus, sive natura sive arte facta, quibus nuditatem nostram tegamus. Sana autem ista ratio nihil aliud est quam lex naturę. 4. Si usus arte factorum omnis alienus est à lege naturæ, etiam juris naturæ non erit, ut me defendam gladio, si natura factum ad manum non sit quo me commodius defendam, adversus latronem. Sed id nulli hactenus in mentem venit, nisi forte viro docto. 5. Vir doctus hic sibi adversum habet Cl. Salmasium Epist. De coma p. 726. Vbi ait; *Quemadmodum autem sine ambitu & reprehensione vir non potuit* [illegible]*rpare muliebrem vestem, ita nec muliebrem comam,* NATURA AD HOC DISCRIMEN *instituendum manu ducente, quam etiam lex divina per Mosen data firmavit.* Nec non dialogistam, qui pag. 102. & 103. ait peccare in legem Dei & NATURAM qui sexus confundit quos natura ipsa discriminavit. Vt si QUIS MULIEBRIBUS INDUTUS IN PUBLICO VERSETUR & MULIER VIRILIBUS. Nec tantum hos sibi adversos habet, sed etiam Ambrosium, qui Epistolarum lib. 5. Epist. 15. hęc habet: *Pertulisti ad me quasi filius quæsiviśse aliquos de te, quid sibi velit quod tam severe lex immundos eos dixerit qui alieni* sexus *uterentur vestibus, vel viros scilicet vel mulieres. Sic enim scriptum est, non erit res viri super mulierem, neque induetur vir stolam muliebrem, quia immundus est domino omnis qui fecerit hoc. Et si vere discutias, incongruum est, quod ipsa abhorret* NATURA. *Cur enim homo non vis videri esse quod natus es? Cur alienam tibi assumis speciem? Cur menturis fœminam, vel tu fœmina virum? suis unum quemque sexum induit* Natura *indumentis. Denique diversus color, motus, incessus, diversa vox est in viro & fœmina. Sed etiam in reliqui generis animantibus alia species leonis alia leænæ, alia vis alius sonus: alia tauri, alia vitulæ.* Legi quoque velim quæ sequuntur. 6. Si non est distinctio vestium virilium & muliebrium juris erit naturæ, non tantum licitum, sed etiam decorum adeoque bonum moraliter, si eadem viri & mulieres utantur vestium forma, si id moris sit, quia mos secundum virum doctum est regula decori. Atque hæc pro Iunio sufficere existimo.

CA-

CAPUT XV.

OPtimus auctor optimæ rei inventus, pessimæ quæsitus sed non inventus. Viri docti fiducia sui. Totius physici majorem rationem habendam quam partis probatur. Concessio viri docti causæ quam defendit perniciosa. Subterfugium interceptum. Quomodo sectio partis sideratæ juxta medicos facienda. Tergiversatio viri docti. Officium neglectium. Falsa sententia Voetio, Poimenandro Borstio impacta. Vindicatio responsionum auctoris ad loca á viro docto disp. 1. thes. 11. adducta.

» POstquam attulissem testimonium illud Iunii de quo jam
» actum fuit, dixi, sed quia forte testimonium hoc doctissi-
» mi viri parum ponderis inveniet, aliter mihi agendum
» video. Respondet vir doctus *Recte arbitratus es. Licet enim (quod quidam ait) malæ rei bonum auctorem quæsiviſti, non tamen (quod Hieron. de Origine viro itidem doctissimo, ait, ità debemus bona ejus recipere, ut mala quoque recipere cogamur. Meliora argumenta exspectamus.* Resp. 1. Vtinam eventus opinioni meæ non respondisset? Sic enim Clarissimo Theologo Francisco Iunio honos suus constitisset; nec infra *Ethnicos sanniores* (v. libert. pag. 71.) quoad sententiam quam tuetur, detrusus fuisset: & vir doctus se non prostituisset. Nam quam vocat Iunius *honestatem naturalem*, ipse tum ob utilitatem tum ob necessitatem negligi posse asserit pag. libert. 58. Vbi ab absurdo, ut sibi persuadet, sic argumentatur *si nuditatem tegere sit juris naturæ male fecit ille adolescens qui nudus aufugit.* Marc. 14.52. *Male Petrus qui nudus piscabatur.* Ioan. 21.7. *Male qui nudi cubitum eunt; male qui medicis vulnera sua denudant.* Nec refert quod Iunius honestatem illam Iuris naturalis existimet, vir doctus vero neget nuditatis velationem ad jus naturæ pertinere. Nam errare virum doctum cap. 12. satis (ut opinor) ostensum est. 2. Optimum auctorem me optimæ rei hoc est, assertioni qua affirmabam, *quædam præcepta legis naturæ esse talia, ut posito casu necessitatis corporeæ non obligent*, quæsiviſse & invenisse: virum autem doctum, malæ causæ quam propugnat: id est *omnia præcepta legis naturæ esse talia ut nullo non casu necessitatis corporeæ obligent*, ne bonum quidem auctorem (licet forte diligenter quæsiverit, Nam ii quos adducit id

non

non dicunt) invenire potuisse; qui mea cum iis quę vir doctus attulit, contulerit, facile videbit. Quæ attuli præter testimonium » Francisci Iunii in thesibus meis hæc fuere: Quęram itaque utrum » licitum sit, manum pedemve sideratione incurabili laborantem » cum manifesto vitæ periculo, ex consilio prudentium medicorum » chirurgo artis suæ perito, secandum dare? Quod si neget vir do» ctus: dicam totius majorem esse habendam rationem quam partis, » ipsa natura attestante: & adjiciam posita negatione viri docti me» dicos & chirurgos qui huic rei operam navant graviter peccare » in præceptum de non occidendo, atque operę pretium fore, si vir » doctus thesibus aut alio scripti genere, doceat quam non facien» dum sit quod faciunt, ut in posterum ab hac artis suę parte absti» neant, & sectiones tales, si quas instituerint, sibi à Deo condonari » petant. Si affirmat: cogetur dicere aut legem de non mutilando » se ipso, non esse legem naturę: quod falsissimum foret: aut legem » eandem, quamvis naturę sit, in casu necessitatis non obligare. Respondet vir doctus: *Si negarem id licitum esse, probationem viri docti negationi illi oppositam minime timerem. Nam axioma illud: Totius majorem rationem esse habendam quam partis, eatenus tantum reciperem, nisi partis neglectus cum peccato conjunctus sit, & sic cogeretur vir doctus probare amputationem manus sideratæ non esse cum peccato conjunctam. Verum non nego id licitum esse, ideo nec est operæ pretium medicos & chirurgos hic peccati sui commonefacere. Quamobrem altera pars dilemmatis diluenda est.* Resp. 1. Si negaret vir doctus id licitum esse, nimirum, *manum pedemve sideratione incurabili laborantem, cum manifesto vitæ periculo, nisi abscindatur, ex consilio prudentium medicorum chirurgo artis suæ perito secandum dare*, ostenderet se esse non tam fortem quam temerarium disputatorem, ut qui negaret quod à nullo theologorum hactenus negatum fuit: medicos & chirurgos quoad hanc & similes artis suæ partes, damnaret, atque violati præcepti de non occidendo incusaret. 2. Si axioma illud *Totius majorem rationem habendam quam partis eatenus tantum reciperet, nisi partis neglectus cum peccato conjunctus sit*, probandum mihi quidem foret amputationem manus sideratæ non esse cum peccato conjunctam: sed facillima mihi foret probatio. Nam 1. dicerem nec naturam nec verbum Dei amputationem manus aut

pedis in casu siderationis incurabilis prohibere. Et sic probandum foret ipsi aut naturam aut verbum Dei eam prohibere casu posito. 2. Dicerem totius physici membra, (nam de toto politico hic non agitur) esse ob bonum totius: adeoque ubi membrum aliquod est toti corpori pernicioſum, jus naturæ dictare, posse secari: Et ipsi examen hujus argumenti committerem. 3. Relegarem ipsum porro ad Thomam 2. 2. quæst. 65. ejusque commentatores. 3. Si non negat id licitum esse, cur tergiversatur? 4. Si id licitum, jam habeo intentum nimirum aliqua præcepta legis naturæ in casu necessitatis non obligare: nam præceptum de non mutilando se, est legis naturæ. Sed audiamus quomodo alteram dilemmatis partem diluat. Ait ergo, *Ad quam dico, legem de non occidendo, non esse eo modo legem naturæ, quo ea vox accipitur in re proposita. Statuit enim Poimenander longitudinem capillorum virilium ita esse contra legem naturæ ut sunt flagitia de quibus agit Paulus* Rom. 1, 26. *quæ non possunt honestari: at cædes, etiam proprii filii, honestari potest, ipso viro docto supra id commonstrante, multo magis mutilatio alicujus membri (si modo manus sideratа vere membrum sit) ad mortem non inferendam, sed præcavendam.* Resp. 1. Concedit ergo vir doctus præceptum de non occidendo esse legis naturę, adeoque præceptum de non mutilando. Atque hinc habeo (ut paulo ante etiam significavi) esse aliquas leges naturæ quę posito casu necessitatis etiam corporeę non obligant, quod vir doctus negavit. 2. Lex naturę, in quęstione proposita significat judicium sanę rationis de bonitate aut malitia morali actuum humanorum: an autem vir doctus aliter vocem legis naturæ acceperit ego divinare nequeo, facile contrarium credo, ob definitionem legis naturæ quam dedit ipse. 3. Iudicium istud sanæ rationis absolutè damnat actiones quasdam, ut quæ laborant malitia intrinseca; quasdam vero non nisi positis ponendis. Posteriori modo Poimenander legem naturę sive judicium sanæ rationis, prolixos virorum capillos damnare dixit; agnoscit enim Naziræos licitè capillos promisisse; ipso viro docto id affirmante libert. pag. 66. licitum esse capillos quam alias, prolixiores habere, propter varietatem complexionum, & imbecillitatem, Viro docto ipsa hac thesi id attestante. 4. Falso vir doctus, ut alias sæpe, sic etiam

etiam hic ait (quod desperatæ causæ indicium est) Poimenandrum asserere *longitudinem capillorum virilium ita esse contra legem naturæ, ut sunt flagitia de quibus agit Paulus* Rom. 1. 26. *quæ non possunt honestari* ut cap. 4. ostensum est. Moneo virum doctum ut hoc Poimenandro aut non tribuat & errorem fateatur: aut quod ipsi tribuit, probet, sive verbis Poimenandri formalibus, sive æquipollentibus. Sat Scio eum sicuti id hactenus non fecit, ita nunquam facturum, 5. Minus recte dicuntur flagitia posse honestari. Actiones iis substratæ, saltem quædam, & quidem in sensu diviso honestari queunt, non flagitia. Non disputo nunc an manus sideratæ sit vere an æquivoce membrum: quandoquidem juxta medicos, sectio in carne viva sideratę vicina instituí debet.

Postquam ad minorem & majorem viri docti respondissem, perrexi ad examen rationis qua minorem probare nititur. Erat autem ea: *Quia Poimenander statuit licitum esse illud* (præceptum de attondenda coma) *transgredi propter varietatem complexionum, & imbecillitatem: Borstius propter luctum.* Responsum autem à me fuit: „ Loca auctorum quæ indicat, formaliter non dicunt, quod licitum „ sit legem de attondenda coma, propter necessitatem corporalem „ transgredi: Sed quędam eorum tantum ajunt, quod in casu necessitatis licitum sit, prolixiorem gestare comam quod alias propter „ legem de attondenda coma, (*omissum est*) illicitum esset: atque „ adeo ostendunt, auctores eorum esse in ea sententia, quod lex illa „ de attondenda coma virili, sit ex earum numero quas hypotheticas „ vocavimus, propterea quod non obligant nisi positis ponendis, „ quales multæ sunt ut supra aliquoties ostendimus. Respondet vir doctus: *Quæ sequuntur tergiversationes sunt in verbo transgrediendi, quo auctores, quos cito usos esse negat. At ego de re ipsa loquebar, non in vocabulis insidias struebam. Nam qui comam alit, is legem de ejus brevitate non observat. Quæ saltem transgressio (ut vir doctus loquitur) materialis est: ex qua in re proposita etiam formalem sequi, supra vidimus.* Resp. 1. Tergiversatur vir doctus non ego. Verum me dicere (nullus dubito) lectores judicabunt. 2. Si vir doctus de re ipsa loquebatur utique ostendere debuisset auctores quos citat, dicere, licitum esse legem de tondenda coma virili *transgredi*, & quidē formaliter (sic enim se voce *transgrediendi* usum esse professus est libert.

pag. 67.) propter neceſſitatem aliquam corpoream. 3. Falſum eſt in poſito caſu ex tranſgreſſione materiali ſequi formalem. Nam dixi & dico non ſtatuiſſe Poimenandrum, Voetium, Borſtium, quos conjungit theſi quam hic propugnat, nutritionem comarum eſſe ex eorum peccatorum numero de quibus agitur Rom. 1. 26. Vide quæ cap. 14. à me dicta ſunt. Examinata ratione qua minorem ſuã probabat vir doctus, contuli me ad loca tum Poimenandri tum Borſtii, quibus eam probare nititur. Citabat autem vir doctus libri Poim. pag. 337. 340. 349. 364. Concionis vero Borſtii pag. 33. 50. Oſtendi vero quædam ex iis deſumta eſſe ex judicio Clar. Voetii (cujus nomen vir doctus ſedulo & hic & alibi occultat, cum admodum liberalis ſit in aliis nominandis) de capillis quod libello Poim. inſertum eſt, 2. Quædam eorum non agere de tonſura comarum virilium; ſed vel de uſu capillorum aſſcititiorum qualis eſt qui adducitur ex lib. Poim. pag. 349. Vel de tonſura comæ muliebris, qualis eſt qui adducitur ex pag. 364. ejuſdem libri. 3. Locorum qui adducuntur pro tranſgreſſione præcepti de tondenda coma, in caſu luctus neutrum valere. Non primum, qui exſtat pag. 33. quoque dicitur prolixos capillos in populo Dei, ſignum luctus fuiſſe: idque exemplo Ioſehpi Gen. 41. 19. Quia (ut dicebam) videre non poſſem quod morem illum approbet Borſtius. Non alterum qui pag. 50. exſtare perhibetur; quia is de luctu nihil habet. 4. Me negaſſe ullo horum locorum phraſin qua utitur vir doctus, reperiri, nimirum licitum eſſe *tranſgredi* præceptum de attondenda coma, propter neceſſitatem corporalem, ut varietatem complexionum, propter imbecillitatem, propter luctum. Verba mea fuerunt. 3. Placet loca auctorum quæ citat auctor hic examinare. Ait ergo 1. Poimenandrum aſſere-re libelli ſui pag. 337. licitum eſſe præceptum de attondenda coma tranſgredi propter varietatem complexionum. Sed 1. illo loco phraſis hæc non occurrit: ſed dicitur propter differentias complexionum, ętatum, tempeſtatum anni, climatum, locorumque habitationis, morbi ſanitatiſque ab omnibus non poſſe ſervari eundem modum, menſuramque capillorum. Quod veriſſimum eſt. 2. Is qui ſic (*lege* hic) loquitur non eſt D. Poimenander, ſed D. Voetius. Neſcio autem cur viri illius nomen jam ſecundo, &

po-

» posteà iterum reticeat, & quod ipse dicit, Poimenandro imputet,
» cum alios tamen tam liberaliter nominet. 11. Ait Poimenandrum
» asserere licitum transgredi præceptum de tondenda coma, propter
» imbecillitatem, & indicat pag. lib. Poim. 340. 349. 364. Sed 1. Ne-
» que illis locis phrasis illa occurrit. 2. Loco primo dicitur viris non
» licitum uti prolixis capillis, nisi eo adigantur per urgentem ali-
» quam necessitatem aut debilitatem: quod quoque verissimum:
» quia non minus hoc licitum, quamvis statuatur lex de attonden-
» da coma esse legis naturæ, quam viro ubi alia nulla est, uti veste
» fœminea, ut nuditatem tegat: aut ut præsenti periculo, quod effu-
» gere permissum est, se subducat, si aliter fieri nequeat, aufugere
» nudo corpore. 3. Locus hic rursus ex judicio Voetii desumtus
» est. 4. Locus alter agit de usu capillorum adscititiorum. 5. Terti-
» us locus agit de tonsura comæ muliebris quam nonnunquam pre-
» scribi ait Poimenander, ad discussionem catharrorum (*lege* catar-
» rhorum) ita tamen ut ipse nec approbet nec improbet. 111. Ait
» Borstium statuere licitum esse viris præceptum de attondenda co-
» ma transgredi pag. conc. suæ 33. & 50. propter luctum. Sed 1. Ne-
» que ille phrasi dicta utitur. 2. Priore loco ait prolixos capillos si-
» gnum luctus fuisse in populo Dei, idque exemplo Iosephi Gen.
» (adde 41.) v. 14. Sed non possum videre quod morem illum appro-
» bet. Alter locus qui adducitur de luctu nihil habet. Respondet
» vir doctus, *Fateor unum ex locis citatis agere de usu capillorum adsci-
titiorum, & unum item de tonsura comæ muliebris: sed quia omnia hæc
non minus quam prolixitatem virilis comæ naturæ legi adversari ajunt,
omnium eadem est ratio. Quod Borstius non approbet expresse exem-
plum Iosephi, frigide excipitur. Cum enim adjicit exemplum hoc non ju-
vare comatos, pro omni ratione affert, quod hi non minus in gaudio quam
in luctu comati sint.* (1. *quod non idem faciant quod Iosephus*) *at si illici-
tum aut dubii juris putasset illius factum, dicendum saltem erat, non ex-
emplis sed legibus vivendum. Nec in populo Dei* (*quod addit*) *id obti-
nuisse dixisset, cum more Ægyptiorum aut necessitate carceris id forte à
Iosepho factum cum aliqua probabilitate potuisset excipere. Locum ul-
timum nihil de luctu habere agnosco, agit enim de imbecillitate & illi est
applicandus. Ad reliqua in superioribus abunde est responsum.* Resp.
1. Confessionem viri docti accipio. 2. Quandoquidem hactenus

pag. 67.) propter neceſſitatem aliquam corpoream. 3. Falſum eſt in poſito caſu ex tranſgreſſione materiali ſequi formalem. Nam dixi & dico non ſtatuiſſe Poimenandrum, Voetium, Borſtium, quos conjungit theſi quam hic propugnat, nutritionem comarum eſſe ex corum peccatorum numero de quibus agitur Rom. 1. 26. Vide quæ cap. 14. à me dicta ſunt. Examinata ratione qua minorem ſuã probabat vir doctus, contuli me ad loca tum Poimenandri tum Borſtii, quibus eam probare nititur. Citabat autem vir doctus libri Poim. pag. 337. 340. 349. 364. Concionis vero Borſtii pag. 33. 50. Oſtendi vero quædam ex iis deſumta eſſe ex judicio Clar. Voetii (cujus nomen vir doctus ſedulo & hic & alibi occultat, cum admodum liberalis ſit in aliis nominandis) de capillis quod libello Poim. inſertum eſt. 2. Quædam eorum non agere de tonſura comarum virilium; ſed vel de uſu capillorum aſſcititiorum qualis eſt qui adducitur ex lib. Poim. pag. 349. Vel de tonſura comæ muliebris, qualis eſt qui adducitur ex pag. 364. ejuſdem libri. 3. Locorum qui adducuntur pro tranſgreſſione præcepti de tondenda coma, in caſu luctus neutrum valere. Non primum, qui exſtat pag. 33. quoque dicitur prolixos capillos in populo Dei, ſignum luctus fuiſſe: idque exemplo Ioſephi Gen. 41. 19. Quia (ut dicebam) videre non poſſem quod morem illum approbet Borſtius. Non alterum qui pag. 50. exſtare perhibetur; quia is de luctu nihil habet. 4. Me negaſſe ullo horum locorum phraſin qua utitur vir doctus, reperiri, nimirum licitum eſſe *tranſgredi* præceptum de attondenda coma, propter neceſſitatem corporalem, ut varietatem complexionum, propter imbecillitatem, propter luctum. Verba mea fuerunt. 3. Placet loca auctorum quæ citat auctor hic examinare. Ait ergo 1. Poimenandrum aſſere re libelli ſui pag. 337. licitum eſſe præceptum de attondenda coma tranſgredi propter varietatem complexionum. Sed 1. illo loco phraſis hæc non occurrit: ſed dicitur propter differentias complexionum, ętatum, tempeſtatum anni, climatum, locorumque habitationis, morbi ſanitatiſque ab omnibus non poſſe ſervari eundem modum, menſuramque capillorum. Quod veriſſimum eſt. 2. Is qui ſic (*lege* hic) loquitur non eſt D. Poimenander, ſed D. Voetius. Neſcio autem cur viri illius nomen jam ſecundo, & po-

» posteà iterum reticeat, & quod ipse dicit, Poimenandro imputet,
» cum alios tamen tam liberaliter nominet. 11. Ait Poimenandrum
» asserere licitum transgredi præceptum de tondenda coma, propter
» imbecillitatem, & indicat pag. lib. Poim. 340. 349. 364. Sed 1. Ne-
» que illis locis phrasis illa occurrit. 2. Loco primo dicitur viris non
» licitum uti prolixis capillis, nisi eo adigantur per urgentem ali-
» quam necessitatem aut debilitatem: quod quoque verissimum:
» quia non minus hoc licitum, quamvis statuatur lex de attonden-
» da coma esse legis naturæ, quam viro ubi alia nulla est, uti veste
» fœminea, ut nuditatem tegat: aut ut præsenti periculo, quod effu-
» gere permissum est, se subducat, si aliter fieri nequeat, aufugere
» nudo corpore. 3. Locus hic rursus ex judicio Voetii desumtus
» est. 4. Locus alter agit de usu capillorum adscititiorum. 5. Terti-
» us locus agit de tonsura comæ muliebris quam nonnunquam pre-
» scribi ait Poimenander, ad discussionem catharrorum (*lege* catar-
» rhorum) ita tamen ut ipse nec approbet nec improbet. 111. Ait
» Borstium statuere licitum esse viris præceptum de attondenda co-
» ma transgredi pag. conc. suæ 33. & 50. propter luctum. Sed 1. Ne-
» que ille phrasi dicta utitur. 2. Priore loco ait prolixos capillos si-
» gnum luctus fuisse in populo Dei, idque exemplo Iosephi Gen.
» (*adde* 41.) v. 14. Sed non possum videre quod morem illum appro-
» bet. Alter locus qui adducitur de luctu nihil habet. Respondet
» vir doctus, *Fateor unum ex locis citatis agere de usu capillorum adsci-
titiorum, & unum item de tonsura comæ muliebris: sed quia omnia hæc
non minus quam prolixitatem virilis comæ naturæ legi adversari ajunt,
omnium eadem est ratio. Quod Borstius non approbet expresse exem-
plum Iosephi, frigide excipitur. Cum enim adjicit exemplum hoc non ju-
vare comatos, pro omni ratione affert, quod hi non minus in gaudio quam
in luctu comati sint. (1. quod non idem faciant quod Josephus) at si illici-
tum aut dubii juris putasset illius factum, dicendum saltem erat, non ex-
emplis sed legibus vivendum. Nec in populo Dei (quod addit) id obti-
nuisse dixisset, cum more Ægyptiorum aut necessitate carceris id forte à
Josepho factum cum aliqua probabilitate potuisset excipere. Locum ul-
timum nihil de luctu habere agnosco, agit enim de imbecillitate & illi est
applicandus. Ad reliqua in superioribus abunde est responsum.* Resp.
1. Confessionem viri docti accipio. 2. Quandoquidem hactenus

non probavit, eos quos carpit, dicere licitum esse præceptum de tondenda coma transgredi transgressione formali, de qua se loqui in argumento secundo, professus est pag. 67. ea quæ habet de capillis adscititiis & tonsura capillorum muliebrium ipsum non juvant. 3. Borstius, ut ostenderet, non posse probari ex contraria praxi populorum, tonsuram capilli virilis, non esse legis naturæ, ait: 1. ex praxi humana non posse de jure naturæ statui. 2. Gentes aliosque populos in hoc negotio, id est in nutritione & tonsura capillorum, admodum variasse, adeoque ex ipsorum exemplis nihil certi haberi. 3. Infirmis rationibus nixam fuisse eorum praxin qui capillos nutriverunt. Alios enim nutrivisse capillos ut hostibus terribiliores essent: alios nutritionem capillorum prohibuisse, ne hostibus milites laqueum afferrent. 4. Quosdam prolixos capillos lætitiæ deputasse: Etiam in populo Dei (ut ex Iosepho Gen. 41. 14. patere ait) prolixos capillos signum luctus fuisse. Hinc habeo 1. Non tantum non *expresse*, sed ne quidem *implicite* probare Borstium exemplum illud Iosephi. patet quod dico ex scopo Borstii. Exemplo enim Iosephi & cæteris qui præcessere, probare nititur nullis niti fundamentis praxin populorum qui capillos nutrivere. 2. Dixisse Borstium *non exemplis sed legibus vivendū* quod vir doctus ab eo fuisse dictum negat. Nam (ut ostensum est,) prima ipsius ratio qua objectionem quam sibi proponit, refutare nititur, quod dictum negat vir doctus, dicit. Verba Borstii sunt: **Dyt het gene de Menschen doen / of gedaen hebben / magmen niet beslupten dat haer de nature sulcks leert.** Leest eens Rom. 1. 23. &c. **Wat grouwelijcke stucken de heydenen ghedaen hebben / regelrecht teghen de Leere der nature.** 4. Forte quidem probat vir doctus plus concessum fuisse à Borstio quam necessum esset, cum ait prolixiores capillos in populo Dei signum luctus fuisse, atque id exemplum Iosephi docere ait: sed minime ipsum id concedendo ostendere voluisse, quod aut *expresse* aut *implicitè* exemplum populi Dei aut Iosephi approbaret. Nisi forte viro docto libitum sit (quod absurdissimum foret) statuere; quod quisquis aliquid in populo Dei in usu fuisse affirmat aut concedit, illud approbet. 5. Quam feliciter vir doctus ad reliqua responderit: id est quam bene ostenderit, sibi, Voetio non nominato, quæ ipsi tribuenda erant, Poimenandro tribuere licitum fuisse:

isle & quam dextere probarit Voetium, Poimenandrum, Borstium, dicere in casu necessitatis corporeæ licitum esse præceptum de attondenda coma transgredi & quidem transgressione formali patuit ex cap. 10. & 14.

Addit *Quæ thesi* VII. *à viro docto afferuntur de intrinseca malitia, de iis actum ad ipsius thesin.* 11. *Neque hic repetentur. Et hæc ad disputationem meam primam.* Resp. Thesin meam septimam quam vir doctus hic præterit, in gratiam lectoris cui diatribe mea non est ad manum adscribam, nimirum ut constare possit, quam feliciter vir doctus ad thesin meam 2. eam refutaverit. Verba theseos ergo » hæc sunt. Restat ut verbo attingamus id quod vir doctus ex dia» logista de intrinseca prolixarum virilium comarum malitia attu» lit. Ait ergo aliquid intrinsecam habere malitiam, idem esse quod » inseparabilem habere malitiam, quam nec Deus ab eo separare » possit: ejusmodi autem malum non posse esse summittere cri» nem: quoniam id in casu quodam Deus jussit. Sed 1. hisce nihil » opus erat: quoniam non puto, dari posse quempiam, qui ita locu» tus sit. Ait quidem auctor hic ita affirmare dialogistam: Sed ejus » testimonium tanti non est, ut nisi locum ubi hoc asseritur, afferat, » ei credendum sit. Nam & alia adversariis suis tribuit, quæ tamen » vera non sunt. 2. Si quispiam ita locutus est aut non intellexit » quidnam Scholastici velint cum ajunt actionem aliquam habere » intrinsecam malitiam: aut catachrestice locutus est. Thesin autem hanc præcedentibus addidi occasione disp. 1. Viri docti de coma thes. 12. Vbi probat comam non habere intrinsecam malitiam: nimirum ac si quis eorum quos impugnat in ea esset sententia: cum tamen id nec probarit, nec unquam probaturus sit. Atque hæc ad exceptiones viri docti adversus ea quibus disputationem ipsius primam de coma oppugnavi.

CAPUT XVI.

BEnignior interpretatio neglecta quid mali dederit. Ratio omissæ mentionis juris gentium. Contradictio, omissio. Jus Poimenandri. De Jurisconsultorum definitione juris gentium. Verba viri docti δυσχύντα. *præteritio. æquitas quid poscat. Seges absurdorum succisa. falsa hypothesis. Bannes, alia falsa hypothesis. Restrictio juris naturæ apud Theologos formaliter spectati. An*

in

in bestijs jus locum habeat. Bannes, Thomas, Sylvius. An Theologi includant jus naturale juri gentium. Bannes. Confessio viri docti. Suaresii & Vasquesij pugna. An Poimenander novam significationem Juris gentium comminiscatur? De propria ratione juris gentium secundum ICtos. Vir doctus sui oblitus. De phrasi juris gentium. Bannes. Commentum viri docti. Oequitas neglecta. Criminatio retusa. Imbelle argumentum.

PRogreditur vir doctus ad examen eorum quæ ego de jure gentium diserui quæst. Text. 1. p. 3. Thesi 8. Ita autem certamen instituit, ut quidquid industria potuit, in medium adferat. Quocirca opera danda ut mea vindicem, virumque doctum operam lusisse appareat: verba mea erant, Quæst. Text. 1. p. 3. Thes. 8. Pergit vir doctus & dicit disput. secunda de coma. Thes. 1. primo Poimenandrum asserere naturam apud Apostolum significare Ius gentium, atque hinc affirmare capillos demetere esse Iuris gentium: eos autem demittere juris gentium non esse. Ipse autem negat hanc significationem loco de quo disputatio est, locum habere posse. Deinde ut asequatur quod vult descriptionem juris gentium ponit thes. 2. 3. & denique rationes suas in medium adfert. Adhæc ait: *Pergit thesi* VIII *Vir doctus ad disputationem meam secundam, ubi de secunda & tertia acceptione vocis naturæ ago. Secunda mihi est, quæ dicit eam significare jus gentium. Ita Poimenander locis quæ cito thes.* 1. *Neque id negat vir doctus.* Resp. Quæstio non est utrum Poimenander vocem NATURÆ quæ est apud Apostolum, *Ius gentium* significare dixerit; (id enim mihi negandum non duxi: quia licet judicem omnia quæ ad ducuntur loca à viro docto id non dicere, quædam tamen id affirmare negare nolui) sed quo sensu jus gentium Poim. acceperit; adeoque an jus illud gentium diversum esse à lege naturæ senserit. Addidi: Possem ego hæc missa facere, quoniam in thesibus meis non disputavi, utrum natura loco de quo disputamus, Ius gentium significare possit nec ne, placet tamen paucis quam solide vir doctus, D. Poimenandrum refutet, examinare? Nam inde aliquid utilitatis ad lectorem redundaturum arbitror. Ait ille: *Et maluissem hæc omitti à viro docto, quid enim attinebat alienam litem suam facere? & defendere quæ non credas? Nam si credidisset vir doctus hanc significationem esse veram, cur illam, dum negotium hoc diligenter tractat, ne*

tets-

tetigerit quidem, nemo ut opinor, capere potest. eum vero hanc litem hoc loco suam facere, inde apparet, quod hac ipsa thesi rationem satis efficacem dari posse ait, quare vox naturæ hoc significatu hic accipienda sit. Veniamus ad rem ipsam. Resp. 1. Et ego maluissem virum doctum benignius interpretatum fuisse Poimenandrum. Hoc enim si fecisset quæ illi est secunda acceptio vocis *naturæ*, periisset. Nec tantum hoc voluisem, sed etiam ut æquiorem se mihi præbuisset, sæpius enim jam mihi objecit quod defendam quod non credo, Nam 1. Sic sibi ipsi peperciset, ut qui deprehenditur defendisse quod non credit, & præsidium petit ex dicto Christi libert. pag. 67. 68. 2. Temere de me non judicasset. Nam probabile puto Poimenandrum Ius gentium accepisse ea significatione quam in thesibus meis jurisconsultorum (qui juris gentium etiam quædam eorum esse dicunt, quæ sunt juris naturæ secundum Theologos) esse dixi. 2. Ratio non fuit quare hujus significationis mentionem facerem, nimirum, 1. Quia jus gentium, si accipiatur, pro ut à Poimenandro acceptum mihi videtur, & prout ab ipso, materia de qua agit applicatur, pertinet ad jus naturæ de quo Theologi agunt. 2. Quia licet sano sensu dici possit capillorum virilium tonsuram esse juris gentium, ego tamen, præsertim in scripto acroamatico (alia ratio est scriptorum exotericorum) eo loquendi modo, mihi utendum non judicavi; videlicet ne vir doctus aliive qui nodum in scirpo quærunt, ut patuit ex loco Rom. 1. 26. toties Poimenandro objecto, occasionem adversus me declamandi arriperent. 3. Vir doctus dum ait me *alienam litem meam* facere: sua vineta cædit. Nam libert. p. 3. me & Clariss. Collegas meos approbatione nostra causam Poimenandri nostram fecisse dixit. Verba ipsius sunt. *Quanquam quod virum doctum & Clariss. ejus collegas attinet, satis liquido, è causa Poimenandri suam fecerunt, cum ejus tractatum citra ullam limitationem approbarunt. Aliena* lis Poimenandri & *nostra* tamen est secundum virum doctum. Conciliet hæc qui potest. Vide hac de re latius cap. 1. 4. Concedo viro docto me litem Poimenandri hic meam facere, nimirum capillorum virilium tonsuram, & mulierbrium nutritionem, esse Iuris gentium, jure gentium sumpto, non quomodo ipse accipit, sed quomodo Poimenandrum id accepisse mihi probabile videri dixi. Nam apud Iurisconsultos (quos secu-

tus videtur Poimenander) ut vir doctus ait disp. 2. Thes. 2. etiam juris gentium sunt, *religio erga Deum, obsequium erga patriam & parentes*, quæ secundum theologos sunt juris naturæ. Sequitur in Thesi mea quam oppugnatum sit vir doctus: Quantum ergo ad primum: Statuit D. Poimenander tonsuram muliebrem pugnare cum lege naturę & jure gentium. 2. Non posse argumentum peti ex prolixo capillitio virili apud gentes quasdam usitato, quo probetur prolixam virorum comam non esse contra legem naturę & jus gentium. Prius asserit Poimenander pag. 52. 53. 68. Posterius pag. 123. Ad secundum tenendum est aliter sumi jus gentium apud Iurisconsultos, aliter apud Theologos. Iurisconsulti Ius gentium interpretantur, quod gentibus commune est, neque brutis competit. Comprehenduntque nomine juris gentium, jus naturale quod est proprium rationalis naturę. 2. Ius quod gentes stabilierunt, & in quo gentes conveniunt. Vide inter alios Azor. Instit. Moral. p. 3, lib. 1. c. 4. Bannes de Iure & Iustit. ad 2. 2. q. 57. art. 3. Concl. 2. circa finem. Vasquez in 1. 2. Tom. 2. quęst. 95. art. 4. disp. 157. c. 1. Theologi vero commnniter à jure gentium excludunt jus naturale, non solum quod nobis quodammodo commune est cum brutis, sed etiam quod est proprium rationalis naturæ. Adeo ut nomine juris gentium tantum intelligant jus quod gentes stabilierunt, & in quo gentes plęræque conveniunt. Iurisconsultos prima significatione accipere jus gentium, præter auctoritates paulo ante adductas, etiam docent exempla ab ipso viro docto allata in descriptione juris gentium ipsis usitata disp. 2. de coma thes. 2. Ibi enim ait secundum jurisconsultos esse juris gentium, religionem erga Deum: obsequium erga patriam & parentes; Theologos vero jus gentium accipere secunda significatione, ait (prętet alios) Bannes. de jure & justit. ad 2. 2. quęst. 57. art. 3. concl. 2. circa finem. Nec non Becanus Theol. Scholast. p. 2. Tract. 3. cap. 3. quęst. 1. n. 1. & 2. & ab hoc auctore citatus & descriptus. Vide quoq; eundem de jure & justit. cap. 1. quęst. 3. Respondet vir doctus: *Secundum ICtos dixi, Ius gentium esse quod solis hominibus inter se commune est. Hanc definitionem, quia ea omissa transeo ad acceptionem Theologorum, tacite improbavi. Nam coincidit cum definitione legis naturæ prout à Theologis traditur (Vide disp. 1. thes. 9.) quamque posita à ICtis*

à ICtis definitioni præferendam vir doctus negare non fuit ausus. eam confusionem vitandam duxi, præsertim cum originem habeat ex falsa, aut impropria definitione juris naturæ. Ideo secundum Theologos dixi hac explicatione (qua natura dicitur significare jus gentium) priorem non excludi, sed aliquid ei super addi, notare enim theologos naturam rationalem dupliciter spectari. 1. secundum se & absolute. 2. quatenus degit in communi societate. jus naturale ei convenire priori modo consideratæ, jus gentium secundo. Hisce non refutatis quæ ideo adhuc stant inconcussa) aliter tamen sibi agendum putavit vir doctus : Deinde recitat partem verborum meorum supra adductorum, omissis auctoribus quorum auctoritate quod dico, probo. Resp. 1. Etiamsi definitio juris gentium, prout à Theologis traditur, definitioni jurisconsultorum præferenda sit, an propterea Poimenandro illicitum fuit uti voce *Iuris gentium* prout à jurisconsultis accipitur: & viro docto in eum incurrendum, non examinata mente illius? Existimo sane æquos rerum æstimatores neutrum viro docto concessuros. 2. Non ita crude dicendum fuit viro docto coincidere definitionem *juris gentium* qualis à jurisconsultis traditur, cum definitione *juris naturæ* qualem Theologi adferunt. Nam 1. licet Iurisconsulti ad jus gentium quædam eorum referant quæ Theologi juris naturæ esse ajunt: minime tamen illi omnia juris gentium esse volunt, quæ hi ad jus naturæ pertinere dicunt. Excludunt enim ea omnia. Iurisconsulti à Iure gentium quorum vestigium quoddam in bestiis cernitur, quæ tamen Theologi juri naturæ subjiciunt: Adeoque non verba Iurisconsultorum, sed mens spectanda est. 2. Includunt juri gentium quæ theologi juris sive legis naturæ esse nolunt, Adeoque hæc definitio jurisconsultorum *juris gentium* diverso respectu angustior & latior est definitione *legis naturæ* apud theologos. 3. Non erat mihi descendēdum ad ea quæ vir doctus de jure gentium secundum Theologos attulit, quæque adhuc inconcussa, quia non refutata, stare ait: sufficiebat enim mihi, exponere quid Iurisconsultis quid Theologis sit jus gentium, ut ostenderem jure gentium ex usu Iurisconsultorum accepto Poimenandrum dicere potuisse nutritionem capillorum muliebrium, & virilium tonsuram esse juris gentium. 4. Fateor me non intellexisse verba viri docti quæ habet disp. 2. sub finem Thes. 1. & initium 2. *Sed se-*

cundum Theologos dico : hac explicatione priorem non excludi sed ei aliquid superaddi : nesciebam enim de quanam *priori explicatione* loqueretur, cum proxime præcessisset definitio juris gentium secundum Iurisconsultos. Nunc quidem disco *priorem* illam *explicationem* esse *qua natura dicitur significare* jus gentium. Sed tamen nescio quosnam hic vir doctos respiciat, cum ait *qua natura dicitur significare Ius gentium.* Deinde quænam sit *posterior* de qua loquitur vir doctus *explicatio.* Explicet se primum & postea de refutatione videbimus. 5. Quandoquidem vir doctus Auctores quos cito pro iis quæ dico, intactos plane sinit, ut quos præterit, habeo eos à partibus meis stare. Pergit : *Accedens autem ad rationes meas adversus Poimenandrum, defendit eum ex significatione apud ICtos usitata, ea autem quæ Theologorum est, ab eo removet, quasi ad eam nuspiam respexerit.* Resp. 1. Honestius mihi duco viros doctos & de Ecclesia Dei bene meritos & adhuc bene merentes, ubi id commode fieri potest, defendere : quam verba illorum ubi commoda interpretatione mitigari possunt, ad sanguinem usque premere. Illud enim charitati accommodatum est, hoc minime. 2. Vtrum Poimenander in materia de qua agimus per jus gentium intellexerit jus gentium quomodo à Theologis accipitur, postea videbitur. Pergit : *Hic absurdorum quædam seges est. Nam* 1. *Quomodo ICti possunt statuere Ius naturale esse, quod est proprium rationali naturæ cum illud definierint, quod homini sit commune cum bestiis ? proprium & commune quis conferruminabit ?* 2. *Quomodo Theologi Ius naturale dicent nobis quodammodo commune esse cum bestiis, cum id restrinxerint ad naturam rationalem.* 3. *Quomodo id à jure gentium non modo distinguunt, verum & excludunt qui tamen illud ab hoc derivari volunt, licet non per viam conclusionis, sed determinationis* Ex Hominum Consensu ? *quæ etiam causa est cur id seorsim à naturæ jure consideratum statuunt esse simpliciter positivum, humanum, mutabile* v. *Suarez de legg. l.* 2. *c.* 18. 19. 20. *Immo Vasquez (quem etiam pro se citat vir doctus) non putat id præcise sumtum continere sub se* præcepta *aut prohibitiones, sed solum concessiones, facultates, permissiones, aliquid agendi, non tantum impune, sed etiam juste & honeste, ita tamen ut contrarium non sit turpe vel inhonestum, disput.* 157. *c.* 3. *quæ fatendum est cum opinionibus Poimenandri* ἀλλοτρίως *pugnare, sive Suarezii sententiam sive Vas-*

Vasquez amplectare. Resp. Seges hæc absurdorum levi igne succendi, vel etiam levi flatu prosterni potest, ut viro docto non super sit unde vel manipulum qualemcunque conficiat. Nam quantum ad primum: Quæro ex viro docto ubi nam ego dixerim quod Iurisconsulti statuant *jus naturale esse, quod est proprium rationali naturæ?* Dixi ego ipsos sub jure gentium complecti, jus naturale quod est proprium rationalis naturę, & jus quod gentes stabilierunt. Quis autem hinc extundat me Iurisconsultis tribuere quod Ius naturale statuant esse, quod est proprium rationalis naturæ? Ego sum qui partem illam juris naturę, cujus nullum vestigium in bestiis apparet, quamque Iurisconsulti sub jure gentium comprehendunt, Ius naturale voco quod proprium est rationalis naturę: nimirum, ut aliqua ratione eam distinguerem, ab alia cujus aliquod vestigium in brutis apparet, quamque Iuris consulti jus naturale vocant. Et ne putes vir docte me sine gravi auctore sic loqui, accipe quę Bannes magni nominis inter pontificios Theologus loco supra indicato habet: sunt autem ea hæc: *Ex quo colligitur quod nomine juris gentium includunt* Iurisconsulti *Ius naturale quod proprium est rationalis naturæ, de quo loquitur divus Thomas in tertia conclusione, & simul etiam includunt jus gentium in quo & gentes conveniunt.* Ad secundum. 1. Quæro ubinam dixerim Theologos jus naturale dixisse nobis quodammodo commune esse cum bestiis? dixi Theologos communiter à jure gentium excludere Ius naturale, non solum quod nobis quodammodo commune est cum bestiis; sed etiam quod est proprium rationalis naturæ. At quis hinc conficiat me theologis tribuere, quod me iis tribuere ait? Ego rursus sum qui ut distinctionem aliquam invenirem inter partem illam Iuris naturæ cujus vestigium aliquod in bestiis elucet, & cujus nullum vestigium invenitur in iis, illam vocavi, Ius naturale quod nobis *quodammodo* cum brutis commune est; Et quidem post Bannes ut ex loco Paulo ante adducto patet. 2. Restringunt certe Theologi Ius naturæ ad naturam rationalem: videlicet prout formaliter spectatur, (quoniam bestiæ cum ratione destituantur, Iuris proprie loquendo non sunt capaces) sed iidem illi theologi concedunt, quoad materiale ejus, id est actus quosdam sive opera quædam quæ sub jus cadunt, jus quoddam naturæ esse,

esse, quod nobis cum bestiis commune est. Vide præter Bannes Thomam 1. 2. quęst. 95. Artic. 4. ad 1. Et Sylvium ad quæst. & art. dictum. Ad tertium: 1. Theologos excludere à jure gentium, prout ipsi id sumunt, jus naturale tum quod ipsis tum quod Iurisconsultis tale est; patet ex Bannesio quæst. & conclusione supra indicatis. Ibi enim ait: *At vero Theologi nomine juris gentium in communi usu loquendi excludimus jus naturale non solum quod est commune nobis cum brutis, sed etiam quod est proprium rationalis naturæ.* Nec non ex Suarezio de legibus lib. 2. cap. 17. *Concludendum igitur* inquit, *censeo jus gentium non præcipere aliquid tanquam ex se necessarium ad honestatem, nec prohibere aliquid quod per se & intrinsece malum est, vel absolute vel supposito tali statu & conditione rerū, sed hæc omnia pertinere ad jus naturale, ac subinde in hoc sensu non comprehendi sub jure naturali.* Huc etiam facit quod ipse vir doctus ait statuere Theologos Ius gentium qua tale esse *simpliciter positivum, humanum, mutabile.* Atquomodo hoc facerent, si juri gentium jus naturale includerent? Nam non dicunt ut opinor Theologi jus naturale *esse positivum, humanum, mutabile*, quod tamen ipsis dicendum foret, si hoc illi includerent. 2. Statuunt sane Theologi jus gentium quod ipsis tale est, derivari à jure naturali per modum determinationis, & tamen non tantum distinguunt sed etiam excludunt jus naturale, tum de quo jurisconsulti tum de quo ipsi agunt à jure gentium. Quia jus gentium de quo Theologi agunt non est totum nec differentia, nec proprietas naturalis respectu juris naturalis. Si enim est, probet id nobis vir doctus. Si non est an non merito Theologi excludunt jus naturale, tum quod secundum juriscōsultos, tum quod secundum ipsos tale est, à jure gentium? 3. Quæ ex Suarezio & Vasquezio adducit vir doctus, Poimenandrum non lædunt, imo ne tangunt quidem. Poimenander enim (quantum mihi quidem constat) non accepit jus gentium significatione Theologis usitata, sed nisi admodum fallor, sensu qui inter Iurisconsultos obtinet. 4. Certe Vasquez à me productus fuit: sed non in eum finem, ut ostenderem quæ esset materia juris gentium, sed ut ostenderem Theologos excludere à jure gentium quod eos excludere dixi. 5. Quæro ex viro docto an sententiam Vasquezii de materia juris gentium

um amplectatur nec ne? quod si amplectitur eam, habet antagonistam quem refutet nimirum Suaresium qui opinonem Vasquez in lib. 2. de leg. cap. 18. oppugnat. Si rejicit cur eam adduxit? progreditur ad absurdum quartum. Verba ipsius sunt: 4. *Quomodo sententia Theologorum hic potest deseri, nisi deserta ICtorum. Nam ut Theologi nomine juris gentium intelligunt jus quod gentes stabilierunt & in quo gentes plæraque conveniunt, ita & ICti. teste ipso viro docto. At theologi inquit hoc tantum intelligunt, ICti etiam aliquid amplius. Esto rejicit ergo Poimenander id in quo utrique conveniunt, & in quo proprie sita est ratio juris gentium ut vel ipsa phrasis evincit, ac retinet tantum id quod ICti super addunt, ac sic nec Theologos nec ICtos sequitur, sed novam significationem juris gentium comminiscitur, quam ne si rumpatur quidem, à definitione juris naturæ potest distinguere.* Resp. 1. Si negaret Poimenander esse juris gentium quę Theologi juris gentium esse statuunt ferendum esset quod vir doctus hic ait; At ubi quæso hoc aut à Poimenandro negatum fuit, aut ab ipso negatum dixi? 2. Si Poimenander jurisconsultos deserit dum jus gentium plura complecti vult quam apud Theologos significat, etiam jurisconsulti se ipsos deserunt. Nam multa juris gentium vocant, quæ apud Theologos talia non sunt, & tamen cum Theologis juris gentium esse statuunt, quæ acceptione juris gentium Theologis usitata, talia sunt. 3. Falsum est secundum Iurisconsultos rationem juris gentium propric sitam esse in eo quod gentes illud stabilierunt. Iurisconsulti proprie statuunt rationem juris gentium in eo sitam esse quod hoc non sit hominibus cum btutis commune, sed hominibus inter se. videtur vir doctus oblitus esse definitionem juris gentium jurisconsultorum à se allatam disp. 2. Thes. 2. Vbi ait: *Ius gentium secundum ICtos est quod solis hominibus inter se commune est. Vt religio erga Deum. Obsequium erga patriam & parentes &c.* 4. Phrasin docere quod vult vir doctus non credunt jurisconsulti, ut qui religionem erga Deum, obsequium erga parentes, tam juris gentium esse credunt, quam ea quæ theologi juris gentium statuunt. Bannes ait quæst. art. conclus. supra indicata, *Et profecto quantum videtur jus gentium diffiniunt & denominant non ex eo quod à gentibus* SIT INSTITUTUM *sed ex eo quod* INVENITUR IN GENTIBUS ET NON IN BRUTIS. Vide vir

docte

docte quam tibi hic credendum uõ sit,& quantum á vero aberres? 5. Comminisci Poimenandrum novam significationem juris gentium, non autem eam quæ est jurisconsultorum sequi, vir doctus hactenus non probavit. Vnde 6. corruit quoque quod ait, Poimenandrum significationem juris gentium, quam ut inquit, commiscitur, ne si rumpatur quidem à definitione juris naturalis posse distinguere; quia commentum quod Poimenandro tribuitur, aliud commentum, nimirum quod est viri docti, pro fundamento habet, ut ex præcedentibus patuit. Periit ergo seges illa absurdorum quam sibi promitttebat vir doctus, nec Poimenandro amplius periculum est (ita enim viro docto loqui placet) *ut rumpatur.* Addit: *hæc ita disputavi quasi, quod vult vir doctus, solutio hæc esset Poimenandri, aut ex ejus scriptis posset erui, verum haud ita est, nam vir doctus cum aliud non posset, eam adinvenit, & Poimenandro nihil tale cogitanti obtrusit.* Resp. 1. Quam feliciter vir doctus disputarit judicabit lector. 2. Mihi non fuit probandum hanc solutionem esse Poimenandri vel ex ipsius scriptis eam erui. Sed viro docto esse aliquid in scripto Poimenandri quod solutionem illam non ferat. Quod si non fecerit, uti id hactenus non fecit, præter æquitatem egisse deprehenditur, ut quæ dictat, ne proximo errores quando non comparent tribuamus. 3. Fervide mihi quidem objicitur quod hanc distinctionem invenerim, & Poimenandro *nihil tale cogitanti obtruserim*, sed languide probatur; & simul de cogitationibus cordis Poimenandri id est de OCCULTIS à viro docto judicatur, quod ipso teste libert. pag. 20. & 21. non facit Ecclesia.

Hinc ad alia pergit vir doctus, sed per saltum. Nam magnam theseos meæ partem omittit,& quasi anhelans ad ejus finem properat. Quia autem ipse omittit, mihi ea lectori exhibenda est. Ajo ergo, „ eadem thesi 8. Ad tertium rationes viri docti nullæ sunt. Prima „ est, probari non potest in verbis Pauli (hoc enim velle auctorem „ hunc puto) naturam jus gentium significare, ergo natura illic non „ significat jus gentium. Resp. Negatur antecedens modo jus gentium sumatur significatione apud Iurisconsultos usitata, id est pro „ jure rationali naturæ proprio. Nam notum est vocem naturæ apud „ Apostolum significare tale jus ut auctor hic concedit disp. 1. thes. „ 9. præterea nulla adferri potest ratio quare vox naturę loco de quo est

» est disputatio, ita accipienda non sit. Immo vero dari potest sa-
» tis efficax, quare vox naturæ hoc significatu hic accipienda sit.
» Quoniam naturalis ratio, inspecto discrimine quod natura statuit
» in capite virorum & fœminarum quoad capillos, & fine discrimi-
» nis illius; item considerata naturali inclinatione mulierum ad nu-
» triendas comas, iisque caput obvolvendum, colligit virorum esse
» capillos tondere, mulierum vero eas nutrire. Secunda, probari
» nequit vocem naturæ significare apud Apostolum tale jus quod
» ex consensu gentium eis omnibus commune est. Ergo non signi-
» ficat vox naturæ apud Apostolum jus gentium, probatur antece-
» dens, quia ipse Poimenander passim profitetur gentes in re capilla-
» ri ita variasse, ut ex earum moribus ac institutis nihil certi haberi
» possit. Resp. Negatur consequentia, si jus gentium sumas pro ju-
» re rationalis naturam (*lege* naturę proprio) Hæc sibi vir doctus
omittenda censuit, qui tamen si quid præteream eorum quæ in
thesibus suis habet, etiamsi me non lædat aut tangat mox *victoriam*
clamat. Sed missis hisce audiamus virum doctum. Ait ergo: *Ideo*
» *ita concludit*: Quod si vero jus gentium (hæc mea verba sunt quæ
» recitat vir doctus) sumas pro jure quod gentes stabilierunt, & in
» quo gentes conveniunt, non ferit enthymema Poimenandrum:
» neque enim uspiam (ut opinior) Poimenander dixit, se per jus
» gentium intelligere jus tale quod ex consensu gentium eis omni-
» bus aut fere omnibus commune est. Committitur itaque ignora-
» tio elenchi. *Resp. prudenter* (Verba sunt viri docti) *interjectum est*
illud, ut opinor. Verum opinionem illam si libet deponat vir doctus.
Resp. 1. Certe prudentius illud, opinor, meis interjectum, quam
omissum à viro docto cum nuper diceret, solutionem quam de-
deram, Poimenandro nihil tale cogitanti à me obtrusam. 2. Non
video cur mea mihi opinio de significatione juris gentium apud
Poimenandrum deponenda sit. Quia vir doctus nihil affert quare
eam deponere debeam. Pergit. *Nam Poimenander pag.* 122. *jus*
gentium explicat per ea in quæ gentium tacitus consensus omnium con-
spiravit. Verbis Plinii lib. 7. *c.* 57. *ubi de Ionum literis agit. Idque ap-*
plicans causæ capillari citat c. 59. *sequens gentium consensus in tonsori-*
bus fuit. Ac mox cap. 60. *Tertius consensus fuit in horarum observa-*
tione. Et concludens p. seq. ex hac inquit narratione hæc tria sunt mani-

festa. 1. *Vsum literarum, Tonsorum, & horologiorum procedere ex communi consensu & jure gentium. Hæc vir doctus ignorare non potuit. Nam Thesi* IV. *disp.* II. *ea indicaveram (ideoque quod mihi attribuit, elenchum eam ignorasse non dicam, licet fortasse cum scriberet, minus attenderit. Reliqua quæ occurrunt hac thesi, hisce animadversis sponte collabuntur.* Resp. Quandoquidem me remittit vir doctus ad scripti Poim. pag. 122. 123. omissis aliis locis quæ disp. 2. Thes. 1. indicaverat, tacitus ostendit, se in iis nihil præsidii invenire potuisse. Quod si ergo nihil mihi officere, quæ ex pag. 122. 123. adducit, demonstra vero, salva res erit, & constabit virum doctum ignorasse elenchum. Fateor itaque Poimenandrum dicere, literas, TONSORES, & horologia esse ex communi consensu & jure gentium. Sed quid inde concludit vir doctus? Nihil utique quod ad propositum faciat. Quod ut pateat tenendum est 1. Virum doctum sic argumentatum fuisse: probari nequit, vocem naturæ significare apud Apostolum, tale jus quod ex consensu gentium eis omnibus commune est. Ergo non significat vox naturæ apud Apostolum jus gentium. 2. Me negasse consequentiam, si jus gentium sumas pro jure rationali jure proprio. Quod si vero jus gentium sumas pro jure quod gentes stabilierunt, dixisse non ferire enthymema Poimenandrum, quia nusquam Poimenander mea opinione dixisset se per jus gentium intelligere jus tale quod ex consensu gentium eis omnibus aut fere omnibus commune est. 3. Cum dixi nusquam mea opinione dixisse Poimenandrum, se per jus gentium intelligere jus tale quod ex consensu gentium eis omnibus aut fere omnibus commune est, id intelligendum non universaliter de omnibus locis in quibus juris gentium mentionem facit; sed iis quibus *Naturam* in loco Paulino (eo enim de loco agebatur) significationem *juris gentium* habere dicit. 4. Atque adeo viri docti si me oppugnare velit tale debere esse argumentum. Qui literas, TONSORES, horologia, dicit esse ex communi consensu, & jure gentium; is quando interpretatur *Naturam* in dicto Paulino per *Ius gentium*, intellexit jus tale quod ex consensu gentium, eis omnibus aut fere omnibus commune est. Sed Poimenander dixit Literas, Tonsores, horologia esse ex communi consensu & jure gentium. Ergo. Sed quid hoc argumento proficiat,

ciat, ego quidem non video. Nam negabo argumenti majorem quam nunquam, sat scio, probare poterit. Et tamen, si ipsi credimus hisce observatis, quæ omisit, sponte collabuntur.

CAPUT XVII.

De ordine naturæ quoad capillos viriles, & muliebres. Supervacuus agendi modus. Distinctio rationis docendi in actu signato & exercito. Impar comparatio cæcitatis externæ & ignorantiæ culpabilis. Musculus, Hyperius. Pareus, Hemmingius. fuga viri docti. compositio non componendorum, De locis Pf. 19. v. 1. & seqq. & Act. 14. v. 17. An iis agatur de ratione docendi naturæ in actu signato, perpetuo. An omnes semper proficiant per documentum naturæ in actu signato. Depravatio verborum auctoris. An natura doceat in actu exercito sensibus & intellectu non bene dispositis. Contradictiones viri docti. Admonitio intempestiva. De locis Pf. 94. 7. 8. 9. 10. Ies. 1. 11. 12. *& 40. 25. & 46. 5. Convictio objectiva evidentissima an semper comitem habeat subjectivam. Exemplum Judæorum de loco Gen. 3. Omissio. Absurdorum seges succisa. Falsæ hypotheses. De usu philosophiæ. Argumentatio frivola. Sufficientia cumulativa & privativa. Retorsiones. alia argumentatio frivola. Syllogismus auctoris. De calvitie virorum & mulierum. Sennertus. Subterfugium interceptum. Beza, Junius. An Paulus clarius quædam coram, quam scripserit, tradidisse incredibile? quod negatur ex 2. thess. 2. 6. 1. Cor. 15. 29. & ex hypothes. viri docti. De traditione non scripta. Gloriatio inanis.*

ACcedimus ad vindicias Thes. 9. partis 3. quæst. Text. 1. Continet autem ea examen Thes. 5. 6. 7. disp. Viri docti. 2. de coma, quibus agebat de acceptione vocis naturæ 1. Cor. 11. 14. quę ipsi est tertia, nimirum qua ea significare dicitur *statutum à Deo ordinem, quo mulieri coma densa & prolixa suppeditantur, viro non item; vel naturæ opus quo viri ac mulieris capita ita discriminantur, ut hujus sit aptissimum ad nutriendam comam, illius vero ineptum comparate scilicet.* Hanc acceptionem (quæ musculi, Hyperii, Parei, Hemmingii, & aliorum quorundam est, ut à me indicatum fuit disput. Text. p. 1. Thes. 2.) oppugnabat vir doctus disp. 2. Thes. 6. Hoc modo. *Significationem hanc hic locum non habere ita demonstramus: Natura de qua Apostolus agit, docet Corinthios in communi, idque tam evidenter, ut ipsi hoc negare non possint. Quo spectat interrogatio Apostoli, tanquam ad ipsorum conscientiam pro-*

vocantis. Annon &c. *Vt recte observatum Borstio* pag. 35. *Hic ordo Corinthios aut nihil aut perobscure, & paucos eorum, si forte, docet: ergo hic ordo, non intelligitur per vocem naturæ. Minorem probo. Natura in hac significatione sumta,* docere *dicitur, prout est res quædam ex cujus contemplatione cognitionem haurimus (verba sunt Dematii disp. 2. thes. 1.) At hic ordo (respectu, inquam, Corinthiorum) non est talis res. Ergo. Prob. Minor: vel enim cognitionem hauriunt ex contemplatione ejus ordinis, quatenus Deus eum instituit, & hoc non, neque enim eis datum erat penetrare secreta Dei: vel ex contemplatione causarum secundarum, & hoc non, quia nec Philosophi, nec anatomici &c. erant ii ad quos Paulus scribebat, sed homines maxima ex parte indocti & idiotæ.* 1. Cor. 1. 26. *vel effecto externo: & hoc non, quia comam virilem tonsura breviorem fieri in oculos eorum incurrebat, at eam naturâ fore breviorem si sineretur crescere, videre non poterant, quia id inter ipsos non erat usitatum. Non ergo hæc significatio* NATURÆ *de qua Paulus agit esse potest.* Responsum à me fuit ad syllogismum principalem in hunc modum: Dupliciter natura docet, videlicet, vel in actu signato, vel in actu exercito: in actu signato, ratione aptitudinis quam habet ad cognitionem animis nostris ingenerandam: & sic semper docet, etiamsi quis nihil proficiat. Ps. 19. v. 2. & seq. aliquot, Act. 14. 17. Actu exercito, quando ea sensibus & intellectui nostro bene dispositis objicitur Iob. 12. v. 7. 8. Præterea evidentia est vel objectiva, vel cognitionis, & utraque gradus admittit. Quod si auctor hic verbo docendi & evidentiæ, utatur posteriori significatione, majori falsa est. Nec valet probatio qua eam fulcit. Male enim supponit quod ejusmodi interrogationes, quali hic utitur Apostolus semper dicant evidentiam cognitionis: cum sæpe tantum evidentiam objecti significent. Ps. 94. 7. 8. 9. Ies. 1. v. 11. 12. Ies. 40. 25. & 46. vers. 5. Quod si priore sensu vocabulum docendi & evidentiæ usurpet falsa est minor: Nam fieri potest & sæpe fit, ut natura aliquid in actu signato, & evidentissime aliquid doceat, nec tamen evidentiam cognitionis in multis producat, hominum scilicet vitio, aut stupiditate, aut negligentia, aut præjudiciis & pravis affectibus impeditorum. Ad secundum syllogismum quo probatur minor præcedentis sic responsum fuit. Minorem sic probat vir doctus, natura in hac significatione sum-

» ſumta, docere dicitur (à me videlicet diſp.text.p. 3. Theſ. 1.) prout
» eſt res quædam ex cujus contemplatione cognitionem haurimus.
» At hic ordo reſpectu Corinthiorum non eſt res talis. Ergo. Reſp.
» Aut quatuor termini ſunt. 1. Quoniam major de aptitudinali tan-
» tum naturæ docendi vi agit, ut cuilibet verba mea inſpicienti pa-
» tet. Nam quando dico naturam dici docere prout eſt res quæpiam
» ex cujus contemplatione cognitionem haurimus, quid hoc aliud
» eſt, quam propterea dici naturam docere, quia in ſe apta eſt, ut in-
» tercedente debita & recta contemplatione, ex ea cognitionem hau-
» riamus, propter principia cognitionis quæ in ſe continet: minor ve-
» ro de actuali. 2. Quia in majore per contemplationem non qualiſ-
» cunq; inſpectio & conſideratio, ſed debita & recta neceſſariiſq; con-
» ditionibus veſtita, intelligitur, ut ex addito, reſpectu Corinthiorum
» & probatione quæ ei ſubjicitur, liquet. Vel minor falſa eſt, videlicet
» ſi & illa de aptitudinali ordinis de quo agitur docendi vi, & con-
» templatione neceſſariis requiſitis prædita loquitur. Nihil ergo hic eſt
» propter quod me verborum meorum pudeat, aut me conſtrictum
» fateri debeam, quamvis vir doctus ſecus judicet. Ad tertium ſyl-
logiſmum quo probatur minor ſecundi, dictum fuit. Probat ta-
» men minorem vir doctus, hoc pacto: vel hauriunt cognitionem
» Corinthii ex contemplatione ejus ordinis quatenus eum Deus in-
» ſtituit, vel ex contemplatione cauſarum ſecundarum, vel ex
» effecto externo. At nihil horum dici poteſt. N. Minor. Quia
» cognitionem habere poterant ex inſpectione cauſarum ſecunda-
» rum, lectione librorum Philoſophicorum, & ex effectibus exter-
nis. Ad inſtantiam repoſitum fuit à me. Inſtant. Corinthii ad quos
» Apoſtolus ſcribebat, nec Philoſophi nec Anatomici erant. 1. Cor.
» 1. 26. ſed maxima parte indocti & idiotæ. Neque videre pote-
» rant comam virilem natura fore breviorem muliebri, ſi ſineretur
» creſcere. Quia id inter ipſos non erat uſitatum. Reſp. 1. Patet
» hinc auctorem hunc non de aptitudinali, ſed de actuali naturæ do-
» cendi vi & contemplatione defectuoſa agere. 2. Sufficit aliquos
» fuiſſe doctos Philoſophos & in lectione librorum Philoſophico-
» rum verſatos, qui ex inſpectione cauſarum ſecundarum & lectio-
» ne librorum Philoſophicorum cognitionem illam haurire & aliis
» communicare poſsent. 3. Saltem videre poterant Corinthii etiamſi

„ amsi plebeji esent, præsertim Apostolo ipsos ad uaturam revocan-
„ te, mulieres ordinairie magis densam & minus deciduam habere
„ comam quam viros. 4. Pueri apud Græcos donec ex ephebis ex-
„ cederent intonsum capillum gerebant. Salmas. Epist. de coma pag.
„ 33. 35. 191. 162. 269. 271. Nec non matris Deum sacerdotes. Sal-
„ mas. de coma pag. 34. Et cinædi (qui apud Corinthios plurimi e-
„ rant. 1. Cor. 6. 9.) Salm. de coma pag. 34. & 731. 5. Dici etiam
„ potest Apostolum cum apud Corinthios esset, ipsisque doctrinam
„ hanc de modo orandi & usu capillorum traderet, indicasse quo-
„ modo ex ordine illo naturali cognitionem de qua quæstio est, hau-
„ rirent. Respondet vir doctus Ne hanc quidem sententiam viro
„ docto certam ac indubitatam videri, inde patet quod eam tantum-
„ modo ait *probabilitate sua non cavere disp.* 3. thes. 1. Resp. Si mihi certa & indubitata non est hæc sententia, eo facilius vir doctus eam refutabit. Videamus ergo qualem se præstet. Ait itaque *In ejus oppugnatione alium mihi agendi modum proposui quam ii qui ante me eam examinarunt, ii enim in eo laborarant, ut ostenderent, talem ordinem, & tale discrimen capitis virilis à muliebri nullum esse, in quo vir doctus se iis opposuit. Ego vero totam illam σύμφαξιν, hic supervacaneam esse duxi, quia nihil faceret ad mentem Pauli, atque ita nihil ad præsentem quæstionem pertineret.* Resp. 1. Quinam & quales, qui ante virum doctum sententiam hanc examinarunt, quibusque me opposui? neminem ego novi qui id fecerit præter anonymum dialogistam. 2. Supervacaneam quoque duxi litem quam mihi movit dialogista, minime tamen sententiam hanc quam impugnat, aut defensionem meam. 3. Supervacaneum esse agendi illum modum quem sibi vir doctus sequendum duxit ostensum fuit à me, & nunc porro ostendendum. Commemorata ergo Thesi sua VI. aggreditur distinctionem primam à me allatam, in solutione primi sui syllogismi quà distinctinguebam inter τὸ *docere* naturę in *abstracto significato* & *exercito*. Quaque posita, negabam majorem syllogismi illius si priori sensu τὸ *docere* naturę acciperet, si vero posteriore minorem. Ita autem eam aggreditur ut quędam iis adjiciat quæ mea non sunt: *In illo sensu naturam docere licet in hoc non doceat* & parte meorum verborum recitata, reliqua per &c. lectori quę-nam sint divivandum relinquat. Quare mihi supra ea integre pro-

ferre

ferre libuit, ut lector iis perspectis, de responsionibus ipsius melius judicare posset. Et porro ait: *Resp. juxta hanc distinctionem cœcus interrogari posset: An non lumen solare te docet cujus coloris sit iste pannus? An non laterna tibi prælata te docet, qua via te incedere oporteat? licet enim cœcus nihil videat propter indispositionem, tamen & sol & laterna ad hoc aptitudinem habent quantum est in ipsis. At hoc non esset convincere cœcum de qualitate coloris aut viæ (pro ut Paulus per naturam Corinthios convincere intendit) sed eum deridere. Vt taceam quod nec sol aptitudinem habet ad illustrandum cœcum, nec natura ista aptitudinem habet ad docendum Corinthios in communi, quæ duo in argumento conjunxi nec erant divellenda. Evanescit ergo commentum de actu signato & exercito in re proposita, quorum neutrum in re proposita comparet.* Resp. 1. Impar comparatio est cœcitate corporali laborantis, & vitio suo ad documentum naturę non attendentis. Item solis, laternæque ad eum qui cæcitate externa laborat, & documenti naturæ ad eum, qui ignorantia culpabili laborat, unde concidit quod de derisione ait. Nisi Deum deridere velit irregenitos (quales tamen Corinthii non erant) cum eis licet cœcis spirituali cæcitate laborantibus mysteria verbi sui proponit, eosque ad dilectionem sui & proximi hortatur: & similem esse iis qui cœcos externa cœcitate, non convincunt sed derident. 2. Si sol non habet aptitudinem ad illustrandum cœcum uti fatetur vir doctus, natura autem de qua agitur habet aptitudinem ad illustrandum Corinthios, sequitur disparem esse comparationem quam vir doctus instituit. Habere autem naturam, id est ordinem illum naturæ de quo agitur hanc aptitudinem non tantum credunt, Musculus, Hyperius, Pareus, Hemmingius quos vir doctus hic ceu folio leviores difflat; sed etiam à me ostensum est disput. text. p. 5. thes. 7. 3. Negat vir doctus naturam de qua agebamus habere aptitudinem ad docendum Corinthios; nec tamen disputationem de ordine illo quoad capillos viriles & muliebres à Deo instituto ingredi sibi commodum ducit. Cum tamen ex ordine illo collegerim, aptitudinem illam docendi de qua loquor. nec, nisi subvertantur quæ de ordine illo adversus dialogistam à me disputata sunt, quod dixi de aptitudine illa docendi naturæ respectu Corinthiorum, negari possit. Nam quę attulit, ut declinaret disputationem illam, defendi

fendi nequeunt. 4. Duo illa quę conjunxisse se ait vir doctus ubi commodum erit, explicabit. Ego enim quęnam intelligat non capio. Interim dico etiamsi vel centum alia *duobus illis* nescio quibus conjungat, ipsum nihil promoturum.

Pergit: *Nec quicquam juvant loca citata ex* Ps. 19. Act. 14. Iob. 12. *Quasi illa agerent de actu* TANTUM SIGNATO *sive aptitudine ad docendum, quod falsum est. Nam vere & cum effectu docent mortales Dei potentiam & divinitatem, ita ut ea manifesta sint non tantum in sese sed in ipsis., ut quæ ab ipsis mente perpensa pervideantur, ita ut Deum norint.* v. Rom. 1. 19.20. *Neque solum de bene dispositis nescio quibus hoc verum est; sed de sceleratissimis quoque, qui eo pacto reddunter inexcusabiles* ut ib. *Paulus.* Resp. 1. Locum Iobi 12. male rejicit vir doctus inter ea quę attuli ut illustrarem quod dixi de naturæ docendi officio in actu signato. Nam is à me adductus fuit „ ut declararem quomodo natura doceat in actu exercito. 2. dixi, in „ actu signato docere naturam ratione aptitudinis quam habet ad „ cognitionem animis nostris ingenerandam, & sic semper docere „ etiamsi QUIS NIHIL PROFICIAT, & probavi *id ex* Ps. 19. 2. & seq. aliquot; & Act. 14. 17. At quid hic non sanum? Non solidum? Agi enim hisce locis de naturę docendi ratione in *actu signato*, negari nequit, nec negabit vir doctus, sat scio. Nam alioqui etiam non ageretur de docendi ratione in actu exercito. Nam si natura in actu signato non docet, etiam in actu exercito non docet. Etiam hisce locis dici, perpetuo illa ratione naturam docere, nemo negabit, nisi qui naturam docendi labore defatigari credit. Prętera docere naturam modo quod dictum est etiamsi quis nihil proficiat, omnes ut opinior mihi dabunt. Nam non puto ullos fore qui statuant naturam similem esse hominibus, qui ubi docendo se nihil proficere vident, sępe docere desinunt, ne frustra labores impendant. Porro non semper proficere omnes naturæ documento manifestum quoque est. Sæpe enim fit ut multi ne cogitent quidem de naturæ documento. At si non cogitant quomodo naturæ documento proficiant, sive cognitionem sive pietatem spectes. Sępe quoque fit, ut multi qui cogitant de naturæ documento, quoad cognitionem aliquos, quoad vero pietatem, nullos progressus faciant, Apostolo id docente Rom. 1. v. 21. Vnde concludo, licet antea

antea tantum hypothetice locutus sim (dixi enim *Etiamsi quis nihil proficiat*) manifestum esse, naturam semper quidem docere actu signato, attamen hominum multorum vitio, non semper docere, ratione talium, in actu exercito. Quid habet hic vir doctus quod carpat? Nihil certe si depravatio verborum meorum absit. Nam τὸ TANTUM quod habet, ex ipsius thesauro depromptum est, ut quo usus non sum. Nusquam enim dixi naturam *tantum* in actu signato sive objective docere. Dixi semper docere in actu signato, etiamsi quis nihil proficiat: & huc adduxi loca illa. Si sese mihi opponere vult, ipsi defendendum est, aut naturam non docere semper in actu signato, aut id non probari locis illis, aut denique, ut liberalis sim, naturam quoscunque docet in actu signato, semper etiam docere in actu exercito, id est tales omnes semper proficere documento naturæ. 3. Locutus sum de *sensibus & intellectu bene dispositis*, non ut ipse verba mea depravat, *de aliquibus bene dispositis*. Nec video cur me eorum quæ dixi pudere debeat. Nam certe nisi sensus bene dispositi sint, quomodo per illos documentum naturæ objectivum ad intellectum perveniet, ut sequatur documentum in actu exercito sive institutio subjectiva? & nisi intellectus bene dispositus fuerit sive physice sive spiritualiter, quomodo docebit natura in actu exercito, hoc est hominem aut sapientiorem aut meliorem reddet? 4. Locus ille ad Romanos 1. v. 19. 20. mihi non obest. Nam ego non dixi naturam *tantum* actu signato docere. Vltro fateor naturam etiam sceleratissimos aliqua ratione, actu exercito docere; quamvis semper ita eos illam docere negem, & merito negem. Nam nec dormientes, nec ebrios, nec de natura nihil cogitantes, subjective docet. Sequitur apud virum doctum. *Distinguit inter evidentiam objectivam & cognitionis, & utramque gradus admittere ait: priorem hic agnoscit posteriorem negat. Resp. Distinctio hæc quæ cum priore fere coincidit in re proposita locum non habet, qui enim ita evidenter quempiam docet ut ipse id negare non possit, utque ad ejus conscientiam provocare audeat, in ejus doctrina est evidentia, non modo objecti sed cognitionis. Hoc facit natura de qua Paulus agit.* Ergo. *Non sufficit igitur hic dicere major falsa est. Habet enim evidentem rationem in voce Conscientiæ quæ sane* cognitionis *species est.* Resp. Negatur minor. Provocat Apostolus ad evidentiam ob-

objecti, non ad conscientiam, sed provocando ad evidentiam objecti, stimulat simul eos ut ad evidentiam cognitionis adspirent. Probo quod dico ex ipsis viri docti verbis: nam ait disp. 1. de coma Thesi 2. *Licet enim verba Poimenander ibidem ita* clara *esse pronunciat*, ac si solis radio scripta essent, *nihilominus explicationes penè singularum vocum, tum apud ipsum tum apud alios ita variant* UT NON NISI ATTENTISSIMO EXAMINE QUÆ LEGITIMA, QUÆ ADULTERINA SIT DIJUDICARI POSSIT. Preterea dicit Thesi quam nunc propugnat, Corinthios ad quos scribebat Apostolus, *Philosophos* non fuisse *sed maxima ex parte indoctos & idiotas*. Et postea negat pag. 89. ipsum Apostolum Corinthiis cum apud eos esset, ipsisque doctrinam hanc traderet, eam clarius explicasse. Hinc sic arguo: Qui ita loquitur, ut singula verba quæ profert, ita difficilia sint etiam doctis, ut non nisi attentissimo examine quæ legitima, quæ adulterina earum explicatio sit DIJUDICARI POSSIT, nec ea unquam antea explicuit, is non provocat ad conscientias indoctorum, idiotarum, sutorum &c. nisi in re seria ludere aut indoctos illos deridere velit. Sed Apostolus ita loquitur, teste viro docto. Ergo ad conscientias indoctorum idiotarum & sutorum taliumque similium non provocat, nisi in re seria ludere, aut indoctos deridere, (recognoscat sua verba) velit. Huc quoque pertinet Thesis 10. & 11. disp. ipsius 3. de coma, quibus sententiam suam de loco Apostolico 1. Cor. 14. 15. explicat. Quæ talis est, ut nulli nisi qui admodum credulus sit, persuadet, Apostolum significare evidentiam illam, quam urget vir doctus, & ad conscientiam Corinthiorum propter evidentiam illam appellare. Nam 1. Vult *naturam* significare sexum. 2. Emphasin esse in voce ἀνήρ. 3. Niti dictum Apostolicum discrimine quod est inter sexum virilem & muliebrem, videlicet quod ille ad imperium hic ad subjectionem natus sit. 4. Quod imperii insigne apud Corinthios censeretur caput integumento liberum. 5. Quod hinc sequeretur, non nisi inhonestum Corinthiis esse posse si id muliebrem in morem velatum haberent. Hinc enim conficitur, si verum est quod vir doctus ait, 1. ita perspicacis fuisse ingenii *Indoctos, idiotas, sutores* &c. Corinthios (quidni & fœminas? Nam etiam iis scripsit Apostolus) ut sine hæ-

hæsitatione scirent ex multis significationibus, quas vox *naturæ* habet, eam solam hic obtinere, qua sexum significare dicitur; quod tamen vix ulli doctorum in mentem venit. 2. Vt in voce ἰμᾶς (quod ante virum doctum neminem dixisse arbitror) emphasin & quidem sine ulla hæsitatione esse intelligerent. 3. Simul etiam perspicuè viderent, niti dictum Apostoli discrimine quod est inter sexum virilem & muliebrem, id est imperio & subjectione. 4. Quod scirent & crederent firmiter caput integumento liberum esse signum dominii (quod tamen vir doctus, etiamsi omnes nervos intendat, nunquam probaturus est) inter ipsos. Et 5. quod ex his omnibus conficerent syllogismum qui eos ita convinceret, ut amplius non dubitarent. O doctos indoctos, idiotas, sutores &c. qui ita perspicaci ingenio fuistis! pergit: *Verum addit: nec valet probatio qua eam fulcit. Male enim supponit quod ejusmodi interrogationes, quali hic utitur Apostolus, semper dicant evidentiam cognitionis; cum sæpe tantum evidentiam objecti significent.* Ps. 94. 7. 8. 9. 10. Isa. 1. 11. 12. & c. 40. 25. & 46. 5. *Resp. Hic meminisse velim virum doctum quoties mihi objecerit, quod hunc vel illum auctorem non nominarim cum sententias adversas citarem. Nam ipsi si id recte exegit hic nominandus erat Borstius (à quo illam rationem desumsi idque diserte indicavi) non ego.* Resp. 1. Aliquid coloris haberet hæc admonitio viri docti, si sententiam aliquam mihi refutandam sumsissem nullo nominato qui eam tueatur, aut pluribus adscripsissem (ut fecit vir doctus) quamvis neminem nominare possem: quum autem id à me factum non sit (sententiam enim quam refuto in thesi quam examinabam à viro docto defenditur) non habet quare de me queratur. 2. Nominandus erat vir doctus, præteriri potuit Borstius, quia viri docti thesin non Borstii concionem refutandam sumseram; licet viro docto refutato, etiam concidat quod Borstius habet, si modo dixit quæ vir doctus ipsum dixisse ait. Addit. 2. *Nego illa loca quæ adducta sunt, tantum evidentiam objecti significare: nam eæ rationes quas David contra atheismum, & Iesaias contra idololatriam &c. interrogando adducit tales sunt, ut peccatores re ipsa in animis suis convincant atque condemnent. Qualis etiam fuit interrogatio à Deo Adamo proposita Gen. 3. 11. Hoc (inquit Borstius) magis pressit Conscientiam lapsi Adami quam si simpliciter dixisset:*

set: comedisti. Ea enim interrogatione efficacius convictus fuit, & in animo adactus se ipsum accusare. & mox: ita & magis urget ipsum cor, quod Paulus quærit. Annon natura ipsa vos docet? quam si directe dixisset, docet vos. Illa enim interrogatione conscientia excitatur, eique auris vellitur, ad debite respondendum, atque ita ejusmodi quæsito homo movetur ad se ipsum redarguendum. Hæc Borstius. Quicum sibi rem esse sciat vir doctus, si distinctionem datam tueri velit, qua explosa concidunt omnia quæ ad minorem meam propositionem excipit ut patebit legenti. Resp. 1. Certe rationes quę hisce locis adducuntur tales sunt, ut objective convincant eo quibus proponuntur, sed subjective non convincant eos qui eas non perpendunt. Nisi vir doctus ita argumentari velit. Quidquid objective & quidem evidentissime convincit: id etiam subjective convincit impios & quidem sceleratissimos. Sed talia sunt loca ex Davide & Iesaia adducta, ergo. At negabo hic majorem, & ut me cum fundamento negare eam pateat: assumam ad majorem illam hanc minorem: Atqui Christus objective & quidem evidentissime convicit omnes Iudæos quibus Euangelium prædicavit se esse Messiam. Ergo etiam eos omnes subjective convicit. Sed falsa est hæc minor. Act. 3. v. 17. *Sed nunc fratres scio vos per ignorantiam ista fecisse, sicut* & PRIMORES *vestros.* 2. Dissimilis ille locus est qui ex Genes. 3. adducitur, quia jam constabat Adamo de peccato suo, ob quod etiam præsentiam Dei metuebat, adeo ut fieri non potuerit, quin interrogationem illam ad animum revocarit. At quomodo probabit vir doctus impios aut omnes aut plæroscque argumenta illa quæ continentur locis illis quę adduxi, aut sciviśe, aut unquam ad animum revocaśe? 3. Non magis me premere potest vir doctus auctoritate Borstii, quam ego ipsum. Adeoque non concidit quippiam eorum (nedum omnia) quæ adversus minorem ipsius excepi. Pergit. *Videamus tamen quomodo ejus probationem labefactare conetur, probat tamen* (inquit) *vir doctus minorem hoc pacto: vel hauriunt* &c. Resp. Prętcrit hic vir doctus ea quæ excepi ad secundum syllogismum, quo minorem primi probabat, adeoque tacite concedit se quod reponeret, non habuisse. Non repeto secundum ipsius syllogismum, nec ea quę à me responsa sunt, ut quę antea hoc ipso capite lectori exhibita fuere. Pergamus ergo ad examen eorum

rum quę adfert adversus responsiones quas tertio ipsius syllogismo opposui. Primo ergo adfert tertium suum syllogismum supra à me exhibitum: deinde responsiones meas ad eundem supra quoque recitatas, quo remitto lectorem. Denique ita ad responsiones meas excipit. *Examinemus hæc nam scatent absurditatibus. Quomodo redarguit Apostolus Corinthios in communi, ex libris Philosophorum, quos non legerant?* 2. *Quis credat eum sutores à sutrina &c. vocasse ad legendos libros Philosophorum? Ita ne peregrinus est ullus mortalium in scriptis Pauli cui hoc persuaderi possit? Vnde probat inter Corinthios fuisse aliquos doctos Philosophos (physicos nimirum & anatomicos, de his enim quæstio est) nam ex eo quod Paulus subinnuat* 1. Cor. 1. 26. *aliquot saltem sapientes secundum carnem esse vocatos, ex eo non sequitur ad physicos & anatomicos in specie.* 4. *Si tales inter eos fuerint, unde probat ad eos Paulum reliquam plebem ablegasse, quo physiologiam addiscerent, cum contra sapientes, de quibus agit, contemtus, non commendationis causa nominet? quæ stulta sunt mundo inquiens elegit Deus, ut pudefaciat sapientes* v. 27. & v. 19. 20. *Scriptum est enim: Abolebo sapientiam sapientium, & intelligentiam intelligentium tollam è medio. Vbi sapiens? Vbi scriba? Vbi disquisitor sæculi istius? nonne infatuavit Deus sapientiam mundi hujus? Legantur sequentia, & apparebit, nihil alienius esse à Paulo quam Corinthios mundi sapientibus in disciplinam tradere.* 5. *Exceptio hæc enervat argumenta nostra contra pontificios. Illi enim, cum docemus omnibus Christianis libros sanctos legendos esse, ex eo quod totis Ecclesiis ea res commendetur; respondent sufficere paucos aliquos in scripturis versatos, ut reliqui ab iis doctrinam scripturæ petant. Item cum contendimus laicis quoque calicem in cœna convenire, quia Paulus (in hac epistola, imo in hoc ipso capite ubi de coma agit) ad Ecclesiam in commune ea de re scripsit, respondent paucos aliquos sacerdotalis ordinis sufficere, qui id pro cæteris præstent.* Resp. Si tam facile absurditates probarentur ut objiciuntur, sane absurditatibus scriptum meum refertum esset. Sed hactenus patuit virum doctum in absurditatibus mihi objiciendis parum felicem fuisse: Imo vero in quam plurimas sese induisse. Vt autem ipsi hactenus non successit, ista absurditatum, quas mihi objecit cumulatio, sic nec porro successuram confido. Quantum ergo ad primam: Resp. 1. Non redarguit Apostolus Corinthios in communi ex libris Philo-

sophorum; sed ex natura. Poterant tamen saltem sapientiores inter ipsos consulere scripta Philosophorum de ordine illo naturali quem voce naturæ Apostolum significare supponitur. 2. A me dictum non fuit Corinthios in communi (hoc enim velle virum doctum existimo) scripta Philosophorum legisse; sed cognitionem (de qua loquitur vir doctus) haurire potuisse ex libris Philosophorum, nimirum si legerent: & quosdam ut Philosophos, legere potuisse. Ad secundum: Neque à me dictum fuit Apostolum sutores à sutrina &c. vocasse ad lectionem librorum Philosophicorum. Hoc de suo comminiscitur vir doctus, ut ex verbis meis liquet. Ad tertium: 1. Non est necesum ut probem inter Corinthios fuisse Physicos & anatomicos, sufficit inter eos fuisse Philosophos. Nam etiamsi quis Physicus aut anatomicus non sit, modo Philosophus sit, Physicos & anatomicos cum fructu legere potest, eorumque dicta expendere & in usum suum vertere. Ad quartum. 1. Non fuit à me dictum Paulum reliquam plebem ad Philosophos qui inter Corinthios fuere, ablegasse; sed Philosophos cognitionem suam aliis communicare potuisse. 2. Non contemnit Apostolus locis à viro docto citatis, Philosophos qua tales, sed quatenus scientiæ suę opinione turgidi (quod non faciebant Philosophi Chrstiani) Christum respuebant. Patet hoc. 1. Quia Philosophia est donum Dei. 2. Quia ipse Apostolus Philosophos Athenienses ad Aratum Philosophum revocat. Act. 17. v. 28. 3. Quia non tantum Paulus Act. 14. v. 17. & 17. v. 24. & seq. aliquot, sed etiam prophetæ ut Ps. 94. v. 7. 8. 9. 10. & Ies. 40. v. 25. 26. rationibus Philosophicis impios oppugnant. 4. Si Apostolus contemnit Philosophiam, mirum est, virum doctum non tantum non anniti, ut omnis Philosphia ex Academiis exulet: sed etiam scriptum Philosophicum publicasse. Nam certe male impenditur tempus iis rebus quas Apostolus contemnit. Ad quintum: 1. Sic arguit vir doctus: qui dicit paucos sufficere potuisse Philosophos Corinthiis qui ipsis communicarent cognitionem ordinis illius naturalis quem voce naturę Apostolus significaverit & unde argumentum petiverit, is enervat argumenta nostra contra pontificios cum docemus omnibus Christianis libros sanctos legendos esse, ex eo quod totis Ecclesiis ea res commendetur. Sed adversarius hoc dicit.

cit. Ergo. Probatur major; quia respondent Pontificii, sufficere paucos aliquos in scriptura versatos, ut reliqui ab iis doctrinam scripturæ petant. Resp. 1. Neg. Major: quia is qui hoc dicit, non aliter considerat communicationem illam cognitionis Philosophicam de qua quæstio est, quam ut prærequisitum & adjumentum aliquod, quo legentes & perpendentes dictum illud Paulinum instructi, clarius videant quomodo procedat argumentum Apostoli à natura petitum. 2. Non valet ratio qua probatur major. Nam non est par ratio sufficientiæ paucorum in hac vel illa Ecclesia, ad communicandam aliis cognitionem hujus vel illius argumenti Philosophici, quo legentes sacram scripturam majori cum fructu legant: & sufficientię paucorum in sacris literis versatorum, quæ prætenditur ut alii à lectione scripturæ arceantur. illa enim de qua ego loquor cumulativa, hæc de qua vir doctus agit privativa est. 3. Si is qui dicit suffecisse in Ecclesia Corinthiaca Philosophos paucos, qui communicarent aliis cognitionem ordinis naturalis illius, quem voce naturæ Apostolus intellexerit, & unde argumentetur, enervat argumenta illa nostra contra pontificios quibus docemus omnibus Christianis libros sanctos esse legendos: sequitur aut omnes in qualibet Ecclesia, aut plurimos saltem debere esse Philosophos, ut intelligantur loca scripturę in quibus Philosophicum quid occurrit: vel nullos esse debere. Prius dicere non potest vir doctus. Nam alioqui incidet in omnia illa absurda quæ hactenus mihi intentavit: & præterea non tantum sutores, sed etiam mulierculas ad Philosophiam amandabit. Nec posterius, quia alioqui non tantum damnabit omnes qui operam posuere in interpretandis locis talibus: verum etiam statuere cogetur, rectam illam locorum intelligentiam non esse necessariam, saltem ad bene esse; quod absurdissimum. Nam sic Spiritus Sanctus frustra aliquid locutus esse statuendus erit. 4. Si is qui dicit suffecisse in Ecclesia Corinthiaca paucos Philosophos qui aliis communicarent cognitionem ordinis illius naturalis quem Apostolus voce naturæ intellexerit, & unde argumentum duxerit, enervat argumenta illa nostra contra pontificios: multo magis enervabunt ea qui dicunt in minoribus Ecclesiis paucos aliquot ministros sufficere, ex quibus alii hauriant cognitionem fidei & pietatis, item paucos sufficere

ficere in Academia hac vel illa, vel Collegio profeſsores Theologię unde ſtudioſi hauriant cognitionem controverſiarum. Sed dicet (opinor) vir doctus paucos ſufficere in minoribus Eccleſiis miniſtros, unde reliqui hauriant cognitionem fidei & pietatis: paucos item ſufficere in hac vel illa Academia, vel collegio profeſsores unde reliqui hauriant cognitionem controverſiarum. Ergo vir doctus multo magis enervat argumenta illa noſtra contra pontificios. Diſtinguendum eſt (ut jam indicatum) inter ſufficientiam privativam & cumulativam, & tenendum me non illam, ſed hanc intellexiſse. 2. Argumentatur hunc in modum: qui dicit paucos Philoſophos ſuffeciſse in Eccleſia Corinthiaca ad communicandam cognitionem naturalis illius ordinis quem Apoſtolus voce naturę intellexerit, & unde argumentum duxerit, enervat argumentum noſtrum quo probamus laicis quoque calicem convenire, ex eo quod Paulus (in hac ipſa epiſtola, imo hoc ipſo capite ubi de coma agit) ad Eccleſiam in communi ea de re ſcripſit. Atqui adverſarius hoc dicit. Ergo. Probatur major, quia pontificii reſpondent paucos aliquos ſacerdotalis ordinis ſufficere. Reſp. 1. Neſcio quinam ſint illi noſtri qui ſic argumententur: Id de quo Apoſtolus ſcripſit ad Eccleſiam in communi, id etiam laicis convenit. ſed ſcripſit Apoſtolus de cœna ad Eccleſiam in communi. Ergo etiam cœna laicis convenit. Nam ſubſumet aliquis ſub majore: Atqui ſcripſit Apoſtolus ad Eccleſiam in communi, 1. Cor. 12. v. 28. de Apoſtolatu, prophetico & doctorum munere: ergo laicis etiam illa conveniunt: id eſt exercenda ſunt. quomodo vox *conveniendi* ab ipſo uſurpatur. 2. Nego majorem, quia probatio ejus nulla eſt. Ego enim loquor de ſufficientia cumulativa: At pontificii (ſi quidem ita reſpondent.) de privativa. Sequitur ſextum abſurdum quod mihi vir doctus impingit; quod tale eſt: *Argumentum illud: Paulus revocat Corinthios ad naturam: Corinthii autem videbant capillos muliebres minus deciduos quam viriles. Ergo videbant illud ex natura eſſe, nec figuram nec modum habet, nec ullum aliud, ſaltem ſolidius ex verbis viri docti exſculpi poteſt.* Reſp. Facile, eſt abſurditatum myriadas alicui objicere, ſi ita verba ejus quocum tibi res eſt pervertere licet. Quærebatur inter me & virum doctum inter alia: utrum Corinthii in communi cogni-

tio-

tionem de qua agebatur, haurire potuissent ex effecto externo. Negabat ille hoc argumento: *Quia comam virilem* tonsura *breviorem si fierem in oculos eorum incurrebat, at eam natura fore breviorem si fierent crescere videre non poterant, quia id inter ipsos non erat usitatum.* Affirmabam ego hoc argumento: Quicunque videre poterant etiamsi plebii essent, præsertim Apostolo ipsos ad naturam revocante, (id est causam quare id videre niterentur subministrante) mulieres ordinarie magis densam (addendum fuit & longam ut patet ex argumento quod mihi solvendum sumebam) & minus deciduam habere comam quam viros, ii ex effecto externo cognitionem ordinis illius naturalis habere poterant. At Corinthii etiamsi plebeii &c. Ergo. Probabam minorem; quia licet multi viri inter Corinthios tonderentur, erat tamen inter eos intonsorum etiam copia, ex quibus judicium facere poterant an non coma virorum si sineretur crescere minus longa, & magis decidua esset quam mulierum. Et huc adduxi ex Cl. Salmasio quod pueri usque dum excederent ex ephœbis, Matris Deum Sacerdotes, & cinædi qui apud Corinthios plurimi erant, intonso essent capillo. Vides opinor vir docte verba mea posse dare argumentum in figura & modo: & alidquanto validius quam tibi commodum est. Pergit, *Ad rem ipsam quod attinet, videbant Corinthii capillos virorum deciduos esse, verū per forficem & novaculam, non per naturam.* Resp. 1. Negat ergo vir doctus non tantum ea tempestate calvitiem magis familiarem fuisse viris quam mulieribus, sed etiam ab omni calvitio liberos fuisse. 2. Induit hic vir doctus se in ὑπόθεσιν illam quam p. 81. se supervacaneam judicasse ait, seque Medicis & Physicis opponit. Videatur hac de re, uti & de discrimine prolixitatis capillorum muliebrium & virilium si sinantur crescere disp. meæ text. p. 3. Thes. 1. & 2. Nec non Sennertus Tom. 3. Tractat. de Calvitiis. Septimum absurdum sic proponit: *Quod de pueris, cinædis, spadonibus affert nihil ad rem facit. Nam Paulus de viris agit, non de pueris teste ipso viro docto* quæst. text. part. 1. Thes. 1. *Deinde si ab illis ad viros argumentati fuissent Corinthii, contrarium quam quod vir doctus vult, intuliissent, nempe viros æque comatos esse natura quam fœminas.* Resp. 1. Paulus virorum nomine intelligit, virilis sexus personas quæ ad usum rationis pervenerunt, ut à me dictum fuit quæst. Text. 1. part. 1. Thes. 1. Vn-

de male excludit vir doctus numero virorum qui ejus erant ętatis ut ex Ephebis jã exceſsuri eſsent: nec non cinędos & matris Deum, ut vocant, ſacerdotes, licet animo molles eſsent. 2. Si Paulus hoſce non comprehendit virorum nomine non fecerit ullus horum contra monitium Apoſtolicum comam intonſam gerendo. Nam ut vir doctus ait, Paulus de illis non loquitur. 3. Si argumentati fuiſsent ab his, præſertim pueris & cinædis ad fœminas, utique quod volo intuliſsent, nimirum comam muliebrem prolixiorem naſci quam virilem ubi ſinitur creſcere. Vide prętер Theologos quos cito diſp. text. p. 1. Theſ. 2. Bezam in 1. Cor. 11. v. 14. *Natura enim* inquit *viro breviores capillos, etiamſi quis ſinat excreſcere; mulieri prolixiores & capiti obvolvendo idoneos tribuit.* Item Franciſcum Iunium in Analyſ. Deut. 22. ad verſum 5. Nec non diſp. meæ Text. part. 3. Theſ. 1. Octavum abſurdum tale eſt: *Vltimum viri docti effugium eſt, ipſum Apoſtolum Corinthiis indicaſſe quomodo ex ordine illo naturali cognitionem illam de qua quæſtio eſt haurirent. Quod ſi verum eſt, erit hæc traditio non ſcripta, quæ ad nos quibus eam Paulus non inſuſurravit, nihil pertinet.* Reſp. 1. Si viro docto incredibile videtur Paulum quæpiam clarius coram docuiſse quam ſcripſit, quomodo quæſo dixit 2. Theſ. 2. v. 6. *Et nunc, quid retineat noſtis, ut is ſuo præſtituto tempore reveletur.* Nam tantum abeſt ut *indocti, idiotæ, ſutores* &c. auſint dicere ſe liquido ſcire quid eſset quod detineret, ut etiam docti ea de re inter ſe diſcrepent. Et quomodo ex regula viri docti provocare auſus eſt Apoſtolus ad conſcientias *indoctorum, idiotarum, ſutorum* &c. cum diceret cum interrogatione, 1. Cor. 15. v. 29. *Alioqui quid facient ii qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non ſuſcitantur cur baptizantur pro mortuis?* Imo vero cum verba Apoſt. 1. Cor. 11. v. 14. tam obſcura ſint (ut virum doctum diſp. ſuę de coma 1. Th. 2. dicentem audivimus) & vox φύσεως tot ſignificationes habeat, voxque ὑμᾶς emphatice accipienda ſit, aliaque (ut ſupra indicatum fuit) non pauca, ſi explicatio ipſius admittenda ſit, poni debeant, quæ Corinthios *indoctos, idiotas, ſutores* &c. ſaltem in hęſitationem aliquam præcipitare poterant; quomodo diceret ſecundum virum doctum Apoſtolus, naturam id de quo quæſtio eſt, ita evidenter, non tantum objective ſed etiam ſubjective docere, ut ipſi id negare non poſſent, ipſeque ad ipſorum con-

conſcientiam provocaret, niſi ipſis clarius coram hæc expoſuiſset? 2. Non dixi Apoſtolum hoc coram indicaſſe ſed dici poſſe ipſum hoc coram indicaſſe. 3. Recte vocaret vir doctus *indicationem* de qua loquor, traditionem non ſcriptam reſpectu Corinthiorum, non noſtri, ut quibus eam Paulus non inſuſurravit (ut loquitur,) ſi abſque illa ſenſus Apoſtoli verborum haberi non poſſet: Quod negamus. Ex hiſce patere arbitror abſurditates quas vir mihi octo numero, (nam numerus illarum apud ipſum perturbatus eſt) objicit, non tantum in ſpongiam incubuiſſe: verum etiam ipſum, dum eas mihi intentat ſe in multas induiſſe. Addit: *Quod in fine Theſeos ſe ab adverſario adactum ait, ut ad Philoſophica illa deſcenderet, ſupervacaneum eſt. Neque enim meum eſt carpere aut ægre ferre, ſi viri literati in his talibus diſceptandis ingenii vires experiantur, & eruditionis copias explicent, verum ea ad præſens negotium non ſpectare invicto argumento, & quod vir doctus nullis machinis potuit convellere, per Dei gratiam demonſtravi.* Reſp. Convulſum & proſtratum omni ex parte eſſe viri docti argumentum *machinis* quas adhibui, nullus dubito: quo circa ſupervacanea ſunt, & nulla quæ diſp. 3. de coma theſ. 7. & hoc loco adfert.

CAPUT XVIII.

De inclinatione naturali mulierum ad alendas comas. Cavillatio retuſa. Criminatio caſtigata. Paradoxum. Admonitio auctoris. Argumentum viri docti de inclinatione naturali. Diſpar ratio inclinationis mulierum ad nutriendam comam & ad hanc aut illam veſtium formam. Argumentatio frivola. ſolida. penuria cauſæ viri docti. Argumenta duo pro inclinatione naturali mulierum ad nutriendam comam. Calvinus, Martyr, Muſculus, Pareus, Piſcator. Conſiderandum inane. fuga viri docti. exercitatio ad palum. An variarint mulieres mire in coma. Latebræ malefidæ. Contradictio. Abſurdum. Alia abſurda. ſimilitudo & identitas, diſsimilis & non eadem. Abſurdum. proſyllogiſmus phantaſticus; Lyranus, Thomas, Eſtius. ἀπορία. analyſis theſeos 9. diſp. 2. Viri docti. Concluſio aberrans. Conceſſio infructuoſa. defenſio Caſæ præter caſam fugiens. Expoſtulatio repreſſa. Borſtius, Polyander teſtes viro docto noxii. Contradictiones. Aberratio. Eraſmus. Hypotheſis neglecta. Contradictiones. De miniſtris verbi divini & gregibus eorum. De loco. 1. Cor. 11. v. 10. De extraneis & indigenis. An & quæ Eccleſiæ Formoſanis vicinæ? De jure eccleſiarum. Fuga. D. Junius paſtor Delphenſis. Judicium Voſſii de inclinatione naturali.

QVarta (juxta enumerationem viri docti) explicatio vocis *naturæ* est quæ naturalem inclinationem significare dicitur. hac de significatione egi disp. tex. pag. 1. Thes. 2. & p. 3. thes. 5. Vir doctus vero disp. 3. de coma Thes. 8. 9. Thes. 9. sic eam refellit: *Quemadmodum Borstius non patitur naturam accipi pro consuetudine, nisi probetur consuetudinem ex natura ortum habere, ut mox videbimus, ita nec naturam pro inclinatione accipi permittemus nisi demonstretur inclinationem illam à natura esse. Respondebunt enim Corinthii, se videre quidem in mulieribus inclinationẽ ad nutriendam comam, at eam à consuetudine & aliarum mulierum exemplo esse posse. Quemadmodum ad hanc vel illam vestis formam inclinantur homines, quamdiu eam in usu esse vident, postea eam abjecturi. Et viros quoque inclinari ad alendam comam, ubicunque id usitatum est, testabitur Rev. D. Iunius Pastor Delphensis, qui in insula cui formosæ nomen est, non nisi magno molimine ad muliebrem comam ponendam viros adducere potuit. Inclinationem ergo illam magis naturalem esse fœminis quam viris* NON LIQUET. Respondi ad hæc quæst. Text. 1. part. 3. Thes. 10. & dixi ad rationem viri docti, quod absurda sit. Verba mea erant.

„ Resp. Absurde. Nam similiter potero, dicere non esse inclinatio-
„ nis naturalis ut homo erectus incedat: sed ab exemplo. Item non
„ esse ab inclinatione naturali, ut homo sectetur societatem aliorum
„ hominum, sed ab exemplo. Item non esse ab inclinatione naturæ
„ ut homo in congressu maritali conspectum aliorum hominum re-
„ fugiat, sed ab exemplo. Et denique non esse ab inclinatione natu-
„ rali ut homo maxime refugiat ea peccata quæ specialiter peccata
„ contra naturam vocantur: Nec valet exemplum in contrarium al-
„ latum. Nam vestium formæ apud plærasque gentes indies mu-
„ tantur: at apud plęrasque gentes semper obtinuit, & etiam obtinet
„ ut mulieres inclinentur ad nutriendam comam. Respondet vir Cl.

Hanc (sententiam) *vir doctus disp. text. 3. Thes. 5. Probabilitate non carere statuit. Non habet ergo eam pro certa & indubitata, ac proinde ita eam* thesi 10. *defendit, ut tamen ejus recipiendæ necessitatem nobis imponere nolit, licet magno molimine eam ab argumentis in contrarium allatis conetur liberare.* Resp. si tantum probabilitate non carere dixi hanc sententiam, nec indubitam judicavi, eo facilius erit viro docto eam refutare: & si ejus recipiendæ necessitatem nulli im-

po-

ponam, eo turpius ipsi erit argumentis eam non posse convellere. 2. Addo non tantum hanc sententiam meo judicio esse probabilem, sed ita probabilem, ut ea quam vir doctus aut primus invenit, aut post paucos alios mihi incognitos amplexus est, (quam tamen indocti, idiotæ, sutores &c. Corinthii, sine ulla hæsitatione aut dubitatione qualicunque amplexi fuerint, ut in conscientiis suis convicti) infra hanc subsidat. Pergit. *Quam callide dissimulat, me argumentari hic exemplo Borstii, ut diserte* Thes. 9. *indicavi. Cur igitur in me non in illum torquet sua tela? Nam omnia quæ in me dicit, etiam in illum dici possunt, eum videlicet* absurde *rejicere sententiam illam, quæ naturam pro consuetudine accipit, quia multæ consuetudines non sunt a natura, sed ab exemplo. Nam eodem modo posse dici, non esse consuetudinis naturalis, ut homo erectus incedat, & reliqua quæ hic vir doctus addit. Quis non videt, idem me adferre contra naturam pro inclinatione, quod ille contra naturam pro* consuetudine *acceptam? & eadem vi ac soliditate qua ille (nam veram ejus ratiocinationem esse non dubito) argumentari? 2. Nec Borstius, nec ego ita inconsiderati sumus, ut vir doctus videri vult. Non ita argumentamur, rejiciendas esse has acceptiones, quia quædam vel inclinationes vel consuetudines sint ab exemplo, sed eas recipiendas non esse nisi probentur.* Resp. ad primum: 1. Callidè vir doctus mihi objicit CALLIDITATEM; sed frigidè probat. Nam demus ipsi quod ait ipsum idem adferre contra naturam, pro *inclinatione*, quod Borstius contra naturam pro *consuetudine* acceptam adducit: adeoque etiam in hunc dici posse quæ in virum doctum à me dicta sunt: minime tamen sequitur, mihi Borstium, quod ipse eum nominasset, seque ad modum ejus argumentari dixisset, nominandum fuisse. Nam scribebam ego contra virum doctum qui in me irruerat, non autem contra Borstium. Novum certe cudit hic axioma vir doctus, nimirum, iis qui scribunt nisi *callidi* haberi velint, non tantum refutanda argumenta eorum adversus quos scribunt, sed etiam nominandos omnes quos in societatem causæ, quoquo modo trahunt. An autem hoc axioma in posterum sit recipiendum nec ne alii viderint. Imprudens esse potui qui necessitatem hujus novi axiomatis non vidi, at non callidus. Meminerit vir doctus eorum quæ pag. libert. suæ. 50. 51. de æquitate erga alios observanda, dixit. 2. Sic argumentabatur vir doctus:

ctus Thes. sua 9. quę antea recitata fuit: (nam aliud, saltem non validius argumentum inde exsculpi potest) Quidquid non probatur esse *naturale*, id statuendum non est voce *naturæ* in dicto Paulino significari. Atqui inclinationem mulierum ad nutriendos capillos non probatur esse naturalem: Ergo. Majorem probat exemplo Borstii. Minorem vero, dupliciter, nimirum primo ab inclinatione ad hanc aut illam formam vestium ad quam inclinantur homines, quamdiu eam in usu esse vident; deinde ab inclinatione incolarum insulæ formosæ. Majorem non attigi nec ejus probationem, quia id mihi necessarium non judicabam: tantum ad minorem quę non est Borstii, sed viri docti solummodo, respondi. Eat nunc vir doctus & mihi *calliditatem* objiciat, dicatque omnia mea tela tam Borstium quam se ferire. Ad secundum: 1. Borstium recte argumentatum esse facile concedo. Nego tamen idem de viro docto dicendum, quia in probatione minoris defecit: ut qui inclinationem ad hanc aut illam formam vestium dum in usu est, cum inclinatione mulierum ad nutriendam comam composuit, cum tamen illa indies apud plæraſque gentes mutetur, hæc minime ut ipsa illa Thesi quam hic impugnat vir doctus, à me fuit indicatum. Pergit *Probatur autem argumento tali. Naturalis inclinatio potest dici natura. At in mulieribus ad alendam comam est inclinatio naturalis. Ergo ea potest dici natura. Hujus syllogismi negatur minor. Ad eam probandam tantum ostenditur in mulieribus ad hoc inclinatio, eam vero naturalem esse non ostenditur. Neque potest nisi hoc insulso argumento: Omnis inclinatio est naturalis. In mulieribus est talis inclinatio. Ergo ea est naturalis. Falsa est major, & infringitur iis inclinationibus quæ sunt ab exemplo. Eadem possunt accommodari ratiocinationi Borstii de consuetudine.* Resp. Quam infeliciter vir doctus minorem argumenti sui quod Paulo ante exhibuimus, probet jam visum fuit. Si recte probare voluisset non esse naturalem hanc inclinationem de qua loquimur, saltem vel unum aliquod signum adferre debuisset, unde naturalem non esse constare potuisset: præsertim cum Thomam summum Philosophum, alioſque viros doctissimos licet Pontificios hic se adversarios habere sciret. 2. Male dicitur, non probatum esse inclinationem illam mulierum esse naturalem: Nam cum inclinatio quæ ab exemplo est, ut ad hanc aut illam formam vestium,

stium, apud plærasque gentes indies mutetur: inclinationem in mulieribus ad nutriendam comam non ab exemplo, (ut vult vir doctus) sed naturalem esse oportet. Quoniam hæc (sicuti à me significatum fuit, & vir doctus postea significatum agnoscet) apud plærasque gentes semper obtinuit & etiamnum obtinet 3. male quoque dicitur ne quidem posse probari esse naturalem nisi insulso illo viri docti syllogismo. nam quomodo dici potest non posse aliter probari quod jam aliter probatum dederam? Verius dico non posse probare virum doctum inclinationem illam mulierum non esse naturalem sed ab exemplo; immo ne quidem auctorem alicujus nominis (ut arbitror) qui extra partes sit, cujus auctoritate novam hanc suam sententiam tueatur, adducturum. 4. Sed ut magis pateat me posse quod me posse negat, ei quam dedi rationi, etiam sequentes syllogismos adjicere libet. Itaque sic arguo 1. Quæcunque inclinatio contraria est ei quod natura dictat turpe & fædum esse, ea est naturalis. At talis est inclinatio mulierum ad nutriendas comas. Ergo. Major probatione non indiget. Minor patet ex Apostolo 1. Cor. 11. 6. *Nam si non operitur mulier idem esset ac si rasa esset. Nam si non operitur mulier, etiam tondeatur. Quod si* TURPE *mulieri* TONDERI *aut* RADI, *veletur.* Nec excipi hic potest Apostolum loqui de mulieribus tantum Corinthiacis, apud quas tonsura aut rasura non obtinebat, 1. quoniam illa limitatio non tantum in textu non est, sed etiam exploditur, cum dicitur OMNIS VIR, OMNIS MULIER. 2. Quia si ita est, mutato more non turpe sed decorum adeoque bonum erit mulieres radi. Sed, ut opinor, nullos inveniet vir doctus nisi inter gentes ab omni humanitate alienas, aut superstitiosos pontificios qui id credant. 2. Si coma mulieri à natura data est pro velamine: utique inclinatio mulierum ad nutriendam comam est naturalis. Sed verum prius. ergo & posterius. Probatur consequentia majoris. Quia hæc inclinatio per se subordinatur naturæ quæ mulieri dat comam pro velamine quo assequitur finem suum. Minor est apud Apostolum 1. Cor. 11. v. 15. *Nam coma pro velamine data est ei.* Nam dici hic nequit, Apostolum ad consuetudinem respicere cum ait: *Nam coma pro velamine dota est ei*, quia consuetudo non dat comas sed natura. Syllogismis hisce etiam addam auctoritates quasdam virorum

cru-

eruditissimorum, ex quibus pateat, ipsos sensisse inclinationem mulierum ad nutriendam comam esse naturalem, quod vir doctus negat. Calvinus itaque ad 1. Cor. 11. v. 5. sic loquitur. *Aliis rationibus nunc contendit indecoram esse capitis nudationem in mulieribus.* NATURA *inquit ipsa abhorret mulierem rasam cernere, fœdum est aspectu & monstri instar. Hinc colligimus comam à* NATURA *datam pro velamine.* Martyr ad eundem locum sic ait. *Argumentum ducit à communi sensu, quo judicatur indecorum esse, ut mulier caput radat. Possetque confirmari Apostoli sententia ex prono mulierum appetitu ad suos capillos servandos & ornandos usque ad vitium, quod gravissime à Patribus persæpe tractatur.* Musculus, *Communi sensu perturpe est, fœmina rasa, nec quicquam est à quo mulier magis abhorreat, quam à turpitudine. Sic enim natura comparata est ut cupiat placere viris.* Vide quoque Paræum & Piscatorem ad 1. Cor. 11. v. 6. Pergit, *Habet hic vir doctus argumenti tum Borstiani tum mei nervos, quos ipse nunquam labefactabit.* Si minor argumenti Borstiani non habet alios nervos & thoros quam viri docti, nullos habet. Nam viri docti minorem nullos habere, ex dictis constat. Pergit. *Unum hic diligenter considerandum est, videlicet virum doctum asserere quædam peccata specialiter contra naturam vocari, intelligit autem ea de quibus Paulus* Rom. 1. *Quod si verum est (ut certe est) non debuit specialis illa acceptio ita generalis reddi, ut applicetur comæ, barbæ, unguibus, quod fit à Poimenandro, quæ opinio non obscure hic à viro docto condemnatur.* Resp. *Unum* illud quod diligenter hic considerandum monet vir doctus, nulla consideratione dignum esse, apparebit lectori, qui consideraverit, cum ajo *quædam peccata specialiter contra naturam vocari*, qualia sunt quæ Rom. 1. recensentur, non asserere Apostolum derivatum vocis φύσεως Rom. 1. speciali ista acceptione sumsisse. Locutus sum de communi loquendi usu qui nunc obtinet. 2. Injuriam facere virum doctum Poimenandro, cap. 4. ostendi. Nimis itaque diligens hic fuit vir doctus. Non amo autem nimis diligentes. Dixeram cum confutarem minorem argumenti quod vir doctus disp. 2. thes. 9. attulit, non valere exemplum ab inclinatione ad hanc aut illam vestis formam, quamdiu in usu est: quia vestium formæ apud plærasque gentes indies mutantur, at apud plærasque gentes semper obtinuit, & etiamnum obtinet, ut mulieres inclinen-

nentur ad nutriendam comam. Ad hæc autem vir doctus ita respondet. 1. *Valet vel unum exemplum in contrarium ad infringendam propositionis alicujus universalitatem id autem hic factum est.* 2. *Vt in vestibus mire variant populi, ita etiam in coma fatente Poimenandro.* 3. *Probandum est viro docto vbique plaraſque & semper.* 4. *Si hoc ſufficiat ad inclinationem aliquam reddendam naturalem (in bonam partem accepta voce naturæ ut ſit à Paulo) ſequetur omnia primi mundi ſcelera fuiſſe ab inclinatione naturali, ideoque imitanda. Nam tunc non plaræque tantum gentes, ſed omnis caro corruperat viam ſuam, & perpetua impœnitentia in iis perſeverabat.* Reſp. 1. Adduxerat vir doctus inclinationem ad hanc aut illam formam veſtium quam diu in uſu eſt, ad probandam minorem ſuam: videlicet, *atqui inclinationem mulierum ad nutriendis capillos non probatur eſſe naturalem*, & quidem hunc in modum: quod poteſt ab exemplo eſse id non probatur eſſe naturale. At inclinatio illa mulierum ad nutriendos capillos poteſt ab exemplo eſſe. Ergo. Minorem rurſus hoc modo (nam aliter non potuit) probabat. Si inclinatio ad hanc aut illam veſtis formam dum in uſu eſt, eſt ab exemplo; ergo & inclinatio mulierum ad nutriendos capillos ab exemplo eſſe poteſt. Sed verum prius. Ergo. 2. Quæro ex viro docto quænam ſit illa propoſitio cujus universalitatem exemplo particulari infringebat. nam nulla erat quę ita infringenda eſset. Nuſquam enim dixi, omnem inclinationem eſſe naturalem. Vmbram ergo ſuam (etiamſi daremus verum eſse quod ait) oppugnavit vir doctus vel ad palum ſe exercuit. Ad ſecundum. 1. Nondum accepimus mire variaſſe mulieres in coma. Paucæ enim gentes ſunt in quibus mulieres tonſura aut raſura utantur, & ad cæteras in quibus mulieres ſecus faciunt, fere nullæ. adhæc, eæ apud quas mulieribus tonſura vel raſura in uſu eſt, plane barbaræ ſunt. 2. Poimenander cum ait mire variaſſe populos in coma, de viris non mulieribus loquitur. Vide eum pag. 118. at hic quæſtio eſt de inclinatione mulierum ad nutriendam comam. Adeoque teſtimonium hoc Poim. ſi amplectitur id vir doctus, non favet ei, ſed incommodat. Ad tertium. 1. Si non ſemper apud plæraſque gentes obtinuerit nec etiamnum obtineat, ut mulieres inclinentur ad nutriendam comam, indicet, nobis vir doctus ſęcula vel ſæculum, quibus vel quo mulieres vel apud omnes gentes vel apud plæ-

plæraſque, tonſura vel raſura uſæ ſint. Me quod attinet fateor mihi talia ſæcula incognita eſſe. 2. Videt hic opinor vir doctus me alia ratione probaſſe inclinationem mulierum ad nutriendos capillos eſſe naturalem, & diſſimilem inclinationi ad hanc aut illam veſtis formam quamdiu in uſu eſt, quam inſulſo illo ſyllogiſmo quem nuper nobis exhibuit. Nec tamen dicam id ipſum ſupra *calliđe diſſimulaſſe*; quod ipſum nuper mihi impingentem audivimus, quamvis cur id faceret, nulla ratio eſſet, ut à me ſatis ſuperque oſtenſum eſse arbitror, Ad. 4. Reſp. 1. Nulla eſt conſequentia. Niſi viro docto negare placeat, inclinationem qua mulieres inclinantur ad nutriendos capillos, eſſe licitam, aut ſaltem an licita ſit, dubium eſſe contendere velit, quod ſat ſcio ipſum non facturum. Nam alioqui ipſo judice Apoſtolus male aſſeruiſſet, mulieri gloriam eſse ſi comata ſit: item comam ipſi pro velamine datam eſse. 2. Recte ſequitur ex ratione qua vir doctus minorem ſuam (de qua antea) probare ſtuduit, ſumta ab inclinatione qua inclinantur homines ad hanc aut illam formam veſtium quamdiu in uſu eſt, nullas inclinationes eſſe naturales. Nam quod ait ſe illud exemplum attuliſſe ad convellendam univerſalitatem propoſitionis, neſcio ubi nate refutatum eſt. Ad ſecundam rationem qua probabat vir doctus minorem argumenti ſui antea exhibiti (ſumta autem erat ratio illa ab inclinatione virorum in Inſula Formoſa) hæc à me adducta fuere. 1. Non inclinantur ad hoc viri naturaliter, ſed inclinatione quæ naturali inclinationi contraria eſt, atque aliunde acceſſit. 2. Si ſufficit ad demonſtrandum quod res aliqua non ſit ab inclinatione naturali, quia reperiuntur in quibus contraria eſt inclinatio eſt: non amplius erit contra inclinationem naturalem, peccatum illud de quo Apoſtolus agit Rom. 1. & Moſes Gen. 19. Quia olim repertæ fuere gentes quibus peccatum hoc uſitatiſſimum eſſet, & nunc etiam reperiuntur populi, quibus peccatum hoc admodum familiare eſt, & à quo ne quidem ſeveritate legum, revocari multi poſſunt: immo inventus fuit inter Chriſtianos nimirum Ioannes Caſa Archiepiſcopus Beneventanus qui illud ſcripto publico (quod hic in Bibliotheca urbis aſservatur) laudaret: Item non amplius erit, contra inclinationem naturalem ſi quis ſe vulneret, quia inveniuntur gentes quędam quę cutem corporis ſui paſſim incidunt,

ut

» ut cicatricibus se ornent. Denique non erit usus matrimonii in » propatulo contra inclinationem naturalem, quia in novo orbe » gens quędam reperitur cui is familiaris est. 3. Vir doctus quem lau- » dat Rever. D. Iunium inutiliter sese fatigasse indicat, ponendo o- » peram in re non necessaria. Quoniam disp. 6. Thes. 15. ait ut ve- » stium sic nec capillorum Christianis ullam certam formam præ- » scriptam esse: Et tantum in utrisque legem humilitatis, modestiæ, » prudentiæ spiritualis & ædificationis proximi (quę in gente nutri- » tioni capillorum asueta per intonsos capillos virorum, nisi aliud » accederet, non violabatur, posito videlicet capillorum nullam cer- » tam formam Christianis esse præscriptum) esse observandam. An » autem hoc fasurus sit Rev. D. Iunius & agniturus quod neophy- » tos illos & quidem renitentes rebus inutilibus gravaverit, liberta- » tique eorum præjudicaverit, me latet. Ad hæc vir doctus, ita re- spondet. *Argumentum auctoris & exemplum Casæ prorsus præter casam fugit. Nam* 1. *non argumentatus sum à contraria inclinatione, quod facerem, si mulieres quæ raduntur induxissem, sed à simili vel potius eadem inclinatione, in iis de quibus vir doctus fatetur eam naturalem non esse.* 2. *Neque inde concludo inclinationem mulierum ad hoc non esse naturalem sed propositionem illam prosyllogismi de quo antea non esse generaliter veram, ideoque naturalem esse hanc inclinationem fœminis magis quam viris* NON LIQUERE, *ut expresse & literis majusculis in thesi posui.* Deinde de Casa nonnulla adfert (tum ut ait propter me qui distinguenda non distinguam, tum propter cavillationem ipsius Casæ, qui in epigrammate quodam, se calumniam à Sleidano pati conqueritur) nimirum quod laudarit scelus quod Apostolo notatum Rom. 1. 26. at illo de quo Apost: 27. se infectum fuisse fateatur. Resp. 1. An argumentum meum & exemplum Casę, præter casam fugiat: & non potius eam evertat videndum est. Sic argumentatus fuerat vir doctus: quidquid non probatur esse naturale id statuendum non est voce naturæ in dicto Paulino significari. Atqui inclinationem mulierum ad nutriendos capillos non probatur esse naturalem. Ergo. Majorem, ut ante quoque indicatum fuit, probavit exemplo Borstii. Minorem vero tum ab inclinatione hominum ad hanc aut illam formam vestium, quamdiu ea obtinet, tum ab inclinatione virorum in insula Formosa ad nutri-

endam comam. quam nulla autem prior ipsius ratio sit, visum est. Vt autem ea nulla est sic & hæc nulla censeri debet. Sic enim arguit. Si in aliquibus viris est inclinatio ad nutriendam comam, non probatur inclinationem mulierum ad nutriendam comam esse naturalem. Atqui in aliquibus viris, nimirum iis qui insulam Formosam incolunt talis est inclinatio. Ergo. Quis non videt si major viri docti admittatur, admittenda omnia illa absurda quæ ipsi objeci? Num simili modo arguam si in aliquibus est inclinatio ad peccatum illud de quo Rom. 1. Gen. 19. & quod Casa laudat, item ut se vulnerent, ut in propatulo congrediantur, non probatur peccatum illud de quo Rom. 1. Gen. 19. & quod Casa laudat, vulnerationem sui, usum matrimonii in propatulo, esse contra inclinationem naturalem. At qui verum prius. Ergo. 2. Argumentatur vir doctus non à simili nedum eadem inclinatione sed ab inclinatione contraria. Quamvis enim similitudo quædam objecti sit circa quod utraque inclinatio versatur (nam utraque versatur circa capillos) contrarietas tamen est ratione principii inclinationum de quibus agitur. Nam illa, nimirum mulierum est à natura, ut ostensum est. Hæc vero videlicet virorum, naturæ est contraria. Tendit enim ad id quod ἀτιμία est, & decoro quod qua tale est, fatente viro docto, indifferens non est sed bonum, opponitur. Inclinatio autem talis, non est à natura, nimirum sana, sed à corrupta, quæ sanæ est contraria. 3. Quod si existimet vir doctus à similitudine, imo ab identitate objecti circa quam inclinationes illæ de quibus loquimur versantur, recte probari, non liquere illam, nimirum mulierum non esse magis naturalem quam hanc videlicet virorum, me adstipulatorem non habebit. Alioqui enim pari ratione colligi poterit, inclinationem viri ad mulierem non magis esse naturalem, quam mulieris (qualis Sappho fuisse perhibetur) ad mulierem. Quia ut illa sic & hæc mulierem pro objecto habet. 4. prosyllogismum de quo hic loquitur vir doctus, puto esse cum quem exhibet pag. libert. 91. qui talis est: *Omnis inclinatio est naturalis. In mulieribus est talis inclinatio, ergo ea est naturalis.* Resp. 1. Non quæro quam recte hunc syllogismum vocet, prosyllogismum alterius qui præcesserat, cujusque hunc ibi confirmationem vocat; tantum quæro apud quem

vir

vir doctus eum legerit? An apud me? minime gentium. Non sum ita inconsideratus (ut verbis ipsius utar) ut tali sive syllogismo principali sive prosyllogismo uti velim. An apud auctores eos quos disp.text.p.1.thes.2. *naturam* in dicto Paulino pro inclinatione naturali accipere dixi, nimirum Lyranum, Thomam, Estium? At quis credat viros illos doctissimos, licet pontificios, ita parum in logicis versatos fuisse, ut putarent eum speciem aliquam justæ ratiocinationis habere posse? Nemo certe nisi aut imperitissimus sit, aut somniet. Dicet forte Poimenandrum ita argumentatum esse (nam disputat. 2.thes.8. quę hanc de qua nunc agimus immediate præcedit, ait etiam Poim. *naturam* pro naturali inclinatione sumere) sed, etiamsi omnes nervos intenderet (non dicam si rumperetur ut ipse de Poimenandro loquitur) non probaret unquam Poimenandrum insulso illo syllogismo usum esse aut uti debuisse. 2. Peto à lectore ut consideret thesin viri docti quam hic defendere nititur, & videat num in eo lateat hic prosyllogismus ad quem se respondisse ait; nullus dubito, quin quisquis id fecerit, judicaturus sit, virum doctum cum thesin illam scriberet de prosyllogismo illo nihil cogitasse, sed eum postra natum esse, cum nimirum videret argumentum quo probare conabatur, inclinationē de qua agebatur, ostendi non posse esse naturalem, non valere. Thesis ipsius hæc est. *Quemadmodum Borstius non patitur naturam accipi pro consuetudine nisi probetur consuetudinem ex natura ortum habere, ut mox videbimus, ita nec naturam pro inclinatione accipi permittemus, nisi demonstretur inclinationem illam à natura esse. Respondebunt enim Corinthii se videre quidem in mulieribus inclinationem ad nutriendam comam, at eam à consuetudine & aliarum mulierum exemplo esse posse. Quemadmodum ad hanc aut illam vestis formam inclinantur homines, quamdiu eam in usu esse vident postea eam abjecturi. Et viros quoque inclinari ad alendam comam, ubicunque id usitatum est testabitur Rev. D. Iunius Pastor Delphensis, qui in insula cui Formosæ nomen est, non nisi magno molimine ad muliebrem comam ponendam viros adducere potuit. Inclinationem ergo illam magis naturalem esse fœminis quam viris* NON LIQUET. Thesis autem hæc alios syllogismos non dat quam hosce. Quidquid non probatur esse naturale id admittendum non est voce *naturæ* apud Apostolum significari. Atqui non

probatur inclinationem mulierum ad nutriendas comas esse naturalem. Ergo. Major probatur exemplo Borstii. Minor hoc modo. Quidquid Corinthii dicere potuerunt esse ab exemplo aliarum fœminarum: item quod viris quibusdam cum fœminis commune est, id non probatur esse naturale fœminis. Atqui Corinthii dicere potuerunt inclinationem illam mulierum ad nutriendas comas esse ab exemplo aliarum mulierum, sicuti ab exemplo est inclinatio ad hanc aut illam formam vestis, quamdiu ea in usu est; & viris quibusdam cum fœminis eam communem esse testabitur Rev. D. Iunius Past. Delphensis exemplo Formosanorum Ergo non probatur inclinationem illam fœminis esse naturalem. Vel ut ipse loquitur, aliter concludens quam instituerat; *Inclinationem ergo illam magis naturalem esse fœminis quam viris non liquet.* 3. Ponamus κατὰ συγχώρησιν virum doctum jam tum cogitasse de prosyllogismo illo insipido, & altero illo principali quem exhibet p. 91. atque utrumq; hic redarguere voluisse, convincetur tamen adversariis argumenta affinxisse quę apud illos non legit, sed in ipsius cerebro nata sunt. At quantę laudis id sit lector judicet. 5. Quid vir doctus exemplo Formosanorum sibi propositum habuerit ostensum esse arbitror. 6. Vsus est vir doctus verbis *Inclinationem ergo illam magis naturalem esse fœminis quam viris non liquet.* sed 1. ut ut patet ex ipsius thesi absolute ante loquutus fuerat, nulla mentione τῦ *magis* facta. adeoque aliud concluſit, quam instituerat. 2. Demus quod ait, nihilo tamen melius inde ipsi erit. Nam sic argumentabitur, cujus rei inclinatio viris quibusdă cum fœminis communis est, eam non liquet magis esse naturalem fœminis quam viris. Atqui inclinatio ad nutriendas comas viris quibusdam, ut Formosanis, cum fœminis communis est, ergo. Nam subsumam ego sub majore, at etiam in quibusdam gentibus est inclinatio virorum ad viros, & mulierum ad mulieres, sicuti viris ad mulieres, & mulieribus ad viros: ergo inclinationem virorum ad mulieres, & mulierum ad viros, magis esse naturalem quam virorum ad viros & mulierum ad mulieres, non liquet. Sexcenta ejusmodi proferre possem. 7. Casa laudavit peccatum illud de quo Apostolus Rom. 1. 27. & confessus est teste viro docto se altero illo infectum fuisse; nec tamen secundum virum doctum hoc laudavit. Quasi vero ob-

obscœna ista confessio conjuncta laudibus peccati ejusdem generis, non sit laudatio. At inquit vir doctus non laudat hoc *expresse*. Sed cui bono? An ego dixi ipsum hoc *expresse* laudasse? sufficit ipsum illud quoquo modo laudasse, ut verum sit quod ipsi tribui. Mirum hujus viri est ingenium, ut qui doctissimũ & pientissimum virum Franciscum Iunium, non veretur atro carbone notare, nimirum quod de honestate pejus senserit quam saniores inter gentiles, cum tamen castigatissime loqueretur, verum nebulonem Casam, defensione præter casam fugiente, id est absurda defendat.

Vir doctus, ut ait, è diverticulo in viam rediens se omni conatu confert ad refutanda illa quę ad narratiunculam illam D. Iunii Pastoris Delphensis de viris Formosanis, dixi; aitque 1. *Denuo mihi expostulandum cum viro docto, quod hic me nominaverit, eos vero à quibus illam sententiam (nimirum ut vestium sic nec capillorum certam formam præscriptam esse) petii & quos in thesibus meis expressi tacitus prætereat, id enim quavis occasione in me reprehendendum putat. Auctores illi sunt Polyander citatus mihi disp. 6. thes. 15. & Borstius disp. 4. thes. 8. 2. Quod dico nec vestium nec capillorum ullam certam formam Christianis præscriptam esse ex eo non sequitur vel viris muliebrem, vel mulieribus virilem convenire, id quod expresse negavi* disp. 4. Thes. 3. *& facile à viro docto huc accommodari poterat. Sed salvo hoc discrimine ac lege modestiæ &c. in utrisque variari. Si secus senserit vir doctus, doceat nos quæ sit illa forma vestium v. g. quæ Christianis præscripta est. Nam eam qua nunc utitur à Christo præscriptam esse dicere non audebit. Periclitabitur ergo Christianismus nostер nisi hac de re plenius instruamur. Verum hoc nos fasce levavit Clariss. ejus collega disp. 4. de excelsis mundi ad 7. præceptum* thes. 1. *probl. 7. An omnibus ac singulis viris ac fœminis una & definita ratio vestium quoad materiam & formam præscribi debeat. Neg. non quoad materiam: quia non omnis fert omnia tellus, ut alias rationes præteream. Non quo ad formam, quia forma quæ huic vocationi & vitæ generi maxime apta & commoda est alteri minus apta & commoda est. Nequid dicã de mutationibus temporum & occasionũ quæ huic homini mutationẽ vestiũ decore suadent & concedunt, alteri extra occasiones constituto non concedunt.* Resp. Ad primum iniquam esse hanc expostulationẽ ostensum est cum ageretur de callida dissimulatione quam mihi tribuit. 2. Quod si vir doctus merito me nunc *callidæ*

dis-

dissimulationis arguit, nunc juste me accusat, quid Poimenandro dicere licebit? Vir enim doctus quum ab ipso lacessitus non esset, (uti nec à me, ipse in nos prior incurrit, ne quidem præteritis nominibus) eum tamen quavis occasione reprehendendum duxit, nec tantum ob dicta, sed etiam non dicta, uti me planum fecisse arbitror. 3. Nesciebam ego Borstium dixisse nullam certam capillorum formam præscribi posse. Nec id me nunc docet vir doctus disp. 4. thes. 8. ad quam me remittit, nam ibi nihil tale invenio. Si quis quid hac de re senserit Borstius videre velit adeat conc. pag. 19. & 57. Nesciebam quoque Polyandrum idem docuisse. Licet enim dicat judicii sui pag. 48. Apostolum non definire quousque sit tondenda coma virilis, pag. tamen 64. acriter invehitur in eos qui capillis suis non tantum capita tegunt, sed etiam frontem, genas, oculos atque aliquam nasi mentique partem, ac si turpia atque inhonesta corporis sui membra essent. Videt ni fallor vir doctus Polyandrum, determinatione saltem negativa, præscribere certam aliquam capillorum formam. ejus enim quam damnat, capillorum formam contrariam sequendam docet. Prætereo quæ habet idem Polyander pag. 16. Vbi *turpem, ignominiosam, nefariam* tonsuram & rasuram mulierum vocat. Ad secundum. Contradictoria sunt nullam certam posse præscribi capillorum formam: & aliquam certam posse prescribi capillorum formam. utrumque tamen statuit vir doctus primum thes. 15. disp. 6. alterum hic, cum ait *non convenire vel viris muliebrem, vel mulieribus virilem formam capillorum*. Idem se docuisse ait disp. 4. Thes. 3. 2. Cum vir doctus certam aliquam capillorum formam præscriptam ait, evertit hypothesin suam, qua statuit formas capillorum esse ex indifferentium numero, & induere vel bonitatem vel malitiam ex more qui sit regula decori. Hinc enim fluit, si more receptum sit ut vir & mulieres eadem forma capillorum utantur, id non tantum licitum sed etiam necessarium esse. Quia ut alibi ait, res indifferens ratione decori moralis quod ipsi accedit non amplius est indifferens. 3. Vir doctus cum ait viris muliebrem, & mulieribus virilem formam capillorum non convenire: & fatetur disp. 2. Thes. 9. virorum insulæ Formosæ comam muliebrem fuisse, tacitus agnoscit ex inclinatione virorum insulę Formosæ non probari inclinationem mu-

lie-

lierum ad nutriendam comam naturalem non esse sed naturali contrariam. Nam alioqui valebit & hæc ratiocinatio: in quibusdam gentibus viri ad viros admodum inclinantur, ergo inclinatio mulieris ad virum non probatur esse naturalis. 4. Quę de vestium formis, hic vir doctus admiscet prætereo; nam disputatio nostra erat de inclinatione virorum insulę, Formosę ad nutriendā comam. Quod si tamen verum est quod ait, Erasmum quem vocat *rigidum morum censorem* & quo nititur, impugnat. vide caput. 32. Pergit: *Quod negat violari legē humilitatis, modestiæ, prudentiæ &c. per nutritionem capillorum ab iis gentibus quæ ei assuetæ sunt, nisi aliud accedat recte autumat. Nam hic aliud accedit.* 1. *Quod capilli virorum, addo & vestes muliebres erant.* 2. *Quod iis utebantur in Ecclesia præsente ministro, qui modestius cultus erat, quo secundum quosdam spectat quod dicitur,* 1. Cor. 11. 10. Δια τὰς ἀγγέλους. 3. *Quia membra ejusdem Ecclesiæ Belgicæ nationis alium & decentiorem vestium, ac capillorum modum observabant.* 4. *Quia iis concordabant Ecclesiæ vicinæ, in quibus mos ille indecentior jam abrogatus erat. Non ergo neophytos illos, licet non nihil propter veterem consuetudinem renitentes, monitis tamen pastoris sui obsecundantes, rebus inutilibus gravavit, aut libertati eorum præjudicavit Iunius. Et hæc satis ad duas primas disputationes.* Resp. 1. Non negavi violari ex sensu meo legem humilitatis, modestiæ, prudentiæ &c. nisi aliud accederet, à viris insulę Formosæ, sed ex hypothesi viri docti qui *nullam* certam *capillorum formam* præscriptam esse dixit. 2. Quę dicit accessisse nullius momenti sunt. Nam primum quod attinet; sibi contradicit dum distinguit inter virilem & muliebrem capillorum formam, & hanc in viris Formosanis damnat, & tamen ait *nullam* certam capillorum formam præscriptam esse. Deinde etiam cum hic distinguit inter virilem & muliebrem capillorum formam: & tamen postea consuetudinem decori regulam esse ait. Si enim non obstante consuetudine, virorum Formosanorum coma muliebris erat, quomodo consuetudo regula decori erit? Quantum ad secundum: 1. nesciebam ego ministrum in iis quę præscripta non sunt, esse normam & mensuram ad quam se in talibus Ecclesia componere teneatur. Certe si hoc valet, omnes viri Ecclesiæ Poimenandrianæ, se componere tenebuntur ad formam tonsurę quam ipse cum collegis servat. Nec tantum

tonsuræ sed etiam vestium, qua ille cum collegis utitur. Locum ad Corinthios quod attinet is varie exponitur; nec dicit is, necesum esse Ecclesiis, ut se componant *ad modum ministri in iis* de quibus nihil prescriptum sit. Ad tertium: Nesciebam quoque paucos aliquos extraneos, indigenis posse statuere modum in iis de quibus nihil præscriptum sit. Nam ut antea monuimus, vir doctus *nullam certam vestium & capillorum formam præscriptam esse* ait. Putabam ego potius paucos extraneos, se componere debere in talibus ad modum indigenarum plurium, quam indigenas ad modum paucorum extraneorum. Nec refert quod ait Belgicæ nationis membra alium & decentiorem vestium & capillorum modum observasse: nam nescio quomodo major vel minor decentia locum habere possit in iis de quibus nihil prescriptum est, presertim in gente, huic vel illi formæ capillorum assueta. Ad quartum: 1. velim scire ex viro docto, quænam illæ Ecclesiæ vicinæ essent, in quibus mos ille indecentior abrogatus esset, & an mutuum inter illas & Ecclesias Formosanas commercium esset: Nam non novi *Ecclesias* quæ Formosanis ita vicinæ sint. 2. An necessarium sit ut ecclesia una imitetur aliam, in iis de quibus nihil præscriptum est. Nam hactenus id non credidi, nec ullius (quod sciam) reformatorum Theologorum. 3. Mirandum illud quod vir doctus de neophytis *nonnihil* pastori suo *renitentibus* hic narrat; ut qui disp. 2. Thes. 9. ait. *Testabitur Rev. D. Iunius Pastor Delphensis qui in insula cui Formosæ nomen est*, NON NISI MAGNO MOLIMINE *ad muliebrem comam ponendam viros adducere potuit*. Gravavit Rev. D. Iunius & quidem magno molimine, si verum est quod vir doctus ait, nimirum nullam certam capillorum formam Christianis præscriptam esse, neophytos Formosanos rebus inutilibus & quidem non tantum *nonnihil*, ut nunc loquitur sed etiam *valde* renitentes, (nam non nisi *magno molimine*, quod volebat consequi potuit) & eorum libertati præjudicavit, quandoquidem in gente nutritioni capillorum assueta, per intonsos virorum capillos, illa viri docti humilitatis, modestiæ, prudentiæ spiritualis, & ædificationis lex, si verum est quod ait de nulla certa capillorum forma præscripta, non violabatur. Ex hisce liquet virum doctum quæ de inclinatione naturali à me disputata sunt, convellere non potuisse. Placet autem antequam finiam

finiam hic repetere judicium Cl. Voſſii quod exſtat in Epiſt. ad Nobiliſs. Salmaſ. quæ epiſtolæ hujus de coma ſubjungitur. id autem tale eſt. *Naturalis interim inclinatio docet, turpe eſſe viro, ſi mulierum inſtar in lumbos dimittat capillos.*

CAPUT XIX.

Mutilatio. ænigma. felicitas rara. De diſtinctione conſuetudinis naturalis, & nudæ ſive arbitrariæ. Tergiverſatio. ἀκριβία. Jocus intempeſtivus. Adverſarius qui erat non inventus. Sapientia præpoſtera. Aſſertio audax refutata. Tergiverſationes. Argumentum proſtratum iterum jugulatum. Apagoge. omiſsio. gratulatio. perſpicacia mira. mira præterita. Poſtulatum injuſtum. foris operoſe quæſitum quod domi habebatur. Confeſsio auctoris de Poimenandro. Silentium viri docti. Triumphus auctus.

PRogredior ad vindicias, quæſt. mearum Text. primæ, partis tertię Theſ. XI. unde exordium ducit, partis memoratæ continuatio prima. Agitur autem theſi illa de quinta ſecundum virum doctum acceptione vocis naturę, quę jubet, ut naturam pro conſuetudine accipiamus. Theſi ea reſpondebatur ad quædam à viro docto diſp. de coma 3. Theſi 2. allata, nimirum: *Interim à conſuetudine non niſi infirmum argumentum peti, non concedimus. Nam Paulus ipſe ab ea argumentum petit* v. 16. *quod enim additur de promiſcua multitudine, reſpondebitur non eſſe in textu, ideo nihil ad rem facere*: Et quidem hoc modo. Sequitur quinta acceptio vocis naturæ quæ jubet ut naturam pro conſuetudine acciamus. Hac de acceptione agit vir doctus diſp. 3. de coma Theſ. 1. & 2. Ego autem de ea egi diſp. Tex. p. 1. Theſ. 3. & ſeqq. Et diſtinxi conſuetudinem, in naturalem & nudam ſive mere arbitrariam. Diſtinctionem autem hanc attuli ut mentem Calvini commentantis ad 1. Cor. 11. v. 14. explicarem, eumque à contradictione liberarem, atque oſtenderem illum non facere pro iis qui voce naturę conſuetudinem mere arbitrariam intelligendam volunt. Deinde miſsa facta conſuetudine naturali, variis argumentis (quorum auctor hic quædam adfert) docui loco Apoſtoli 1. Cor. 11. v. 14. non poſse intelligi nudam ſive mere arbitrariam. Adeo ut auctor hic quæ à me dicta ſunt, minus plene quam opor-

» tebat, exhibeat. cum ait: Quinto per naturam sunt qui intelligi ve-
» lint consuetudinem. Hæc sententia tribuitur Calvino, qui in hunc
» locum scribens, quod omnium inquit consensu & consuetudine
» receptum erat, & quidem apud Græcos, vocat naturale, & similia
» habet Salmero. Hæc explicatio refutatur à Dematio disp. 1. Thes.
» 5.7.8.9. Rejicit autem auctor hic sententiam eorum qui per natu-
» ram consuetudinem intelligunt. Ne autem mecum omnino face-
» re videretur, male à me dictum esse ait, non nisi infirmum duci ar-
» gumentum à consuetudine. Sed nescio quid ipsi in mentem vene-
» rit, quod mihi hac de re litem moverit. Nam clare patet impugna-
» re me eos qui per naturam nihil nisi consuetudinem nudam vel
» arbitrariam 1. Cor. 11. 14. intelligunt. Vide disp. Text. p. 1. Thes.
» 5. & 6. circa finem. & porro Thesin 8. ratione 5. & aserere non
» duci firmum argumentum à tali consuetudine præsertim promis-
» cuæ multitudinis, ut quę sæpe vitiosa est. Nam si quidem merito
» se mihi opponit, hoc axioma illi approbandum erit. Quidquid
» consuetudine recepta & inveterata obtinet ab eo firmum petitur
» argumentum. Atque adeo ipsi probanda erit polygamia, idolola-
» triaque veterum, atque adeo omnes illæ superstitiones, quæ diu in
» Ecclesia Romana obtinuere & etiamnum mordicus ab ea retinen-
» tur, atque alia nefanda quam plurima. Sed ait; Petit Apostolus ar-
» gumentum à consuetudine 1. Cor. 11. v. 16. R. An à nuda & mere
» arbitraria consuetudine de qua ego disputabam? Certe si hoc sibi
» velit tale erit argumentum Apostoli: quidquid consuetudo mere
» arbitraria probat id sequendum est. At consuetudo mere arbitra-
» ria probat ne simus contentiosi. Ergo. Quis majorem hujus ar-
» gumenti (ne de minore dicam) approbet? 2. Non argumentatur
» Apostolus à nuda & mere arbitraria consuetudine. Verum à con-
» suetudine sua collegarumque & Ecclesiarum Dei. Inquit enim
» quod si quis videtur contentiosus esse, ejusmodi consuetudinem
» non habemus neque Ecclesiæ Dei. Aliud autem est argumentari
» à consuetudine Apostoli collegarumque ejus, & Ecclesiarum Dei:
» aliud vero à consuetudine nuda, mereque arbitraria promiscuæ
» multitudinis. Dicit quidem vir doctus id quod additur de promis-
» cua multitudine non esse in textu. R. At quis dixit esse in textu?
» Immo ne quidem in textu esse potuit, si modo Apostolum recte

ar-

» argumentatum non diffiteamur; aut verum est, ut verissimum est
» quod ego dixi, videlicet Apostolum voce naturæ non significasse
» nudam consuetudinem. Ex hypothesi illorum contra quos disputabam, quod dicitur de promiscua multitudine, afferebam. Sed
» quid hisce immoror, videantur Theses meæ: illæ me absolvent à
» censura hac, & auctorem hunc cum scriberet aut ἀοχάσία aut (quod
» tamen de ipso suspicari nolim) aliquo affectu non probando labo-
» tasse clamabunt. Ad hæc vir doctus sic ait *In hisce viro docto displiceret primo quod sententiam suam, ut ait, minus plene proposuerim. Distinxisse enim se inter consuetudinem naturalem & mere arbitrariam, quam postremam loco Apostoli non convenire docuerit. Resp. me hoc omisisse nego. Videatur extremum primæ theseos, nisi quod Borstium ibi nominavi, apud quem id non inveni, licet utriusque scopo illustrando faciat, qui fuit, Calvini sententiam mitigare, & eum ab hac expositione vocis naturæ segregare. Vidi hoc cum eam disputationem scriberem, ideo sententiam illam non Calvini esse sed Calvino tribui dixi. Recte an secus ibi non disputavi, nec hic disputo, ubi sufficit hanc explicationem etiam inter alias afferri, & Calvinum pro ea citari quod vir doctus non negat, imo disp. text. p. 1. thes. 3. Salmeroni quoque eam tribuit ac eum quidem scrinia quidem Calvini compilasse, minime tamen perinde ac Calvinum explicari posse existimat. fidem ergo meam hic liberavi.* Resp. 1. Cui in mentem venire poterat Borstio nominato, mea plene exhiberi? 2. Inveneritne nec ne vir doctus distinctionem illam apud me nescio esse tamen affirmo: sed hac de re paulo post agendum erit. 3. Non quæritur quomodo vir doctus de Calvino aut Salmerone locutus sit, sed utrum mea plene ut oportebat, exhibuerit; quod nego. Pergit. 2. *Ad censuram meam, quam vocat, in ipsius argumentum, accedit. Ait autem se eo loco eos impugnare qui per naturam nihil nisi consuetudinem nudam vel arbitrariam intelligunt, & remittit nos ad disp. text. p. 1. Th. 5. & 6. circa finem, & porro Thes. 8. ratione 5. Resp. Loca illa evolvi, & nihil in illis nec de nuda nec de arbitraria consuetudine dictum inveni. sed de recepta & confirmata, imo ad thesin ejus tertiam regressus, ubi status quæstionis formatur, reperi eum istis verbis poni. Alii naturam Apostolum vocare volunt consuetudinem, ita & initio hujus Theseos (quæ ei numeratur XI.) Sequitur quinta acceptio vocis naturæ, qua jubet ut naturā pro consuetudine accipiamus. Nusquam*

nec nuda *nec* arbitraria *comparet. Nec ea verba vel apud Calvinum vel apud Salmeronem reperiuntur. Vnde apparet, & recedere auctorem à statu quæstionis, & citare ea quæ nusquã exstant, & sine adversario bellacem esse. De promiscua multitudine quam* th. 8. *agglutinat mox agemus.* Resp. 1. Mirum est viro docto sponte sua sese offerre quæ mihi obesse judicat, cum ne quidem monitus videat quæ mihi prosunt. Indicavi ipsi disp. Text. p. 1. Th. 5. & 6. circa finem & Thesin 8. ratione 5. ut intelligeret me non simpliciter dixisse, à consuetudine non nisi infirmum argumentum duci, sed impugnare me eos, qui per naturam nihil nisi consuetudinem nudam vel arbitrariam intelligunt; & asseruisse non duci firmum argumentum à tali consuetudine: & tamen nihil horum invenisse se affirmat. Sed faxo, si vir doctus videre aut nolit aut nequeat, ut lector qui extra partes est, id videat. Thes. 4. disput. paulo ante indicatę hoc agebam ut ostenderem Calvinum per naturam in dicto Paulino non intelligere consuetudinem nudam vel mere arbitrariam, sed talem cui sensus naturæ præsit; Vbi inter alia hęc occurrunt: Videtur enim velle Calvinus Apostolum non aliter consuetudinem vocare naturam, quam quia jam confirmata & judicio hominum approbata, & contraria quasi damnata erat: sed responderi potest Calvinum consuetudinem jam confirmatam & approbatam, ab Apostolo naturam vocari censuisse non simpliciter quia jam confirmata & jam approbata erat, sed quia ex naturę sensu profluxisset, judiciumque quo illa approbabatur, sensui naturæ consentanea (*scribendum*) consentaneum esset. At quæso quid aliud est *consuetudo* quæ non aliter est id quod est, *quam quia confirmata & judicio hominum approbata est*, quam mere arbitraria: & consuetudo quę *ex naturæ sensu profluxit*, quam naturalis? quoniam itaque non illo sed hoc sensu à Calvino naturam consuetudinem appellatam dico; an non ipsum per naturam intellexisse consuetudinem naturalem, non mere arbitrariam significo? Præterea etiam hæc ibi inveniuntur: Quoniam enim Calvinus hic dicit, à natura dari comam pro velamento, item comam esse naturale velamen, & per naturam ut ex textu liquet, intelligit non NUDAM consuetudinem sed ordinem à Deo in natura statutum: dici posse non videtur, cum naturam v. 14. interpretatur consuetudinem jã firmatam, eum per naturam intellexisse

» lexisse. consuetudinem NUDAM judicio hominum approbatam.
» Præsertim cum initio commentarii ad versum 14. dicat: iterum na-
» turam illis decori magistram proponit, Naturam vid. de qua antea
» locutus fuerat, adeoque non NUDAM consuetudinem. Nam NU-
» DA consuetudo decori magistra non est. An non videt hic vir do-
ctus NUDAM consuetudinem? item mere arbitrariam quid enim aliud est *nuda* consuetudo *judicio hominum approbata*, quam consuetudo & mere arbitraria? Thes. vero. 5. accedens ad sententiam Salmeronis qui etiam in dicto Paulino consuetudinem per naturam intelligit, dixi me minime existimare eum perinde ut Calvinum explicari posse. Vnde facile videre potuisset vir doctus si voluisset, thesin eam cum precedenti conferre, me existimasse Salmeronem loqui non de *naturali*, sed de *nuda* vel *arbitraria* consuetudine. Imo vero si modo attente thesin illam ipsi legere libuis-
» set, invenisset me ibi dicere de Salmerone; Aperte postea osten-
» dere videtur Apostolo nihil aliud esse quam consuetudinem.
Quid autem est consuetudo quę nihil aliud est quam consuetudo,
» quam nuda vel arbitraria consuetudo? Thesi 6. hæc occurrunt.
» Adeo ut hic magnopere laborandum non videatur, ut despiciatur
» quænam harum sententiarum (quamvis non diffitear alias aliis
» magis esse probabiles ut forte in progressu ostendetur) reliquis sit
» præferenda: modo teneatur eam non admittendam videri, quę sta-
» tuit, per naturam NIHIL NISI consuetudinem receptam & confirmatam, esse intelligendum. Puto autem consuetudinem quæ *nihil est nisi* consuetudo recepta & confirmata, esse nudam vel mere arbitrariam consuetudinem usu roboratam. Postea thes. 7. & 8. hanc consuetudinem, quam antea aliquoties *nudam* consuetudinem, consuetudinem quæ *nihil aliud sit* quam consuetudo judicio hominum approbata &c. vocaveram, oppugno, fatente id viro docto, (nam hæc est quam oppugno) disp. 3. de coma Thes. 1. & 2. & expugno disp. Text. p. 1. Thes. 7. 8. 9. Denique Thesi 8. ratione 5. occurunt hæc: *Quod si Apostolus per φύσιν* præcise *intellexerit morem apud Corinthios receptum & confirmatum infirmum* &c. Videt utique (ut opinor) vir doctus, aut si vir doctus nondum videre potest, lector, apud me inveniri quod dixi de consuetudine nuda vel arbitraria. 2. Ait se invenisse dictum à me de consuetudi-

ne

ne *recepta & confirmata.* Resp. Verum hoc est: sed non satis: nam etiam si voluisset à me dictum invenisset, de consuetudine *nuda*, vel *arbitraria*. 3. Lepide ait se regressum ad thesin 3. disp. dictę reperisse statum controversię, à me illis verbis poni: *Alii naturam Apostolum vocare volunt consuetudinem:* & initio hujus Theseos, quę mihi sit x1. me his uti verbis, *Sequitur quinta acceptio vocis naturæ, quæ jubetur naturam pro consuetudine accipiamus*: & nusquam vel *nudam* vel *arbitrariam* comparere. Nam th.3.disp.dictę propono acceptionem, quę mihi quarta erat vocis *naturæ* in dicto Paulino. Deinde non omnes qui hanc acceptionem amplectuntur, sc eodem modo exponere significo. Quid Chrysostomus per *consuetudinem* intellexerit thesi eadem indico. Quid Calvinus, tum thesi eadem, tum thesi 4. in qua aliquoties expresse *nudæ* consuetudinis memini. Quid Salmero Thes.5, Vbi inter alia dico mihi videri quod ipsi *natura* in dicto Paulino nihil aliud sit quam consuetudo. Thesi 6. sub finem sententiam hanc Salmeronis repudio: & Thes.7.8.9. argumentis convello. Quæ cum ita sint, merito thesi quam hic oppugnat vir doctus, quaque propono quintam secundum virum doctum vocis naturæ acceptionem, nimirum quę jubet ut naturam pro consuetudine accipiamus; & mox me distinxisse inter consuetudinem naturalem & nudam sive arbitrariam ajo, queror hoc à viro docto in recitatione sententię meæ omissum esse. Accusavit me aliquando tergiversationum vir doctus: verum ipsum hic tergiversari, & vehementer quidem, judicabunt, ut existimo, omnes qui oculos habent, eosque ad lucem non claudunt. 4. Ridicule dicit apud Calvinum verba illa consuetudinis *nudæ* vel *mere arbitrariæ* non occurrere: Nam 1. non quæritur hic utrum apud Calvinum occurrant, sed utrum apud me inveniantur, in explicatione sententiæ Calvini. Occurrere autem apud me tum formaliter tum æquipollenter ostensum est. 2. Quomodo apud Calvinum occurrerent? ut quem dico mihi videri cum naturam interpretatur consuetudinem, de consuetudine nuda judicio hominum approbata, non esse locutum, sed de consuetudine quæ ex sensu naturę profluxerit. ἀφασία hæc gemina est illi quam thesi mea x1. ipsi objeci. 5. Frustra est cum ait apud Salmeronem non occurrere. Nam à me apud illum verba illa formaliter occurrere assertum non fuit.

Quam-

Quamvis æquipollentia ipsum iis habere, mihi videri significaverim. 6. Hinc absurdè concludit, me recedere à statu quęstionis, & citare ea quæ nusquam exstant, & bellacem esse sine adversario. Nam primum horum falsum est. Alterum itidem falsum. Tertium præter falsitatem etiam jocum intempestivum habet. Peto à viro docto, ut aut subvertat ea ob quæ dixi Salmeronem mihi videri perinde ut Calvinum exponi non posse, & ubi hoc præstiterit (si ita videbitur) neget esse quempiam, qui eo sensu quo Salmeronem interpretatus sum, vocem naturę in dicto Paulino sumserit, ut vere me bellacem sine adversario esse jactet; Verius dicam de ipso, quod adversarium non invenerit, causam fuisse quod videre noluerit. Progreditur vir doctus ad alia & irruit in hæc theos meę verba. Si quidem merito se mihi opponit, hoc axioma illi approbandum erit: Quidquid consuetudine recepta & inveterata obtinet, ab eo firmum petitur argumentum. Et Respondet: *Nimirum hoc est sapere! ipse negat à consuetudine peti firmum argumentum. Indefinita propositio est, quam oportet æquipollere universali, si argumentum legitimum nectere velit, vitiose enim concluderet ex particulari. Sentit ergo ex* nulla *consuetudine posse duci firmum argumentum. Vt me illi opponam, non opus est me dicere, ex* omni *consuetudine duci firmum argumentum, sufficit enim ut dicam* ex aliqua. *Vt sciunt logicorum pueri? perquam ergo inane est quod hic adversus me intulit.* Resp. 1. Certè sapuit vir doctus, qui negavit, cum dicerem ex consuetudine non peti firmum argumentum, me de consuetudine *nuda* sive *arbitraria* esse locutum. Sed sapientiam illam frustra ab illo adhibitam esse jam ostensum est. 2. me dixisse à consuetudine non duci firmum argumentum (sine ullo addito) repetit quidem audacter vir doctus, sed non ostendit aut disput. 3. de coma Th. 2. ubi hac de re agit; aut hoc loco, ubi id à me affirmatum sit. 3. Expressis verbis dico disp. Text. p. 1. Thes. 4. Nam NUDA consuetudo decori magistra non est. & rursum Thesi 8. ratione 3. Quod si Apostolus per φύσιν PRÆCISE, intellexerit morem apud Corinthios receptum & confirmatum, infirmum futurum videtur argumentum Apostoli, probavit (scribendum probabit) enim non esse decorum mulierem non velatam Deum orare, quia consuetudo recepta docebat viro esse dedecori, si comatus sit. At à consuetu-

» dine, præsertim promiscuæ multitudinis consuetudine, non nisi
» infirmum ducitur argumentum. Hic certe dico à consuetudine non nisi infirmum duci argumentum, sed non sine addito. Primo enim utor adverbio *præcise* deinde, addo: *præsertim promiscuæ multitudinis*, adeoque significo non duci firmum argumentum à consuetudine ut consuetudo est, & quidem tali quæ promiscuæ multitudinis est, cujus plærique gentiles erant. 4. Hinc infero, viro docto, si quidem se mihi opponere velit, statuendum, firmum duci argumentum à *nuda* consuetudine, à consuetudine *præcise* sumta, *præsertim promiscuæ multitudinis*; adeoque hanc propositionem ipsi esse agnoscendam: Quidquid consuetudine *nuda*, consuetudine *præcise* sumta, *præsertim* tali quę est *promiscuæ multitudinis* receptum est, illud licitum est. Nam quomodo quęso, ni sic statuat, à tali consuetudine firmum ducet argumentum? 5. Tergiversationes ergo sunt quæ adfert, non autem responsiones. Nam 1. certe nego à consuetudine peti firmum argumentum, sed consuetudine *nuda*, *præcise* sumta, *præsertim promiscuæ multitudinis*. 2. Indefinita propositio hic æquipollet universali, sed in genere consuetudinis *nudæ*, *præcise* sumtæ, *præsertim promiscuæ multitudinis*. 3. Sentio ex nulla tali consuetudine firmum duci argumentum. 4. Vt se mihi opponat, & statuat ex consuetudine tali duci firmum argumentum, si modo argumentari velit: necessum est ut majorem illam de qua dictum est ponat. Nisi à puris particularibus procedere velit. Quod perquam inane esset, ut sciunt logicorum pueri, Pergit, *Oppositionem meam inde demonstravi quod Apostolus argumentum à consuetudine petat* 1. Cor. 11. 16. *Hic repetit vir doctus quæ de* nuda & mere arbitraria *consuetudine exceperat, quæ non est operæ pretium convellere.* Resp. Convulsisset vir doctus si potuisset. Pergit: *Dicit porro* argumentari *Apostolum à consuetudine sua collegarumque & Ecclesiarum Dei quod aliud est quam argumentari à consuetudine nuda mereque arbitraria promiscuæ multitudinis.* Resp. *Dicta non repetam. Sed agere Apostolum de consuetudine promiscuæ multitudinis, quod vir doctus hic negat, patet ex textu & ipsius viri docti verbis. Quid enim aliud erant* Ecclesiæ Dei *oppositè ad* Apostolos *& ejus collegas, quam promiscua fidelium multitudo? Ita se ipsum refellit vir doctus.* Resp. 1. Etiamsi centies sua repeteret nihil tamen proficeret. 2. Dixi Apostolum non

argu-

argumentari à nuda vel arbitraria consuetudine (quod omisit) verum à sua, collegarumque & Ecclesiarum Dei. adeoque patet (quandoquidem illud vir doctus negare non audet) non argumentari à *nuda* consuetudine, à consuetudine *præcisè* sumta, *præsertim promiscuæ multitudinis*, de qua si quid ad rem dicere voluisset, mihi litem movere debuisset. 3. Non dixi Ecclesias Dei oppositè poni ad Apostolos & ejus collegas, hoc enim nullum sensum dat; unde existimo mendum hic typographicum esse; sed argumentari Apostolum à consuetudine sua collegarumque & Ecclesiarum Dei. 4. Nisi viro docto libuerit promiscuæ multitudini annumerare, Apostolos, Prophetas, Euangelistas, pastores, & presbyteria, vel statuere non ab his, sed ab Ecclesiis oppositè ad Apostolos, Prophetas, Euangelistas, pastores & presbyteria argumentari Apostolum, sine addito non poterit dicere Apostolum argumentari à consuetudine promiscuæ multitudinis 5. Per promiscuam multitudinẽ ego intellexi plebem Corinthiacam in communi, in qua plærique gentiles erant. ut patet ex Text. p. 1. Th. 8. ubi promiscuæ multitudinis memini. Non ergo me ipsum refello, sed vir doctus æquivocatione elabi nititur. Pergit: *Dixerã in Thesi, quod enim additur de promiscua multitudine respondebitur non esse in textu. Hic vir doctus: at quis dixit inquit esse in textu? Imo ne quidem in textu esse potuit, si modo Apostolum rectè argumentatum non diffiteamur: aut verum est (ut verissimum est) videlicet Apostolum voce naturæ nõ significasse nudam consuetudinem. Ex hypothesi enim illorum contra quos disputabam, quod dicitur de promiscua multitudine, afferebam. Resp. Sane verba mea obscuritatem aliquam habent, itaq; responsum meum adjutus à viro docto ita erigo: Quod enim additur de promiscua multitudine respondebitur, id ab adversariis non dici. Quid jam lucratus est vir doctus, nisi probet hanc hypothesin adversariorum quod eum facturum non puto. Nec pugnant tamen hæc cum eo quod in Thesi attuleram. Ideo enim se ea verba non addidisse voci consuetudinis dicent, quia Paulus ea non addidit voci naturæ. Atque ita ea nec in verbis adversariorum, nec in textu exprimuntur.* Resp. 1. Verba viri docti non obscuritatem habent, sed absurditatem ut ex iis quæ ad illa ipsi opposui liquet. 2. Si viro docto licitum est argumenta sua non explicare, sed planè mutare, ne ægre ferat ubi alii sua explicant. 3. Lucrum quod hinc habeo, est,

quod vir doctus verba sua obscuritatem quandam habere, argumentumque suum, ut quod ipsi erigendum fuit, prostratum fuisse agnoscat, alii etiam videant absurditatem. 4. Sufficit mihi ut verba viri docti quæ hic adfert plane alia sint, non tantum quoad sonum, sed etiam quoad sensum, quam quæ vir doctus in Thesi attulerat; inde enim liquet non erigi viri docti argumentum, sed aliud cudi. 5. Nescio quos mihi hic commemoret adversarios, cum præter Calvinum quem non oppugno sed explico, nemo compareat præter unum Salmeronem. Enallagis forte delectatur vir doctus. 6. Si Salmero dixerit se non addidisse illa verba de quibus agitur, ob causam à viro docto commemoratam, dicam eum extra oleas ferri. Quia non quæritur quare non addiderit verba illa, sed utrum per *naturam* in dicto Apostoli non intellexerit nudam & arbitrariam consuetudinem præsertim promiscuę multitudinis? Unde liquet iterum collabi argumentum viri docti quod se erecturum speraverat. 7. Vt pateat an quid Salmeroni affinxerim, viro docto quæ ex Salmerone à me adducta sunt disp. Text. p. 1. Thes. 5. examinanda & refutanda relinquo. Addit *Porro quod verissimum esse ait quod ipse dixit, videlicet Apostolum voce naturæ non significasse nudam consuetudinem, agnosco & ego veram esse illam propositionem, sed nego eam recte à vivo docto, hoc quod excussimus argumento demonstratam esse.* Resp. Iudicium viri docti non moror. Cæterum quid mihi probandum fuerit, aut convellendum, ex iis quæ dicta sunt liquet, & libenter, num assecutus sim nec ne quod volui, judicio lectoris permitto.

Pergit: *Quod in fine Theseos suæ me cum hæc scriberem aut ἀσαφείᾳ laborasse, aut aliquo affectu non probando (quod tamen de me suspicari nolit) concludat, sane de affectu bene facit quod suspicioni suæ non indulgeat, nam affectus sequioris causas procul habeo. Quod ad ἀσαφείαν attinet (quæ mihi cum multis communis est) equidem fateor me non ita perspicacem esse, ut videre possim quod nusquam est. Atque (ut alia mira præteream in distinctione ejus) fateor me non videre quomodo quod commentus est de consuetudine naturali & arbitraria, cui ultima agglutinavit eam quæ est* promiscuæ *multitudinis applicari possit loco à me adducto ex* 1. Corinth. 11. 16. *Nisi dicat bonam consuetudinem in Paulo & collegis ejus fuisse à* Natura, *in Ecclesiis autem Christi sive promiscua fidelium*

um multitudine à mero arbitrio. Cui acroamati quispiam subscriberet. HIC DEUS NIHIL FECIT. Resp. 1. Gratulor viro docto affectus adeo bene (ut ait) compositos; & ut porro bene compositi sint opto. Perspicacem etiam, imo si libet admodum perspicacem esse confiteor, ut qui etiam videre potest, quæ nusquam sunt, ut sæpius planum feci: sed tamen perspicacia sua non bene usum esse, cum negavit in thesibus meis comparere, distinctionem consuetudinis naturalis, & nudę vel arbitrariæ jam ostensum est. 2. Vtinam vir doctus lectori non invidisset mira illa in distinctione mea, quæ se præterire ait: Nam cognoscendorum mirorum desiderio plęrique tenentur. 3. Vt vir doctus videre posset, quomodo male se mihi opposuerit, adducendo 1. Cor. 11. v. 16. dicui me non dixisse ex consuetudine posse duci non nisi infirmum argumentum; sed ex nuda vel mere arbitraria consuetudine, ex consuetudine *præcise* sumta præsertim promiscuæ multitudinis, non nisi infirmum posse duci argumentum. 4. Si mihi se opponere pergat vir doctus; ac proinde statuere, quod ex consuetudine *nuda* vel *arbitraria*, item consuetudine *præcise* sumta *præsertim promiscuæ multitudinis* firmum ducatur argumentum, ejus acroamati jure quispiam, subscriberet. DEUM, RATIONEM, SCRIPTURAM NIHIL FACERE, SED OMNIA CONSUETUDINEM NUDAM VEL ARBITRARIAM, PRÆCISE sumtam, præsertim promiscuæ multitudinis.

Pergit: *Verum age videamus an non ipse vir doctus aliquid eorum committat quæ in me eum, licet injuria castigantem audivimus. Ex sententia ejus argumentum sumseram adversus Poimenandrum, quo eum in illa opinione necessario hærere quam vir doctus hic refellit, demonstrabam. Ad verbum autem ita habet: Quomodo sese hinc evolvat Poimenander rationem inire non possum. Is enim firmam consuetudinem & communem consensum jus gentium esse ait* p. 155. *unde & usum horologiorũ eo refert, ut ante vidimus. tale ergo è positis ab illo argumentum struimus Ius gentium est natura illa de qua Paulus agit: consuetudo est jus gentium ergo consuetudo est natura illa de qua agit. utraque præmissa est Poimenandri, unde quo pacto ipse conclusionem negare possit ipse viderit. Quid ad hæc vir doctus? tacet. Qua de causa ipse novit.* ἀσφαλῶς *subesse non puto, nã non videre tã notabilem locum, hoc esset cucurbitas lippire. Superest, ut cum rem*

manifestam negare non posset, in amici gratiam eam dissimulare, quam mecum palam improbare maluerit. Sitne probandus hic affectus, non disputo. Satis mihi est triumphantem hic ut in omnibus veritatẽ gratulabundo animo venerari. Resp. 1. Nescio quo jure vir doctus à me petat ut quæ à Poimenandro dicta sint, aut defendam, aut improbem: ut si id non fiat, mihi objiciat, aut ἀορίστιαν aut affectum minus probandum. Nam nusquam obligavi me ad omnia quę Poimenander recte dixit defendenda: nec ulla ratio poscit ut quem ipse quavis occasione reprehendit, si quando merito reprehendit, recte reprehensum significem; sufficit ut id non negem. Exstant Theses ipsius ex quibus ea de re, quilibet qui eas legerit, judicium facere poterit. Sibi diffidentis, aut nimium sua admirantis indicium esse videtur, ubi quis recte dicta non laudat offendi. 2. Nescio quoque cur vir doctus se ex sententia mea argumentatum potius dicat adversus Poimenandrum quam sua; cum & ipse dicat *naturam* apud Apostolum non significare consuetudinem, eadem illa thesi ubi adversus Poimenandrum argumentum quod recitat, producit. 3. Per consequentiam colligit Poimenandrum dicere naturam apud Apostolum esse consuetudinem; At habebat domi qui id non implicite diceret, sed explicite & formaliter, & tamen ille tacitus à viro docto præteritur. An hic affectus sit probandus alii judicent. verum me dicere liquet ex judicio cujus mentionem feci supra cap. 18. Nam judicii illius p. 1. sic dicitur: *Voce τῆς φύσεως seu naturæ, non denotatur* cap. 11. v. 14. *ipsa hominum substantia, nec proprietas humana cuilibet mulieri cum viro communis, nec dictamen rationis humanæ ac judicii naturalis omnium hominum sana mente præditorum cordibus inscripti, nec mos ususque naturalis ab omnibus hominibus ac populis per orbem terrarum dispersis omni tempore approbatus, atque observatus* sed *antiquorum græcorum* VETUS CONSUETUDO *quæ apud eos olim vim legis obtinebat, sicuti Calvinus primus Theologorum nostri sæculi illud suis in primam Apostoli epistolam commentariis recte explicat.* Nequis autem putet virum doctum judicium illud non vidisse, ipse illud in scenam producit disp. 6. de coma Th. 15. & libert. p. 96. atq; alibi. adeo ut quod hic obtendat nõ habeat; 4. Ne vir doctus ultra succenseat, fateor mihi videri, quod recte collegerit Poimenandrum *naturam* in dicto Paulino, implicite *consuetudinem* interpretatum esse:

addo

addo tamen Poimenandrum loqui non de quavis consuetudine, sed de ea quæ ex lege naturæ ortum habet (quod tamen vir doctus tacet) ut liquet ex lib. Poim. pag. 155. quomodo quoque Calvinum intelligendum probare nititur. 5. Si tanti ducit vir doctus triumphantem veritatem hic gratulabundo animo venerari, cur non etiam Polyandrum Poimenandro conjungit, ut longe augustius triumphantem veritatem gratulabundo animo veneraretur? Nam nec hunc vocem *naturæ* in dicto Paulino *consuetudinem* interpretari negare ausus fuissem. 6. An vir doctus ubique triumphantem veritatem gratulabundo animo veneretur, lector judicabit.

CAPUT XX.

De honestate naturali. δὶς τὸ αὐτὸ. *Simile vindicatum. Aliud allatum. quomodo honestas naturalis, item lex naturalis sit principium docendi quod & quo. Criminatio de mutatis terminis refutata. Absurda. Licentia viri docti. Citatio vindicata. Cornelius à Lapide per semet. explicatus. Menochius. Tirinus. Franciscus Junius. Absurdum. Apagoge. Licentia viri docti licentiam imaginariam castigantis. Dilemma viri docti cujus notæ. Cornelio à Lapide venia data: Locus Fr. Junii illustris. illatio infælix. An honestas naturalis in communi considerata ex more æstimanda sit? Junius Pastor Delphensis male defensus. Fr. Junius male oppugnatus. Dialogistæ auctoritas. Error viri docti. Negligentia ejusdem. Certitudo incerta. Omissio. præscribens & præscriptum an idem? expostulatio.*

SExta vocis naturæ acceptio secundum enumerationem viri docti erat, qua ea *honestatem* sive *decentiam naturalem* significare creditur. Egi autem de ea quæst. Text. 1. p. 3. Thes. 12. Vbi ita loquor: Sexta acceptio vocis naturę inter eas quas auctor hic enumerat, est ea qua vox naturæ honestatem & decentiam naturalem significare creditur. Hac de acceptione agit disp. dictę thes. 3. & 4. Et 1. ait me dicere disp. 3. Thes. 7. quod de ea egerim sub finem primæ disputationis, cum ipse tamen nihil reperire potuerit. Sed error est natus ex omissione sive mea sive typographi & mala interpretatione viri docti vocularum, dictum est. Res ita habet: dixerat dialogista quicum illic agebam, se non meminisse alias, prętер eas de quibus egerat, sententias, de vocis φύσεως sensu, qua lectionibus qua thesibus propositas fuisse.

Re-

Regessi ego supersesse eam qua statuitur φύσιν apud Apostolum significare honestatem & decentiá naturalem. Et monui ea de re dictum esse sub finem (ubi omissum Thes.5.) part.1.disp.Textualis. Vir doctus ad hæc ait: *Thesi tertia, sextam vocis* Naturæ *significationē adduxi, ea videlicet significari honestatem & decentiam naturalem. Hæc à viro docto tribuitur Cornelio à Lapide & Alexandro Halensi disp.1. Th.5. Qui disp.3.thes.7.se de ea sub finē primæ disp.egisse ait. Quale tamen nihil reperire potui. Hæc vir doctus per errorem vel suum, vel typographi excusat. Omissam enim in citatione disp.1.Vocē* Theseos 5. *Resp. excusationē accipio sed addo mihi thesin illam lectam fuisse, cum eam ipse citarim, arbitratum autem, eam opinionem alibi (ut citatio præ se ferre videbatur) explicatam, & vel approbatam vel improbatam fuisse, quod in illa Thesi non est factum, & nunc video nusquam factum esse. Itaque vir doctus dum eam hic defendit, facit quod sibi solenne est, ut videlicet alienas opiniones animi causa propugnandas suscipiat. Videamus autem quomodo hic se gerat.* 1. Gratum mihi est, quod vir doctus excusationem meam, ut quę justa est, accipit. At minus gratum quod ait, me dum hanc opinionem defendo, facere quod mihi solenne sit: ut videlicet alienas opiniones animi causa defendam. Nam id verum non est. Opiniones enim quas defendo, (inter quas & hæc est) saltem probabiles esse judico: atque eatenus pro meis adopto. 2. opinionem illam quę naturam apud Apostolum honestatem & decentiam naturalem interpretatur antea approbatam ut probabilem vidisset, si oculis usus fuisset disp.Tex.p.1.Th.6.Vbi opiniones quas recensueram de sensu vocis naturę, omnes (excepta una) probabiles esse dixi; inter eas autem quas probabiles esse dixi, recensui quoque hanc. Videamus autem quomodo hic me geram.

„ Sententiam *dixi* hanc consistere non posse pronunciat: illudque
„ se dilemmate consecuturum putat: id autem tale est: Honestas il-
„ la naturalis docet Corinthios, vel prout honestas est, vel prout na-
„ turalis est. Non primum, quia idem per idem doceretur. Non al-
„ terum; quia idem per idem explicaretur, ut pote natura per natu-
„ rale, quę eodem recidunt, aut certe æque obscura sunt. Sed dilem-
„ ma illud non stringit. Quia non est sufficiens enumeratio. Dicam
„ enim honestatem naturalem docere non simpliciter qua honestas

est,

» est, aut simpliciter qua naturale quid est: sed ut honestas naturalis
» est. Perinde arguit hic disputator ac si diceret: Si Petrus est homo,
» aut homo est qua animal est, aut qua rationale quid est. At non
» est homo qua animal est, quia alioqui omnia bruta erunt homines.
» Neque qua rationale quid est, nam alioqui angeli homines erunt.
» Quoniam etiam rationalis naturæ sunt participes. At quis ferat ta-
» le argumenti genus? notum enim est, nec genus solum nec diffe-
» rentiam solam, sed differentiam generi additam rem constituere
» in certa entis specie. Respondet vir doctus: *Quasi quæstio sit quid honestatem constituat in certa entis specie: minime hoc agitur. sed per quid honestas naturalis agat, id est doceat. Omnibus autem qui philosophiam vel à limine salutarunt, notum est, actionum esse principium quod & quo. 2. Quid movit virum doctum ut terminos mutaret? nempe naturalis in naturale quid, & rationalis in rationale quid. Quis enim unquam dixit rationale quid esse differentiã hominis? quo dato angelus esset differentia hominis & homo esset differẽtia angeli. Uterq; enim est rationale quid. Adegit me hæc licentia, ut inquirerem in expositionem Cornelii à Lapide & deprehendi eum prorsus diversum dicere ab eo quod ei vir doctus affingit. Neque enim nominat honestatem* NATURALEM, *sed honestatem* NATURÆ *in quibus non est genus & differentia, sed subjectum & adjunctum.* HONESTATEM *autem explicat per decentiam, & utramque opponit præcepto. Verba, ejus sunt, Paulus ergo non* PRÆCEPTUM *hic sed honestatem & decentiam naturæ insinuat, convenienter cum iis quæ paulo ante dixerat, ut mulier comam alat non vir.* NON EST *absolutè* PRÆCEPTUM NATURÆ *aut* DIVINUM *aut* ECCLESIASTICUM.

Resp. ad primum. 1. Quasi vero res aliter doceat, quam prout constituitur in certa specie entis? Ne tamen vir doctus sibi satisfactum neget, dabo exemplum de quo queri non possit. Sic ergo arguo insistens vestigiis ejus, Si lex naturalis docet, vel docet pro ut lex est: vel prout naturalis est. Non primum quia idem per idem doceretur. 1. per legem doceretur quid lex sit. Non alterum, quia idem per idem explicaretur ut pote natura per naturale, quæ eodem recidunt, aut certe æque obscura sunt. Absurdam dicent omnes hanc argumentandi rationem. At talis est argumentandi ratio qua vir doctus me oppugnat. Ovum ovo non est similius. 2. Ne multa de principiis actionum cumulem, ajo honestatem naturalem

lem concrete ſumtam eſſe principium docendi *quod*, at vero principium docendi *quo* eſſe qua naturalis eſt, ideſt quâ ex dictamine ſanę rationis fluit, non ſecus ac lex naturalis concrete ſumta eſt principium *quod* docendi ea quę docet, principiū vero *quo*, quatenus naturalis eſt, id eſt quatenus documēta practica quę natura cordibus hominum vel explicite vel implicite inſcripta ſunt, continet. Plus ne deſideras vir docte? Ad ſecundum: falſum eſt me hic terminos mutare. Nam virum doctum ſecutus ſum. Si ergo abſurda agnoſcit quę hic commemorat, in ea ipſe ſe induit, & hoc eſt quod volebam. Me virum doctum ſecutum eſſe ipſius theſis clamat. Ait enim, *honeſtas illa naturalis docet Corinthios, vel prout honeſtas, vel prout naturalis eſt: non primum quia idem per idem doceretur. 1. per honeſtatem quid honeſtum ſit. Non alterum, quia idem per idem explicaretur, utpote natura per* NATURALE. Cum enim τὸ NATURALE hic non habeat ſubſtantivium cui connecti poſſit, dicendum omnino eſt τὸ NATURALE idem eſſe quod *naturale quid*. Ad tertium. 1. Quęnam fuerit licentia qua uſus ſum jam viſum eſt, nimirum quam vir doctus ipſe mihi dat. 2. Falli poſſum in citandis locis, eſtque id mihi cum aliis commune, etiam cum viro docto, ut locus Ammonii de quo cap. 8. egi, (ne nunc alia afferam) docet, puto tamen, pauca loca repertum iri in ſcriptis meis in quibus error ſit. 3. Sed videamus quęnam ſit illa licentia qua uſus ſum, citando Cornelium à Lapide ut *prorſus diverſum ab eo quod ipſi affingo, dicere ipſum* vir doctus ſe *deprehendiſſe* pronunciare merito poſſit. Ait ergo Cornelium non nominare *honeſtatem naturalem* ſed *honeſtatem naturæ*. Nimirum hoc eſt ſapere! ut phraſi viri docti libert. pag. 100. utar. Quaſi vero honeſtas naturæ & naturalis non ſit unum & idem, ſicuti lex naturæ & naturalis. Vt autem agnoſcat vir doctus Cornelio idem eſſe *honeſtatem naturæ* cum naturali honeſtate, ipſe Cornelius id quod ad 1. Cor. 11. v. 14. vocat *honeſtatem & decentiam naturæ*, ad v. 4. & 5. ejuſdem cap. vocat *honeſtatem naturalem*: *Si non velet ſe mulier* (inquit) *in templo, facit contra* naturalem honeſtatem *& verecundiam ſibi inditam*. Imo ad eundem verſum immediate poſt verba quę vir doctus citat, quid per honeſtatem & decentiam naturæ de qua loquitur, intelligat, ſatis perſpicue indicat, nimirum *honeſtatem* & *decentiam* naturalem. Verba ejus ſunt: *Paulus ergo*

non

non præceptum hic sed honestatem & decentiam naturæ insinuat, scilicet. NATURALITER *decere* ut *fœmina cum in publicum prodit, comata & velata prodeat, non autem vir.* Quid autem est τὸ *naturaliter decere*, nisi decentia naturalis? Cum ergo eodem sensu dicat decentiam *naturæ* & *honestatem naturæ*, utique sicuti per decentiam *naturæ*, decentiam *naturalem* intelligit, sic quoque per honestatem *naturæ* honestatem *naturalem*. Menochius honestatem illam *naturæ* de qua Cornelius ad 1. Cor. 11. v. 5. etiam vocat honestatem *naturalem*. eodem modo Tirinus ad eundem locum loquitur. Nec aliter è nostris Franciscus Iunius ad Deut. 22. v. 5. Addit: *In quibus non est genus & differentia, sed subjectum & adjunctum.* Resp. An hoc dicit Cornelius à Lapide, quod vir doctus huc adfert? nusquam certe. 2. Quid ergo est per quod constituitur honestas naturæ in certo genere entis, si hic non est genus & differentia? an loquitur Cornelius de individuo vago, & quotquot cum Cornelio, phrasi hac, & altera quæ cum ipsa coincidit, *honestatis naturalis* utuntur? 3. Si verum est quod ait, etiam quando *legem naturæ* dicit vir doctus, non erit genus & differentia. Si cogitasset de iis quæ tradunt logici de accidentium definitionibus, hæc non effudisset. Addit *Honestatem autem explicat per decentiam & utramque opponit* præcepto. *Verba ejus sunt: Paulus ergo non* PRÆCEPTUM *hic, sed honestatem & decentiam naturæ insinuat. Convenienter cum iis quæ paulo ante dixerat: Ut mulier comam alat non autem vir,* NON EST *absolutè* PRÆCEPTUM NATURÆ, *aut* DIVINUM, *aut* ECCLESIASTICUM. Resp. An ego dixi Cornelium dicere Apostolum hic vel *præceptum*, vel *absolutè* hic *præceptum* dare? 2. Non opponit Cornelius id de quo agitur præcepto, sed *absolute præcepto*. Adeoque vir doctus dum licentiam meam, quamvis imaginariam, castigat, ipse licenter agit. Nam Cornelius cum initio crudius locutus esset, postea dictum mitigat, aitque decentiam sive honestatem illam non esse *absolutè* præceptam, ut viz. mulier comam alat non autem vir. Cum autem sic loquitur, ostendit se agnoscere quidem rem illam esse præcepti, sed non talis, quod *absolutum* sit, sed hypotheticum quod non nisi positis ponendis obliget, nimirum ut moniales suas excuset à violatione præcepti Apostolici. Vide eundem ad v. 6. quo lectorem remittit. 3. Idem Cornelius ad v.

14. sub finem inquit: *Hanc tamen naturæ decentiam Paulus hic sancit, & instar præcepti Corinthiis servari vult.* 4. Cornelius & reliqui ex pontificiis dum naturam, honestatem & decentiam naturę & naturalem interpretantur, honestatem naturæ & naturalem *docere* concedunt; adeoque nihil de dilemmate quo vir doctus nititur ostendere honestatem naturalem non *docere*, ne per somnium quidem, cogitarunt, aut si de eo cogitarunt, absurdum esse judicaverunt. 5. Nescio cur tantopere vir doctus urgeat Cornelium, honestatem & decentiam *naturæ opponere præcepto*, nec tamen ulla nota ipsum castiget, cum tamen Iunium qui dixerat honestatem naturalem cedere debere *utilitati publicæ* & *necessitati privatæ gravi* satis acriter, licet frustra, refutare conatus sit. Nimirum nunc intelligi vir doctus melius quid sit honestas naturę sive naturalis, quam antea. Vid. libert. pag. 70. Sequitur in Thesi mea. 2. Neg. prior pars
» assumpti. Nam certe honestas in communi considerata se habet
» ut regula ad quam exigenda est quælibet actionum nostrarum. Ut
» ergo per regulam divenitur in cognitione regulati: sic per cogni-
» tionem honestatis in communi consideratæ pervenitur ad cogni-
» tionem hujus actionis in particulari, videlicet num honesta sit nec
» ne. Immo vero ex cognitione honestatis quæ est in hac vel illa
» actione particulari, sæpe etiam perveniri potest ad cognitionem
» honestatis quę est in aliâ quapiam actione particulari. Alioqui e-
» nim perierit argumentatio quæ ducitur à comparatione parium,
» & frustra doctiss. Franciscus Iunius hoc argumentandi genere u-
» sus fuerit, in analysi cap. 22. Deut. ubi ad v. 5. (Libet enim ea ad-
» scribere) hæc habet: Sequitur inquit præceptum honestatis na-
» turalis, quum interdicit Moses, ne esto instrumentum virile super
» fœminam: neque induito vir vestem fęminę, cujus rei ratio reddi-
» tur. Quia abominationi est Iehovę Deo nostro quisquis facit ista.
» Atque hoc quidem præceptum alii cęremoniale alii naturale esse
» putaverunt. Qui cęremoniale ii profecto causam (ut vocant) hujus
» cæremonię fundamentalem non adferunt, quę certo constare pos-
» sit. Nam cæremonia cum sit figurativa, ut vocant, eaque in rela-
» tione posita, non potest hoc præceptum cæremoniale statui, quin
» ad aliquam figuram revocetur. Hanc negamus esse. Est igitur
» præceptum honestatis, non ut cęremonia, non in civili jure sive
poli-

» politico sed natura ipsa fundatę. Ex quo fit ut hoc præceptum,
» qua fundamento naturali est, juris perpetui esse statuamus: Est
» enim plane analogum pręcepto illi, quod Paulus adfert 1.Cor.11.
» de capillamento. Vt enim ostendat viri esse uti capillo breviore:
» fæminæ ut comam alat: ideo naturam ipsam appellat testem, quæ
» cum nihil (ut philosophi loquuntur) frustra fecerit: profecto nec
» viro breviores crines nec fæminæ longiores frustra dedisse putan-
» da est. Quemadmodum ergo honestatis naturalis illud est quod
» ait Paulus: ita etiam naturalis honestatis censendum est, quod hic
» dicit Moses, nec virilia instrumenta mulieribus esse aptanda, nec
» viris muliebria: quia ementiuntur naturam & honestatem natu-
» ralem oppugnant, qui tantum sibi auctoritatis tribuunt, ut sexus
» discrimina confundant, sive serio sive joco fiat & histrionice. Huc
» pertinet ratio quam adducit Moses, quum pronunciat. Quisquis fa-
» cit ista abominationi est Iehovę Deo nostro: tanquam si diceret, non
» posse non abominari Deum homines ejusmodi, qui naturam, na-
» turalemque honestatem & ordinem ita conturbarunt: Naturam
» quia autor naturæ est Deus, cui omnes oportet acquiescere: ho-
» nestatem, quia discrimen sexuum profiteri honestum est: ut con-
» tra impuritatis est confundi: Ordinem vero, quia Deus virum
» caput voluit esse mulieris & mulierem gloriam viri, quæ subsit se-
» cundum primitivum illum in natura ordinem à Deo positum.
» Multa sunt in hoc testimonio quæ faciunt ad explicationem con-
» troversiæ quam tracto, & ostendunt quid de ea vir ille doctissimus
» senserit; sed quod ad rem pręsentem pertinet illud est quod com-
» paratione partium instituta 1. ab honestate in capillis servanda, ar-
» gumentatur ad honestatem quæ in vestibus personarum diversi se-
» xus elucere debet; & concludit, quia illa naturalis, id est in natura
» fundata est, etiam hęc naturalis & perpetui juris censeri debeat.
» Respondet vir doctus *A majori mea pergit ad minorem cujus utrum-
que membrum oppugnat. Ad primum dicit: honestas in communi con-
siderata, se habet ut regula ad quam exigenda est qualibet actionum no-
strarum. Vt ergo per regulam devenitur in cognitionem regulati, sic per
cognitionem honestatis in communi consideratæ, pervenitur in cognitio-
nem hujus actionis in particulari viz. num honesta sit nec ne.* Resp. *Na-
tura igitur secundum hanc explicationem erit honestas in communi con-*

siderata. At hoc est contra hypothesin. statuitur enim natura *esse* honestas naturalis. 1. *ad certam speciem restricta.* 2. *Honestas in communi considerata, nihil aliud est quam* decentia, *ut modo vidimus, ea autem æstimatur ex* more *qui est regula decori, ut ex dialogista videbimus* disp. 5. *Thesi* 2. *Quod non damnat vir doctus, ut ipse profitetur thes.* 20. *Vide jam quid sequatur: nempe sensum Apostoli esse è* communi more *petendum quid in quaque actione* honestum *aut decorum sit. Applica hoc ad causam capillarem, & recogita quam belle Poimenandrum defenderis.* Resp. ad primum: minime vero, sed honestas naturalis. Quamvis ea non tantum doceat ut honestas naturalis; sed etiam ut honestas in communi sive κατὰ τὸ γένος (hoc enim phrasi illa volui) considerata. Quod est contra hypothesin viri docti, id est primam partem minoris ipsius. Ad secundum: 1. Detur quod *honestas* in communi considerata nihil aliud sit quam decentia, modo ambiguitas absit & τὸ *in communi considerata*, repetatur post vocem *decentia*, nego tamen eam in communi consideratam esse æstimandam ex *more* item *morem esse regulam decori.* Nam si ita est: honestatis erit, nudis incedere uberibus, item sine ullis vestibus, item uti matrimonio in propatulo, ubi id moris est. Quia secundum virum doctum honestas in communi considerata, est *decentia* in communi considerata, & decentia in communi considerata, ex *more est, qui est regula decori.* 2. Quod si ita est ut vir doctus ait, male nititur defendere D. Iunium Pastorem Delphensem, qui MAGNO MOLIMINE hoc egit ut viri *Formosani* comam ponerent. v. disp. ejus 2. de coma thes. 9. & libert. pag. 97. Deinde etiam malè reprehendit Franciscum Iunium libert. pag. 70. & 71. qui dixerat *honestatem naturalem* cedere debere *utilitati publicæ & necessitati privatæ gravi.* Nam certe si honestas in communi sive κατὰ τὸ γένος considerata *ex more* est, isque *est regula decori*, sequitur etiam honestatem naturalem esse *ex more*, & *morem ejus esse regulam.* nam genus se speciebus suis communicat. adeoque consequitur si falsum est quod Iunius ait, & ita quidem falsum ut Ethnici *saniores* rectius senserint, tantam esse vim *moris* ut potius permittendum sit, ut patria instante hoste pereat, quam ut ipsam quis nudus, ubi res moram non patitur, defendat: item ut potius me occidi patiar, quam ut sub veste fœminea, vel etiam nudus

dus ubi aliter fieri nequit, fugiam. Nam, ut opinor, non dicet vir doctus *moris* esse ut nudi inter homines versemur, aut viri vestibus fœminarum induantur. 3. Dialogistę auctoritate non teneor: videbimus tamen (si Deus permiserit) quid nobis vir doctus, ex ipso videndum dabit. 4. Percurrat lector thesin illam vigesimam, & non comperiet me dixisse *honestatem sive decentiam in communi consideratam esse ex more*, aut *morem esse honestatis* aut *decentiæ in communi consideratæ regulam*. Operæ pretium facturus fuisset vir doctus si verba meæ Theseos, (nam prolixa est) adduxisset, quibus quod ait, dico aut ullo modo significo. Quoniam autem id non fecit, *animi causa* ipsum hęc scripsisse arbitror. Inania ergo sunt quę dicit: *Vide jam quid sequatur: nempe sensum Apostoli esse è communi more petendum quid in quaque actione* honestum *aut decorum sit*. Item, *applica hoc ad causam capillarem, & recogita quam belle Poimenandrum defenderis*. Pergit recitare verba mea, atque ad ea respondere. Verba mea quæ recitat, sunt: Immo vero ex cognitione honestatis quæ est in hac vel illa actione particulari, sæpe etiam perveniri potest ad cognitionem honestatis quæ est in alia quapiam particulari. Alioqui enim perierit argumentatio quæ ducitur à comparatione parium. Respondet autem: *Paritas illa fundamentum habet in aliquo utrique actioni communi. hoc est (quantum ad rem de qua agimus) in communi honestate fundatur honestas particularis. si ergo illa desumenda est ex recepto* more, *certe & hæc. & causa iterum cadit Poimenandri*. Resp. 1. Honestas in commnni considerata, mutatur in honestatem communem. 2. Si indifferens est *honestas* in communi sive κατὰ τὸ γὲν& *considerata* ad *honestatem naturalem & politicam* (quæ ex more est,) ut sese *animal* indifferenter habet ad *hominem* & *brutum*, non Poimenander, sed vir doctus iterum causa cadit. Atqui *honestas in communi* sive κατὰ τὸ γὲν& *considerata* indifferens est ad *honestatem* naturalem & politicam, ut *animal* sese indifferenter habet ad *hominem* & *brutum*. Ergo. Vide distinctionem illam *honestatis* ut generis in *naturalem* & *politicam* thes. 20. quam paulo ante indicavit vir doctus. Addit. *Tandem auctoritate Fr. Iunii quod dixit probat, qui Analysi Deut. 22. 5. ab honestate in capillis, argumentatur ad honestatem eandem in servando discrimine vestis virilis & muliebris.* Quod totum concedo. *Sed honestatem (quam ex* more *petendam fatetur*

vir

vir doctus) *inferre jus naturale & perpetuum* (*quod ille sibi sumit*) *id vero est quod pernego. Reliqua quæ ad rem præsentem non pertinere vir doctus agnoscit, ipsum secuti præterimus, licet in eis occurrant quæ limam desiderent. Et hæc ad primum membrum meæ minoris.* Resp. 1. Habeo ergo astipulantem mihi Fr. Iunium Theologum gravissimum. 2. Falsum est me fateri, *honestatem in communi consideratam.* (Nam de ea agit vir doctus ut antea, aut nihil dicit), ex more petendam. Profer vir docte verba mea quibus illud fassus sum, aut assertionem tuam retracta. Æqua me postulare omnes judicabunt. 3. Reliqua de quibus loquor sunt, *multa in testimonio Iunii quæ faciunt ad explicationem controversiæ capillaris* quę si limam desiderant, certe alim desiderant quam eam quam libert. pag. 70. 71. ad partem testimonii hujus Iuniani adhibuit. Eam enim plane irritam fuisse, & a-lia *lima* indiguisse cap. 14. ostensum est. Pergit: *Ad secundum ait: non ita inepti sunt quos hic impugnat auctor hic, ut naturam de qua loquitur Apostolus per naturale tantum explicent. Sed explicant per honestatem quæ in natura fundamentum habet, & à recta ratione præscribitur, nec pendet à circumstantiis locorum & temporum.* Resp. 1. *Profecto non ita inepti sunt illi auctores* (*quanquam multarum ineptiarum architecti ut pote insani papistæ*) *ut tu illos facis. Nusquam enim eos dixisse arbitror* (*de Corn. à Lapide certus sum, alterum non contigit videre, at tu eum idem cum illo sentire asseris*) *naturam apud Paulum esse honestatem naturalem, sed Paulum non præceptum dedisse*, sed honestatem & *decentiam insinuasse. Illam autem* naturæ *esse ajunt, quæ quid sit inexplicatum relinquunt.* Resp. 1. Facile fero ut tu eos de quibus agitur pro ineptissimis habeas: nego tamen certitudinem tuam quam jactas ullam esse: nam hoc ipso capite probatum dedi, Cornelium (nam alterum. Alex. Halens.) non attingis, non tantum naturam per *honestatem naturæ*, sed etiam per *honestatem naturalem* explicuisse. 2. Omittis quod Cornelius dicit: *Vt mulier comam alat non autem vir non est* ABSOLUTE *præceptum naturæ*, & certe quomodo negare potuisset, id de quo agit ullo modo esse præceptum naturæ? ut qui ait ad v. 14. *Quia alere comam est contra decus virile, est animi mollis & effeminati, ni fiat valetudinis & frigoris causa.* & paulo post: *Rursum virum decet aperto capite orare, mulierem velato, uti hactenus probavit Apostolus: Ergo mulier comam*

alere

alere DEBET *non autem vir: coma enim à natura data est illi pro velamine.* Addit vir doctus 2. *si naturale hic est, quod à recta ratione præscribitur, coincidit hæc significatio cum octava sequenti, de qua agitur ad Thes.* VII. *cur igitur sugillavit Dialogistam, quod eam tanquam diversam à sua præterit.* Resp. *Si præscribens & præscriptum* idem sunt fateor hanc significationem cum octava coincidere, & me inmerito reprehendisse Dialogistam quod eam, tanquam diversam à mea præterierit? at qua ratione probabit vir doctus *præscribens & præscriptum* unum & idem esse? Denique ait. 3. *Quod honestas hæc non pendeat à circumstantiis locorum & temporum, id pugnat cum eo, quod eam æstimari voluit ex more* 1. *recepta consuetudine, quæ certe ab ejusmodi circumstantiis pendet, & secundum eas variat.* Resp. Vir docte mihi attribuis quę ne quidem mihi per somnium in mentem venerunt. Certe si tale quid mihi excidisset, verba mea adduxisses. Neque enim ita occupatum fuisse puto, cum hæc scriberes, ut verba aut lineas aliquot (ut fidem tuam liberares) adscribere nimis difficile tibi fuerit.

CAPUT XXI.

Borstii defensio vindicata. Cautelæ cujusdam ratio. jus auctoris. ἀσύγκριτος præpostera diligentia. incuria. non incommodum incommodum. Jactura declinata. Criminatio retusa. præmissæ mutilatæ. Cavillationes elisæ. naturæ significatio prima & germana juxta Conimbricenses. Gradus proprietatis vocis naturæ à viro docto concessi. insultatio retusa. Aristoteles examinatus. Thomas.

THesi mea XIII. agebatur de tribus aliis significationibus quas vir doctus Borstium accumulare dixerat disp. de coma 3. Thes. 5. 6. Sic autem ea habet: Septimo (inquit auctor hic disp. 3. Thes. 5.) accumulantur tres aliæ significationes à Borstio pag. 3. per quas docere vult NATURAM hic quoque in propria sua significatione accipiendam esse. Ait enim in S. literis designare NATIVITATEM Rom. 2. 27. & 11. 24. Gal. 2. 15. Eph. 2. 3. 2. ESSENTIAM per quam res est id quod est. Gal. 4. 8. 3. Qualitates. 2. Pet. 1. 4. Deinde ad refutationem Borstii progreditur. thes. 6. & sic ipsum impugnat: vel Borstius (inquit) per

» naturam hoc loco omnia illa intellexit, vel aliquid ex iis, vel nihil.
» At nihil horum dici potest. Ergo. 2. Verum nó est omnes has acce-
» ptiones esse proprias. R. Quamvis ego Borstium defendendum nó
» suscepérim, quia tamen iniquius quam oportebat tractari videtur,
» paucis quid senserit, aut sensisse putem, exponendum judico. Ex-
» plicat ergo Borstius vocem naturæ, dicitque significare constitu-
» tionem hominis, tum prout ea fuit in statu integritatis, tum prout
» ejus post lapsum adhuc quædam reliquiæ superstites sunt, & ex-
» emplis quod dicit declarat; lociſque Rom. 2. 14. & Iacob. 3. 7. con-
» firmat. 2. Ait naturam significare constitutionem hominis per
» peccatum corrupti adducto loco Ep. 2. 3. 3. Dicit interpretes prio-
» ri modo intelligere naturam de qua Apostolus loquitur, sed eos in
» duas scindi sententias ait: quosdam enim intelligere per naturam
» sensum communem: alios vero vim & ordinem naturalem 3.
» (*scribendum* 4.) refutat eos qui volunt per naturam significari con-
» suetudinem, idque confirmat 4. rationibus, quarum tertia est, quia
» nusquam in sacris literis vox natura pro consuetudine sumitur &
» huc adducuntur ab eo loca sequentia Rom. 1. 26. & 2. 14. 27. & 11.
» 24. Gal. 2. 15. & 4. 8. Eph. 2. 3. Iacob 3. 7. & 2. Pet. 1. 4. aliudque o-
» mnia ea quam consuetudinem denotare statuit. Denique concla-
» dit Borstius vocem naturæ propriè esse accipiendam. Ex hisce col-
» ligo 1. Borstium vocem naturæ accipiendam judicasse pro re quæ
» homini vi creationis inest. Nam cum tantum duas illas quæ Pau-
» lo ante expositæ sunt, significationes vocis naturæ recitet, & po-
» stremam rejiciat, necessum est, ut eum priori accessisse dicamus. 2.
» Eum sensisse naturam apud Apostolum significare judicium natu-
» rale rationis practicæ, vel ordinem quem Deus naturæ indidit, vel
» utrumque simul. Quoniam enim plærosque interpretes vocem
» naturæ prima significationum quas paulo ante significaverat acci-
» pere, eosque in duas abire sententias ait, quibusdam per naturam
» judicium naturale rationis practicę, aliis vero ordinem naturalem
» intelligentibus, atque inde infert, mirum esse quod quidam patro-
» ni prolixarum comarum vocem naturæ pro consuetudine accipi-
» ant: necessum est, ut dicamus eum accessisse alterutris aut utro-
» rumque sententiam conjunxisse, ut significationes speciales in ge-
» neraliori contentas. 3. Borstium id quod intelligit per naturam,

de

» de qua agit Apostolus, propriam vocis significationem arbitratum » esse. 4. Auctorem quocum nobis hic res est, obscure & indistin- » cte sententiam Borstii proposuisse thes. 5. 5. Argumentum (*adden-* » *dum*, primum) quod opponit Borstio nullum esse. Ostendit enim » Borstius per vocem naturæ se non intelligere omnia illa quæ ab i- » pso recensentur sed id quod jam indicatum est. 6. Supervaca- » neum esse secundum argumentum, ut quod Borstium non ferit. » Nusquam enim Borstius omnes illas significationes, quas auctor » hic cumulat, dixit vocis naturæ esse proprias. Adeatur ipse Bor- » stius concionis editæ pag. 24. & seqq. aliquot. Respondet vir do- ctus. 1. *Quod ait se Borstium defendendum non suscepisse, sciat me illius defensionem ab ipso non flagitasse, & certe præstitisset eum proprias sententias tutatum esse relictis alienis.* Resp. 1. Quasi vero significem te id à me postulasse. Addidi hoc in gratiam lectoris, ne si forte occurrerent quæpiam Borstio à te objecta, quæ ego præterirem, existimaret ea talia esse, quæ nullo modo defendi possent. 2. An tu tam fœlix fueris, in iis quæ Borstio objecisti, vindicandis, quam ego in meis & alienis defendendis, penes lectorem judicium esto. 3. Si tibi licuit in disputationibus in Collegio ventilandis, viris optimis, nomine suo expressis, errores impingere; quid ni mihi licitum sit, ostendere per varia specimina, magna cum circumspectione disputationes tuas de coma à studiosis esse legendas? 4. Vt non flagitasti ut Borstium defenderem etiam ut Poimenandrum tuerer non petivisti, & tamen me dissimulationis arguis quotiescunque Poimenandrum à te vellicatum aut Borstium vexatum prætereo. Pergit, *Quanquam 2. eas suas fecerit. Dum iis approbationem suam præfixit, atque ita ad eas defendendas se obligarit.* Resp. 1. Non solus ego, sed etiam collegæ mei concionem Borstii approbarunt. Cur ergo me solum nominat? Nuper *callidè dissimulare* me dixit, quod ipsum, omisso Borstio, quem (licet male) in societatem causæ traheret nominassem. v. libert. pag. 90. quid ergo dicendum de viro docto, qui approbasse me dicit concionem Borstii, nulla collegarum mentione facta? 3. Vetus hæc nœnia est. Vide cap. 4. Addit: 3. *Quod ait Borstium iniquius quam oportuit tractari* VIDERI, *seque expositurum quid Borstius senserit, aut eum sensisse* PUTET, *& tandem nihil certi die ejus sententia concludit, ostendit, hæsitabundo animo*

hæc à seſe dici, & conſultum fuiſſet, ni fallor, quid ille ſenſiſſet, prius ab eo expiſcatum fuiſſe virum doctum, quam hariolando de ejus ſententia diſceptaret. Reſp. 1. Id certi pronunciavi de ſententia Borſtii quod ſtatuat *naturam* apud Apoſtolum ſignificare, quod homini vi creationis ineſt, ſive id ſit judicium naturale rationis practicæ, ſive ordo naturalis, nimirum per quem Deus operatur (ut Borſtius ait conc. pag. 24.) in natura, ſive utrumque. Hoc autem mihi ſufficiebat ut oſtenderem virum doctum obſcure & indiſtincte, addo nunc, male ſententiam Borſtii propoſuiſſe, cum loca ſcripturę in quibus occurrit vox φύσεως, (à Borſtio conc. pag. 28. producta ut probet vocem illam in ſacris literis non denotare conſuetudinem) ipſe quoad vocem illam in tria ſignificata diſpeſcit, nimirum 1. *nativitatem.* Rom. 2. 27. & 11. 24. Gal. 2. 15. Eph. 2. 3. 2. *Eſſentiam* Gal. 4. 8. *Qualitates* 2. Pet. 1. 4. ut inde Borſtium oppugnet. nam 1. Inde non erat petendum quomodo Borſtius ſentiret vocem illam in dicto Paulino accipiendam eſſe: ſed quomodo accipiendam negaret. producit enim Borſtius loca illa, ut probet naturam in ſcripturis non ſignificare conſuetudinem. 2. Quid ſentiret Borſtius de ſignificatione vocis naturæ in dicto Paulino habendum fuerat ex p. conc. 24. 3. Significata vocis φύσεως in locis à Borſtio prolatis, ita vir doctus enumerat, ut omittat loca Rom. 1. 26. & 2. 14. Iacob. 3. 7. à Borſtio ibidem loci adducta: quare autem id fecerit me latet. Non ergo mihi conſultum fuiſſet ut prius ex Borſtio expiſcarer quid ſenſiſſet, antequam de ſententia ejus diſceptarem; ſed viro docto, ut prius accuratius inquireret, in ſententiam Borſtii, antequam in ipſum incurreret. Et quod ſi mihi conſultum fuiſſet ut prius quid ſentiret Borſtius expiſcarer, antequam de ejus ſententia diſceptarem, certe etiam viro docto, & quidem longe magis, conſultum fuiſſet ut prius ex Dialogiſta quæſiviſſet, unde ei in humanioribus literis (ut ait) innutrito, terminus ille, *intrinſeca malitiæ* ex penitiſſima (ut inquit) Theologia ſcholaſtica petitus, in mentem veniſſet, antequam me ejus dicto urgeret. Longe enim facilius id aſsequi potuiſſet, ni fallor, quam ego id de quo hic agitur. Addit: 4. *Quæcumque ex Borſtio citat ei cum aliis communia, nihil mihi incommodant, cujus ſcopus fuit præter illa, tres alias ſignificationes vocis naturæ ab ipſo allatas expendere. Quas apud eum exſta-*

exstare, licet dissimulet, non tamen negare audet vir doctus. Nequis autem de eo dubitet, inspiciatur Conc. Borst. pag. 28.29. *ubi omnes diserris verbis recensentur.* Resp. 1. Quod tibi hæc non incommodent, ego quidem non capio. Cum enim potuisses habere sententiam Borstii de sensu vocis *naturæ* in dicto Paulino ex pag. 24. Conc. ejus, ubi eam proponit, recurristi ad pag. 28. 29. ubi loca illa scripturæ de quibus loqueris, producit, ut doceat in eo vocem naturæ non significare *consuetudinem*. nimirum ut ostenderes, & quidem insufficienti enumeratione significatorum vocis *naturæ* in locis à Borstio productis instituta, Borstium vel omnia illa, nimirum *nativitatem, essentiam, qualitates supernaturales*, vel aliquid horum, vel nihil per *naturam* in dicto Paulino intelligere: item male dixisse Borstium, vocem *naturæ* in dicto Paulino *proprie* accipi. 2. Adduxisti certe tres ALIAS significationes vocis naturæ, sed omisisti, (non dicam DISSIMULASTI, multo minus CALLIDE dissimulasti quomodo tu loqueris) quid vox *naturæ*, significet, in locis Rom. 1.26. & 2.14. Iacob. 3. 7. cum cæteris à Borstio productis, quod nisi fecisses binis tuis argumentis, quæ illi opponis, nullus locus fuisset. 3. Ego ne dissimulavi, qui significationes quas ex Borstio accumulas, & loca quibus eas ex Borstio probas, tuis verbis initio theseos meę exhibui? Et quare quęso hoc dissimulassem, quandoquidem significationes illæ ALIÆ nec Borstio obesse, nec tibi prodesse poterant? 4. Non opus erat ut probares tres illas ALIAS significationes vocis naturę pag. 28. & 29. conc. Borstii exstare, sed ut doceres *nullas* vel *nullam* præter illas apud Borstium exstare, ut binis argumentis tuis quæ adversus ipsum adfers locus esset. Addit. 5. *Quod Borstius id fecerit judicio viri docti ut significationem consuetudinis exploderet, aliquid dicit, non omnia. Nam ex iis cõcludit vocabulũ naturæ hic sumendum esse in propria significatione* p. 30. *quod quomodo potest, nisi intelligit ea quæ adduxit propriam naturæ significationem habere? Vnde enim proprietas irrepsit in conclusionem nisi nullo modo sit in præmissis?* Resp. Dixi quantum sufficiebat ad ostendendum virum doctum, uti alibi loquitur, sine adversario esse bellacẽ. Docent hoc verba theseos meę antea adductæ, quę hic non repeto. 2. Vir doctus qui me carpit quod non omnia dicam, certe omnia non dicit, imo nihil dicit quod ad rem faciat. Fingit enim

Borstium conclusionem de qua loquitur struere ex tribus illis significationibus quas deprompsit ex pag. conc. 28. 29. At non ita est. Quod si vir doctus attente perpendisset quæ Borstius habet inde à pag. conc. 24. usque ad locum ubi conclusio comparet, præmissas illas videre potuisset: nec hac misera defensione opus fuisset. Quia autem non fecit quod debebat, rogo lectorem ut aut concionem ipsam Borstii adeat, aut si ea non est ad manum, verba theseos meæ perlegat, ut videat an hic argumentetur an vero tergiversetur vir doctus.

Descendit post hasce φυγομαχίας ad argumentorum suorum defensionem, dicitque *Thes.* VI. *ita ratiocinabar: vel Borstius per naturam hoc loco omnia ista significari vult, vel ex iis aliquid vel nihil. Si omnia, non potest, quia disparatæ res, nativitas, essentia, qualitates. Si aliquid, quidnam illud sit specificandum erat. Si nihil frustra eæ significationes sunt allatæ. Ad hoc vir doctus ait, Borstium ostendisse non intelligere omnia illa quæ ab ipso recensentur sed id quod jam indicatum est. Resp. Nimirum vel sensum communem (sive ut vir doctus loquitur) Iudicium naturale rationis practicæ, vel ordinem naturalem vel utrumque. Hoc si verum est, vel Borstius nihil certi statuit, vel vir doctus quid Borstius statuerit ignorat. Dumque solum primum membrum propositionis meæ conatur expedire reliqua duo intacta deserit.* Resp. 1. Aliquid certi statuit Borstius, nimirum, nullam illarum significationum quę in sacris literis occurrunt loco Paulino convenire, quæ aliud quam vel judicium rationis practicę, vel ordinem naturalem, dicunt: adeoque tres illas quas vir doctus producit, *nativitatem, essentiam, qualitates* repudiat. Fluctuasse autem videtur utrum vox *naturæ* apud Apostolum significaret judicium naturale rationis practicæ, an vero ordinem naturalem: nisi forte utramque significationem conjunxerit. 2. Optime novi Borstium explodere tres illas significationes ex quibus adversum ipsum argumentaris, quod mihi sufficit, ut te eum iniquius quam oportuit tractasse probem: de cæteris solicitus non sum. 3. Nescio quomodo me solummodo ad primum membrum propositionis tuæ respondisse dicas. Nam non tantum ajo, *non omnia* quę adducis *nativitatem, essentiam, qualitates*, Borstium voce *naturæ* in dicto Paulino intellexisse, verum etiam significo, nihil istorum intellexisse. Dico enim: *Argumentum*

tum quod opponit Borstio nullum esse. Ostendit enim Borstius se per voce naturæ non intelligere omnia illa quæ ab ipso recensentur, SED ID QUOD JAM INDICATUM EST, nimirum vel judicium naturale rationis practicæ, vel ordinem naturalem, vel utrumque simul. Quod si enim hæc quæ Borstium intelligere dixi non contineantur tribus illis significationibus vocis naturæ de quibus agebatur, à me assertum fuit, nihil illorum quæ adducis à Borstio intelligi. Pergit: *Denique cum negat Borstium dixisse omnes hasce significationes quas accumulat vocis naturæ esse proprias. Restat dicendum quæ nam illa sit ex qua propriam acceptionem in loco Paulino* concluserit? *Nullam video nisi eam quæ naturam dicit* essentiam per quam res est id quod est: *hæc enim est significatio maxime propria. At eam hic locum habere non posse in fine hujus theseos ostendimus. Iudicium practicum esse naturam proprie dictam tum demonstrabit vir doctus quum fines iidem vesper & ortus erunt: Nihil ergo & illud pertinet ad conclusionem Borstii, ut nec altera viri docti acceptio* quæ *naturam explicat per vim & ordinem naturalem. Naturale enim est quod ad naturam spectat.* Resp. 1. Negaverat vir doctus omnes illas quas enumeraverat acceptiones vocis φύσεως nimirum *nativitatem, essentiam, qualitates* de quibus 2. Pet. 1. 4. esse acceptiones proprias: Verba ejus sunt: *Nec verum est omnes hasce acceptiones esse proprias.* Quid hic aliud dicendum erat quam quod dixi? nimirum: *Supervacaneum esse secundum argumentum, ut quod Borstium non ferit nusquam enim Borstius omnes illas significationes, quas auctor hic cumulat dixit vocis naturæ esse proprias.* Neque enim ut id diceret Borstius opus habebat, ut quibus in dicto Paulino locum non concesserat. 2. Adeat vir doctus pag. conc. Borstii 24. & videbit id, quod dicendum restare ait. 3. Negabunt Conimbricenses ad 2. Physic. Arist. cap. 1. quæst. 1. *Essentiam per quam res est id quod est* esse vocis naturæ significationem *maxime propriam.* Ajunt enim *nativitatem* esse *primam & germanam, tam apud latinos quam apud græcos vocis naturæ* significationem. 4. Si significatio qua natura dicitur *essentia* est *maxime* propria: dantur ergo aliæ quædam significationes vocis naturæ quæ quidem propriæ sint, sed tamen non *maxime* propriæ, reponantur ergo inter illas proprias quidem sed non *maxime* proprias, illæ de quibus Borstius agit conc. pag. 29. 5. Meum non est demonstrare aut judicium naturale rationis practicæ,

ticæ, aut ordinem naturalem esse significationem propriam vocis naturæ: sufficit me ostendisse Borstium alterutram harum, aut utramque, vocare significationem vocis naturæ propriam, atque adeo virum doctum ipsi facere injuriam quod illis omissis tres alias commemoravit, quas Borstius in dicto Paulino locum habere nusquam dicit, ut eum oppugnaret. 6. Erraverit Borstius dum vocat aut alterutram aut utramque illarum significationum vocis naturæ propriam: an hoc ita vellicandum erat in scripto populari? præsertim cum ne quidem certum sit, eam quam sequitur vir doctus sententiam de *maxime propria* vocis *naturæ* significatione, esse veram. Adoptant enim Conimbricenses pro *prima* & germana significatione vocis naturæ, qua *nativitatem* non qua *essentiam* notat. 7. Nititur thes. 6. ex Aristot. Phys. 2. c. 1. probare *nativitatem* proprie *naturam* non esse, quia, inquit, εσι δε ἡ φύσις ἡ λεγομένη ὡσ γένησις, ὁδὸς εἰς φύσιν. Sed non dicit Philosophus eo loco φύσιν proprie non significare nativitatem, sed *essentiam*, verum tantum *naturam* ut notat *nativitatem*, tendere ad *naturam* prout formam significat, ut de qua antea egerat. prętereo nunc quod Thomas 1. p. quæst. 64. & alibi ut & ejus interpretes dicant posse esse unius vocis plures significationes *proprias* diversa tamen ratione, quia mihi necesse non est ut eo confugiam. Ex hisce liquet merito me in thesi mea dixisse iniquius quam oportuit Borstium à viro docto tractatum videri: contrarium autem de monstrabit vir doctus, *quum fines iidem vesper & ortus erunt.*

CAPUT XXII.

LAbor irritus. quæsitum obvium. Textus auctoris restitutus, error ex ambiguitate. Distinctio solida. De præteritis, error circa prudentiam œconomicam & civilem detectus. Oculorum usus impeditus. Latens non revelatum. Omissio. præsuppositio noxia. Prævisio irrita. nimia liberalitas non nimia. Omissio præcepta hypothetica. Ruina thesium quarundam viri docti. De sonantibus in malum.

THesi XIV. egi de acceptione vocis naturę, quæ viro docto VIII. erat. Verba Theseos meę sunt. Octava acceptio vocis naturę viro docto est ea, qua natura statuitur signi-

» significare rectæ rationis judicium ex instinctu naturę fluens, quod
» vulgo sensus communis appellatur disp. 3. de coma thes. 7. Ait au-
» tem 1. hic in memoriam revocandum, id quod dixi disp. text. p. 2.
» thes. 1. Naturam aliquid dici docere, vel prout est res quædam ex
» qua cognitionem haurimus, vel prout est actus sive operatio quę-
» dam nostra cognitionem producens. 2. Me posteriorem docendi
» rationem naturę, pro ut significat judicium naturale, rationi tri-
» buere. 3. Hanc acceptionem non ut falsam improbandam, sed ut
» imperfectam supplendam. Quia judicium rationis rectę non mo-
» do terminatur ad honestum & turpe, sed etiam ad res physicas &
» artificiales, aut etiam ad prudentiam œconomicam ac civilem spe-
» ctantes. 4. Non sequi. Recta ratio (natura ita sumta) dictat viro
» non esse alendam comam, ergo vetat id sub ratione peccati; cum
» id possit dissuadere sub ratione incommodi; & quomodo id fieri
» possit in sequentibus visum iri. 5. Peccare argumentum à non
» distributo ad distributum, id est à genere ad speciem affirma-
» tive. Resp. Ad 1. eorum quæ vir doctus hic commentatur ad
» hanc acceptionem vocis naturę, agnosco distinctionem à me da-
» tam. Sed velim & alia thesi illa unde hæc petita sunt legi. Ad 2.
» Tribuo posteriorem hanc rationem docendi naturę, pro ut signi-
» ficat judicium rationis rectæ: Sed etiam ostendi, si aliter vox na-
» turę sumatur (ut à multis sumitur) priorem ipsi convenire. Ad
» 3. Nego distinctionem à me datam esse imperfectam, aut sup-
» pletione indigere. Nam sic loquor eadem illa Thesi: Quę suppo-
» torum varia sunt, ut facultates, habitus, organa corporis, adjun-
» cta, operationes, opera, eventus atque his similia. Hisce τὸ διδά-
» σκειν attribui potest, quatenus sunt principia instrumenta, media
» & occasiones quibus ad notitiam sive speculativam sive practi-
» cam pervenimus. Sic Psaltes Psal. 16. 7. יסרו quod lxx loco in-
» dicato παιδεύειν reddunt, renibus suis attribuit. Sic quoque So-
» phocles in Electra & Theognis paupertatem multa διδάσκειν di-
» xerunt. Simili modo fames & quæ nocent hominem docere di-
» cuntur. Certe qui hęc legit nihil mutilum hic deprehendet; nam
» quidquid hic adfert vir doctus ad scientiam speculativam aut pra-
» cticam de qua loquor, pertinet. Ad 4. hoc non est meum argu-
» mentum sed auctoris verba: mea sunt, Quod si vero intelligamus

» judicium naturale rationis rectæ, natura docere dicitur, pro ut est
» actus sive operatio quædam nostra, cognitionem producens. Af-
» firmo tamen quod si admittamus hac significatione apud Apo-
» stolum naturam dici docere, statuendum naturam docere viro
» non esse promittendam comam, sub ratione peccati, & probo hoc
» ex scopo quem sibi Apostolus propositum habet. Nam propterea
» ait Apostolus naturam docere, viro ἀτιμίαν, mulieri vero δόξαν τὸ κα-
» μᾶν, ut ostendat viro illicitum velato, mulieri aperto capite orare
» aut prophetare; At quomodo hoc assequeretur, nisi significaret
» naturam docere, id quod eam docere dicit, sub ratione peccati?
» Quod si dicat Apostolum sibi id propositum non habuisse, quod
» ipsum sibi propositum habuisse dico; sed tantum detrimentosum
» viro & fœminæ esse, si facit contra dictamen naturę; ineptus est:
» 1. quia v. 14. Apostolus ostendit se loqui non de eo quod quoquo
» modo detrimentosum, sed honestum aut turpe est. Ait enim, Apud
» vos ipsos judicate num decorum πρέπον est &c. 2. Tota series dis-
» putationis Apostolicæ versibus 16. prioribus comprehensæ, mon-
» strat Apostolum agere non de eo quod quoquo modo detrimen-
» tosum, sed quod honestum & turpe esset. 3. Nescio an quisquam
» prętер virum doctum dicturus sit, licitum esse sibi ipsi detrimen-
» tum afferre, quod rationem boni liciti non induat, ex fine licito.
» Nam si quis ita sentiat: ipsi concedendum erit, licitum esse agere
» contra regulas prudentię & honestum finem. 2. Licitum esse age-
» re contra charitatem: & sibi velle malum qua malum. Sed de his-
» ce ut auctor ait in seqq. videbitur. Ad 5. nego procedi à me à non
» distributo ad distributum, ut patet ex prędcedentibus. Respondet
vir doctus libert. pag. 112. *Thes.* 7. *retuli octavam vocis* naturæ *acce-
ptionem, qua esse statuitur, rectæ rationis judicium, ex instinctu naturæ
fluens quod vulgo sensus communis nomine appellatur. Qui in hanc sen-
tentiam citentur, quique eam defendant, quis impugnet, adjunxi. Et ad-
do, Borstium hoc judicium explicare per scintillas & reliquias quæ in ho-
mine, à primo ejus statu adhuc supersunt, quales sunt (præter alia) noti-
tia honesti ac turpis; quo pacto vox naturæ sumatur* Rom. 2. 14. 3. 7.
Thes. 8. *in memoriam revoco naturam aliquid dici docere, vel prout est
res quædam ex cujus contemplatione cognitionem haurimus, vel prout est
actus sive operatio quædam nostra cognitionem producens, idque ex distin-
ctione*

ctione viri docti qui posteriorem modum naturæ attribuit prout significat judicium naturale rationis rectæ. Resp. Si defenditur hæc acceptio vocis naturę à Borstio p. 24. in dicto Paulino ut vir doctus agnoscit, minime autem tres illę de quibus precedenti capite actum fuit, quid causæ fuit, ut ex iis quas non defendit, ac si defenderet, adversus ipsum argumentaretur? Item ut quæreret unde Borstius in dicto Paulino propriam vocis naturæ significationem esse retinendam collegerit? Pergit: *Addo me hanc acceptionem non improbare ut falsam sed supplere ejus explicationem ut minus perfectam. Repetit hæc vir doctas thesi sua* XIV. *sed mutilè & confuse. Cum non distinguat hanc vocis acceptionem, explicationem ejus à Borstio allatam, & propriam suam distinctionem. Ita enim verba citat: hanc acceptionem non ut falsam approbandam: sed ut imperfectam supplendam: & mox nego distinctionem meam esse imperfectam aut suppletione indigere. At ego neutrum dixi. Nam acceptionem probavi. Distinctionem etiam laudavi sed explicationem Borstii minus perfectam esse dixi. Quidquid ergo hic affert, ut ostendat in distinctione sua nihil mutilum esse otiosum est. Bonam illam esse dixi nec dictum muto.* Resp. Fateor verba theseos esse mutila & confusa. Mutila quia pro *sed ut imperfectam supplendam*, legendum est *sed explicationem ejus imperfectam supplendam.* Confusa, quia loco *& nego distinctionem meam esse imperfectam* legendum *nego explicationem meam esse imperfectam.* Nescio autem unde hic error irrepserit. Typothetis imperitis (ut monui in præfatione diatribes meæ, & res ipsa clamat) addo etiam non obsequentibus, usus fui. An autem ab illis hic peccatum sit, an vero mihi ipsi circa alia occupato, hiulca & confusa oratio hæc tribui debeat, nunc non disputo. Quia id necessum non arbitror. præsertim cum ea quæ in thesi mea sequuntur satis superque doceant, me non distinctionis meę veritatem (quam non oppugnabat vir doctus, sed bonam esse fatebatur) sed explicationis quam dederam perfectionem vindicare voluisse 2. Causa erat quare judicarem perfectionem explicationis meæ ad distinctionem à me propositam, vindicandam esse, nimirum quia eam negari arbitrabar. Nam existimabam pronomen *ejus* in verbis viri docti *hanc acceptionem non improbamus ut falsam, sed supplemus* ejus *explicationem ut minus perfectam*, personę esse non rei, atque inde colligebam, me de quo proxime locutus erat,

peti; dicique, licet distinctio mea probaretur, imperfecte tamen eam à me explicari. Quod si ergo non percepi mentem viri docti id aut ambiguitati orationis qua utebatur, aut tarditati ingenii mei, quę mihi cum aliis multis communis est, aut & ambiguitati & tarditati, minime vero calliditati, quam mihi vir doctus alibi prę-ter meritum meum impingit, attribuendum. Spero autem virum doctum, aut si id ab ipso impetrare nequeo, lectorem mihi hic fi-dem habiturum. 3. Gaudeo virum doctum distinctionem à me da-tam non tantum laudasse sed ne nunc quidem dictum mutare. Nam hinc deprehendo eam solidiorem esse *quam ut ei* (sicuti ipsum mox loquentem audiemus) *dentem infigere possit*. 4. Otiosa esse quæ attuli ad perfectionem explicationis à me allatę distinctionis, probandam, nequidem vir doctus dicet. Pergit *videamus jam cur sup-plendam explicationem Borstii existimarim. Etenim inquam judicium re-ctæ rationis quæ fuit ante lapsum & cujus adhuc igniculi in nobis super-sunt, non modo terminatur ad honestum ac turpe tale quale intelligit Borstius.* 1. *ad res à Deo vel præceptas vel prohibitas, sed & ad res phy-sicas, artificiales aut etiam ad prudentiam œconomicam ac civilem spe-ctantes. primi specimen est Gen. 2. 19. Ubi apparet Adamum singularum animantium naturas exacte notas habuisse, atque ita nomina eis consen-tanea, & accommodata imposuisse, ut divinitus illa ὀνομαθεσία probaretur. Secundi exemplum, est loco quem Borstius citat ex Iac. 3. Ubi Apostolus dit, omnem naturam & ferarum & volucrum serpentiumque domari & domitã esse à natura.* 1. *ratione humana, quod certe non pertinet ad ju-dicium de re honesta aut turpi: sed ad scientiam & artem circa rem na-turalem, corpoream & corporalem usum hominis spectantem, qualis est a-nimalium cicuratio. De prudentia œconomica & civili res non minus clara est, ea enim non modo de peccato & recte facto præcepta tradit sed & ea quæ vel commodum vel incommodum existimationi reive familia-ri aut publicæ afferre possint, amplectenda aut cavenda suggerit. Hæc o-mnia vir doctus sicco pede transit, nam solidiora sunt, quam ut iis dentem infigere possit.* Resp. 1. Sententiam viri docti verbis quæ recitat contentam omissis exemplis quibus eam vel illustrare vel probare nititur, fideliter expressi. Non adduxi autem exempla illa quia bre-vitati studebam, nec ea ad examen esse revocanda, judicabam. 2. Si solidiora hæc sint quam ut iis dentem infigere possim, (quamvis

mor-

mordere non soleam)id certe admiratione dignum non est. Quod si enim nullus fere scriptor ita imperitus sit,in quo non aliquid boni reperiatur: mirum non (est virum doctum, cujus eruditionem præstantem in dubium non voco) aliquid solidi attulisse:imo multo magis mirandum,omnia quę attulit laude soliditatis ornari non posse. 3. Quandoquidem vir doctus tantopere confidit iis quæ prætermisi, ac si omnibus numeris perfecta essent, videndum an non aliquid saltem in iis compareat, de quo merito dubitari possit an solidum sit. existimo autem nonnihil tale sese nobis offerre. Negat enim judicium rationis rectæ quatenus terminatur ad prudentiam œconomicam ac civilem, terminari ad honestum aut turpe, adeoque prudentiam œconomicam & civilem rebus mediis annumerat. Vnde consequitur nobis in œconomia & rebus civilibus imprudentibus esse licere; nec increpandos qui in rebus œconomicis aut civilibus imprudenter sese gerunt. An autem hoc hactenus ab ullo defensum sit me latet. Pergit, *Addit his ita distinctis non sequitur recta ratio (sumamus ita naturam) dictat Corinthiis non esse viro alendam comam, ergo vetat id sub ratione peccati vel illiciti, cum id possit dissuadere sub ratione incommodi, quod quomodo hic locum habere possit, videbitur in seqq. peccat ergo argumentum à non distributo ad distributum,sive à genere ad speciem affirmative. Resp. Nec ut tuum, sed ut Borstii argumentum proposui. Cujus nomen hic bis iterum expressum vidisses si oculis voluisses uti. Latet autem in ejus explicatione, in qua à scintillis & reliquiis quæ in homine à primo ejus statu supersunt in genere sumtis, manifesto paralogismo delabitur ad certam earum speciem,* 1. *quæ pertinet ad* naturæ legem, *ut patet ex citato ab eo loco Pauli Rom.*2.14. Resp. 1. Oculis *uti volui,& usus sum.* Bisque thes.8. (*iterum* redundat) vidi nomen Borstii, nec tamen (quę mea est hebetudo,) videre potui me à te non peti. Nam præterquam quod th.7. me Borstio in acceptione hac vocis naturæ conjungis nulla explicatione addita quomodo ego eam accipiam,quod habere potuisses ex disp. 3. thes. 6. quam indicas, & thes. 8. iterum nomen meum exprimis; pronomenque *ejus*,de quo antea dictum est,ambiguum est: placuit tibi hac agendi ratione uti, ut non tantum Poimenandro (sicuti à me ostensum est thesi 4. & 6.) quæ à Voetio dicta sunt attribueres, quod etiam defendis libert. pag. 44. & alibi verum

etiam in disputatione quadam publica (ut accepi à fide dignis qui interfuêre) quæ à Poimenandro & Borstio dicta fuere, mihi adscriberes. 2. Non erat indicandus locus Rom. 2. v. 14. à Borstio citatus, ut ostenderes in *explicatione* Borstii latere paralogismum à non distributo ad distributum, sive à genere ad speciem affirmative, sed probandum locum illum manifestum facere quod tu *latere* dicis. Nam locum illum vidi & video in *explicatione* Borstii, etiam alterum nimirum Iacob 3. 7. neque tamen paralogismum illum ibi invenio. Pergit. *Videns autem vir doctus, vel argumentum hoc sibi defendendum, vel acceptionem hanc vocis naturæ sibi prorsus inutilem fore, id pro suo amplectitur, & probare conatur ex scopo Apostoli, qui erat, docere viro illicitum velato, mulieri aperto capite orare. Præsupponit nimirum hæc esse legis divinæ & immutabilis, quæ tantum esse constitutionis Ecclesiasticæ, loco ac tempore mobilis suo loco ostendemus.* Resp. 1. Argumentum in *explicatione* Borstii à nõ distributo ad distributum *latere* (ut já dixi) nec vidi nec video; nec illud si latere viderem, ducerem mihi defendendum. Acceptionem vero vocis naturę qua *recta rationis judicium ex instinctu naturæ fluens*, significare dicitur, thesibus meis inserui, & adversus dialogistam defendi. Defensio autem mea talis visa fuit viro docto, ut eam *sicco pede transierit. Solidior enim erat quam ut* (verbis ejus utor) *ei dentem infigeret.* 2. Recte me ex scopo Apostoli adversus virum doctum argumentatum esse, quisquis thesin meam sine præjudicio legerit, & oculis uti voluerit, judicabit. 3. Quę de præsuppositione mea (quam vocat) & sua adfert, ut intempestiva prætereo: Vnum tantum dico: si præsuppositio ejus vera est, nulla ratione ipsum defendere posse. Rev. D. Iunium Pastorem Delphensem, qui magno molimine hoc egit, ut viri Formosani ponerent comam. v. libert. p. 97. Addit: *Porro in eo quod non* peccati *sed incommodi hic rationem haberi posse innuam inceptum me esse dicit, quia Apostolus loquatur non de eo quod quoquo modo detrimentosum, sed honestum ac turpe est. Resp. At ineptus ego plumbeum acumen illius argumenti jam prævideram, ideo ad detrimentosa retuleram quæ incommodum* EXISTIMATIONI *adferre possent. Et eo pertinet τὸ ἄτιμον Apostoli. illud* quoquo modo *quod bis infarcit vir doctus non est meum, sibi habeat quod suum est. Non amo nimirum liberales.* Resp. 1. Quæ vir doctus hic narrat de acumine

suo

ſuo quo præviderit *acumen plumbeum* argumenti mei, non ſolvunt argumentum meum quod ne quidem repreſentavit lectori. Nam eſto, retulerit ad detrimentoſa ea, de quibus loquitur, quæ incommodum *exiſtimationi* afferre poſſent; an inde ſequitur, Apoſtolum, poſito quod loquatur de detrimentoſo tali, hoc non adferre ut doceat illicitum eſſe viris Corinthiis velato, mulieribus aperto capite orare aut prophetare? Fateor ego me id videre non poſſe: Quomodo autem id ipſe viderit, ubi commodum erit explicabit. 2. Vbi argumentum quod Borſtio tribuit, poſt prœmiſſas ſuas diſtinctiones, refutat, *incommodi exiſtimationis* non meminit, ſed tantum *incommodi*. 3. in præcedentibus non tantum incommodi *exiſtimationis*, ſed etiam *rei familiaris*, & *publicæ* mentionem fecerat, meum ergo non fuit *incommodum* de quo vir doctus loquitur reſtringere, quod ipſe non reſtrinxerat: atque hinc illud τὸ *quoquo modo*. Pergit: *Addit, licitum non eſſe ſibi ipſi detrimentum inferre niſi ex fine licito. Reſp. Nec illicitum hoc eſt niſi ex fine illicito, aliave circumſtantia vitioſa, per ſe ergo eſt indifferens, cum bonitas ejus aut malitia è circumſtantiis pendeat. Quo uno conſiderato cadunt quæcunque contra affert. Quod negat à ſe procedi à non diſtributo ad diſtributum, id poſtquam Borſtii argumentum ſuum fecit, perperam negat, ut modo viſum eſt.* Reſp. 1. Vt primum argumentum meum quod petitum erat à ſcopo Apoſtoli contra exceptionem ſuam ab incommodo petitam, vir doctus *præviſione* ſua nullo modo concuſſit, nedum evertit: ſic ſecundum quod ſumtum erat à tota ſerie diſputationis Apoſtolicę ſicco pede tranſit, hoc certe non eſt nimię liberalitatis cujus me (licet immerito) accuſat, ſed nimiæ parſimonię. 2. Si non *illicitum, niſi ex fine illicito, aliave circumſtantia vitioſa* ſibi detrimentum inferre; agnoſcit vir doctus eſſe præcepta legis naturæ quæ non niſi poſitis ponendis obligant, adeoque cadit argumentum quod exhibet diſp. 1. de coma Theſ. XI. De quo ſupra cap. XIV. actum fuit. 3. Si cadunt quæcunque contra exceptionem viri docti attuli *uno hoc conſiderato*, cadit etiam (quod abſurdum) argumentatio Apoſtoli, qui ſecundum virum doctum *ab incommodo exiſtimationis* argumentatur, ut oſtendat viris Corinthiis velato, mulieribus aperto capite orare aut prophetare illicitum eſſe. Imo vero etiam quę habet vir doctus Theſ. XI. diſp. 3. 4. Diſtinguunt Theologi

logi inter indifferentia, & quæ in malum ſonant, pertinetque *inferre ſibi incommodum* ad ea quę poſterioris ſunt generis. 5. Argumentum illud quod Borſtio tribuit vir doctus, ne Borſtii quidem eſſe agnoſco, multo minus illud defendo, ſed exceptionem quam ab *incommodo* ſumit vir doctus retundo, & quam non conveniat dicto Paulino oſtendo.

CAPUT XXIII.

Confuſio fruſtra tentata. Querimonia nuſquam comparens. conditio impoſſibilis. Sagacitas Corinthiorum indoctorum mira. Auctoritas negativa. Incredulitas conditionata. Onus declinatum. negligentia. querimonia inſipida. ſcientia neſcia. Tribunal Dei conſcenſum. exprobratio retuſa. de natura & ſexu. mutatio terminorum. ſyllogiſmus mirus. ἐνθύμημα nuperum. ſententia deſerta. ſarcaſmi manes. Injuria in Poimenandrum. Conceſſio reſtricta. Neceſſarium probabile. ἀδύνατον. Declinatio. Detorſio. ἄπαξ λεγόμενον mirum. officium viri docti. Jus auctoris. Conceſſio ejuſdem. Artificium viri docti. Hebræi an habuerint vocabulum quo ſexum denoteni? Vulgata latina. Vineta propria cæſa. Diodorus, Joſephus, Philo examinati. Syllogiſmi duo imbelles. Mutatio terminorum. Thomas. Eſtius. petitio principii. Chryſoſtomus Clemens Alexandrinus.

EAdem illa theſi mea vid. XIV. agitur de nona ſecundum virum doctum acceptione vocis *naturæ*. Verba mea ſunt: „ Nono ait vir doctus naturam accipi pro natura quæ ſexus „ diſcrevit. Significationem hanc tribuit Dialogiſtæ & Borſtio, mihi „ autem hanc diſplicere ait diſp. 3. Th. 8. (*ſerbendum* 9.) Porro ipſe na„ turam ſexum ſignificare ait atq; hanc ſignificationem ad rem perti„ nere dicit. deniq; iis quę pro ea adfert, ſententiam Dialogiſtę ab ex„ ceptionibus meis liberam eſſe pronunciat R. ad 1. Non eſt idem na„ tura quæ ſexus diſcrevit, cum ſexu, niſi velimus cauſam & effectum „ idem eſſe. Male itaque Auctor hic ſententiam Dialogiſtę (quam „ ob cauſam facilius ſuſpicari quam affirmare poſſum) interpolare, „ & cum ea quam ipſe adoptat confundere nititur. Ad 2. quid ad„ verſus Dialogiſtę ſententiam à me dictum ſit, videatur diſp. text. p. „ 3. Theſ. 8. Id enim tale eſt, ut me nondum illius pudeat. Ad 3. E„ ſto ſumatur aliquando φύσις pro ſexu auctori tamen huic pro„ bandum ſupereſt (juxta id quod ait diſp. 1. Theſ. 7.) hic ita ſumi,

præ-

» præsertim cum hæc significatio rarior sit, nec unquam aut apud
» lxx. aut apud N. T. scriptores occurrat: at hoc non facit. Nam
» probatio quam adducit hisce verbis disp. Thes. 11. continetur. Se-
» xus virilis & muliebris inter se comparati docent, illum quidem ad
» imperium, hunc ad subjectionem natum esse, ideoque illi non au-
» tem huic potestatis insignia convenire. Inter quæ cum apud Co-
» rinthios censeretur caput integumento liberum hinc sequi, non
» nisi inhonestum illis esse posse, si id capillis muliebrem in modum
» velatum habeant. At ea si penitius introspiciatur, nullarum virium
» esse deprehendetur. Respondet vir doctus. *Thesi mea nona, nonam acceptionem vocabuli naturæ reliquis adjungo: qua videlicet ea natura hic designari dicitur quæ discrevit sexus. Ita enim auctor dialogi. Quod exprimit Borstius per eam naturam* quæ nos docet virum & fœminam à se mutuo *distinctos esse* v. *Locum.* Addidi *eam explicationem displicere viro docto, eo quod auctor dialogi non indicet quid per illam naturam intelligat.* disp. 3. Thes. 8. *Hæc difficultas ut tollatur, id est ab hac sententia nubecula obscuritatis, si fieri potest, abstergatur, eam ita illustrari posse judicavi, ut præter significationes φύσεως supra excussas, reliqua sit hæc, qua per naturam intelligatur sexus. Is autem marem à fœmina dividit, & discriminis inter utrumque rationem habendam esse docet. Probo hanc acceptionem ex variis auctoribus. & postea thes.* xi. *eam pertinere ad rem de qua agitur ostendo.* Hisce ita commemoratis accingit se ad confutationem eorum quæ attuli & ait. *Resp.* 1. *Nihil me hic confundere voluisse, sed verba Dialogistæ & Borstii (de quorum obscuritate querebatur vir doctus) ab ea liberare conatum res ipsa evincit. Addidi tamen si fieri posset, neque enim meum esse videbam sententiam aliis obtrudere, quam fortasse non haberent. Quod si ita est, facile patior ut quod suum est sibi habeant, & sententiam quam posui tanquam meam mihi relinquant. Sed aliam suam mentem esse neuter adhuc significavit, neque vir doctus aliam nobis notam fecit, qui tamen sensum saltem Borstii cognitum habere debet cujus opus approbavit. Cur ergo illum nobis invidet? Cur nos errare patitur quos in viam potest reducere? Scio cur hoc non tentet, quia videt nos verum sensum attigisse, licet id fateri nolit. Et hæc est causa cur malit hic solum Dialogistam nominare, Borstium prætereat. Nec opus hic suspicionibus (quod in me facit) indulgere, res ipsa clara est.* Resp. 1. Virum doctum

sententiam Dialogistæ cum sua confundere (quamvis diversissimam) nixum esse, res ipsa clamat. Dialogista enim teste ipso viro docto ait in loco Paulino *naturam* designari quę sexus discrevit, ipse vero, *si fieri posset*, vellet ostendere eum per naturam intellexisse *sexus quos natura discrevit*. 2. Minime questus sum de obscuritate verborum Borstii, ut quem vir doctus à me præteritum ait. Dicet forte eandem esse sententiam Borstii & Dialogistę: sed quod si id dicat non admittam, nisi doceat, quid sit illa *natura* quæ secundum Dialogistam sexus discrevit: & probet apud Borstium *naturam* quę *docet* virum & fœminam esse distinctos, eandem esse cum ea quæ secundum Dialogistam *sexus discrevit*. 3. addit *si fieri posset*, sed, opinor, jam videt se tentasse quod fieri non potuit. 4. Non invideo viro docto sententiam suam de sensu vocis *naturæ* in dicto Paulino: Nam ea talis est, ut hactenus, si ullos, paucos tamen defensores invenerit: quamvis ita nota fuerit ipso judice Corinthiis *indoctis, idiotis*, & *sutoribus à sutrina* &c. atque ita evidens, ut ipsi quid & quomodo natura doceret negare non possent, & Apostolus ad ipsorum conscientiam provocaret. 5. Aliam suam mentem esse nec Dialogista nec Borstius ut ait significavit; sed hoc non quæritur; (nam nullum pondus est in talibus auctoritatis negativæ) sed utrum significarit aut uterque aut alter, suam mentem esse, quam vir doctus, *si fieri potuisset* esse voluisset. 6. Imo vero etiamsi uterque significaret, virum doctum rem acu tetigisse non credam, nisi probet eorum alteri naturam quæ sexus discernit idem esse cum sexibus quos discrevit; alter vero sc conc. suæ pag. 24. sententiam suam de sensu vocis naturæ in dicto Paulino non expressisse neget. Tentet vir doctus an hoc facturi sint. 7. Meum non erat notum facere quænam esset sententia Dialogistę: onus illud reliqui viro docto, ut qui, ni fallor, illi propinquior est, & ipsius sententiam illustrare tentavit: sufficiebat mihi ostendere malè virum doctum eam confundere cum sua. 8. Potuisset, vir doctus, *si oculis uti voluisset* ex pag. 24. concionis Borstii habere quænam esset sententia Borstii de voce naturæ in loco Paulino, nimirum eum per φύσιν *sexum* non intelligere, sed vel *sensum communem* cum non nullis vel *vim & ordinem naturalem per quem Deus operatur*, vel utrumque *simul*. 9. Errorem viri docti jam commonstratum (quod antea à me

à me factum non esse vir doctus queritur, esse confido: & simul ipsum jam sentire, se non scire, quod se scire affirmat, & minimè clarum esse quod clarum esse ait. 10. Conscendit hic vir doctus tribunal Dei cum de animi mei cogitationibus adeo confidenter judicat. v. libert. p. 20. præstitisset ipsum *suspicari* quam temerè *scientiam* profiteri. 11. Vineta sua hic cædit. Appendicis enim pag. 14. contendit, Borstium non accepisse *naturam* pro inclinatione naturalis, quia nusquam, vocem *naturæ* hoc sensu accipiat. Hic vero, licet Borstius nusquam vocem naturæ significatione *sexus* sumat, eum voce naturæ *sexum* significasse contendit. Pergit: *Conatur autem Dialogista ac Borstii sententiam (quam ipse fatetur se non intelligere) à mea segregare; quia non est idem natura quæ sexus discrevit cum sexu, nisi velimus causam & effectum esse idem. belle, quasi sexus discernere, sit sexum efficere. Porro per sexum virum & mulierem à se invicem discerni non puto negabit vir doctus. At hoc naturæ attribuit Borstius. Unde eum naturam pro sexu accepisse existimavi & adhuc existimo.* Resp. 1. Si fateor me non intelligere Borstii sententiam, jam sumus ergo pares. Nam & ipse vir doctus fatetur se non intelligere Dialogistę sententiam. Nam τὸ *si fieri potest* quod habet thesi. 10. dipl. 3. & paulo ante repetivit, notat quod hæsitaverit. Quid ergo mihi exprobrat? 2. Belle. quasi *natura quæ sexus discrevit*, non sit causa discretionis sexuum, aut absolute aut secundum quid. & quasi natura quæ sexus discrevit quod vult vir doctus, sit eadem cum sexibus quos discrevit. 3. Mutat vir doctus terminos. Borstius enim non dixit naturam discernere sexus: sed quod natura doceat (ipso viro docto teste disp. 3. thes. 9.) virum & fœminam à se mutuo esse distinctos. 4. Sic argumentatur vir doctus: *per sexum vir & mulier à se invicem discernuntur. Per naturam juxta Borstium, vir & mulier à se invicem discernuntur. ergo natura secundum Borstium est sexus.* & tamen hoc argumento adductus existimavit & adhuc existimat Borstium naturam pro sexu accepisse. Quasi argumentum in secunda figura ex meris affirmativis virum doctum movere debuerit ut existimaret, & adhuc existimet, Borstium per naturam intelligere sexum. Logicorum pueri ad quos nuper provocabat vir doctus, melius norunt. 5. Sufficit mihi ut virum doctum refutem, quod norim Bor-

ſtium per naturam intelligere, aut judicium ſanæ rationis practicæ, aut vim & ordinem per quem Deus operatur, aut utrumque. Ad 5. ἐυρημα viri docti per naturam ſexum intelligentis in dicto Paulino, cùm nobis exhibuit Borſtius concionem ſuam recognoſcendam, nondum natum erat; nec de eo cogitarunt Piſcator, & Poimenander quos laudat Borſtius p. 24. 6. ex hiſce conſtat 1. viri docti ſententiam *naturam* in dicto Paulino *ſexum* interpretantis ita eſſe deſertam, (quod libert. pag. 15. Poimenandro objecit) ut ei comes quæratur, nec tamen inveniatur. 2. Sarcaſmos illos viri docti, quibus nimium quam confidenter judicat de occultis animi mei cogitationibus, per quam inanes eſſe. Addit tamen: *Si ſecus eſt, indicet hoc viro docto, ut is ſaltem nunc intelligat quæ manus ſuæ ſubſcriptione, antequam intelligeret ſancivit.* Reſp. 1. Quod ſi Dialogiſta per naturam quæ ſexus diſcrevit intelligat ſexus à natura diſcretos, indicet id nunc ſaltem viro docto, ne amplius hæſitet, & quod non intelligit, ad cauſæ ſuæ præſidium rapiat, nimirum ut comitem inveniat. 2. Quod ſi ſententiam Borſtius protuliſſet aut verbo Dei contrariam, aut defendiſſet doctrinam receptæ ſynodorumque diataxibus repugnantem, ſarcaſmis hiſce forſan aliquis locus eſſet. Sed id non fecit Borſtius, ſive priorem, ſive poſteriorem, quam dat de vocis naturæ ſenſu ſententiam ſecutus ſit, ſive utramque conjunxerit; Vnde non eſt quare nos approbationis noſtrę pudeat: aut metuamus judicium eorum qui eam legerint.

Pergit: *Iam ſive hæc ſit ſententia auctorum illorum, quos quia per eos hac in parte profeciſſe me arbitrabar ingenue nominavi, ſive mea, quam ut ait vir doctus adoptavi, certum eſt eam ab injuriis quibus fas eſt modis defendere.* Reſp. Paulo ante dixit vir doctus, confidenter valde, *me vidiſſe ſe ſenſum Borſtii attigiſſe quamvis id fateri nollem:* at hic ſe ipſum dubitare ſignificat, num aut Dialogiſtæ aut Borſtii *verum ſenſum attigerit*; quomodo autem ego viderim vidiſſe virum doctum id, de quo num ipſe viderit, dubitat? & merito quidem dubitat; nam jam planum feci male ipſum vidiſſe, quia ſyllogiſmus in ſecunda figura ex meris affirmativis, ſcientiam generare nequit, imo nequidem opinionem, niſi forte in iis qui logicorum pueris rudiores ſunt. 2. Videamus quomodo ſententiam ſuam ab *injuriis* de quibus loquitur defendat. Ait: *Dicit ergo vir doctus: Eſto ſu-*

ma-

matur aliquando φύσις pro sexu: auctori tamen huic probandum superest (juxta id quod ait disp. 1. Thes. 7.) hic ita sumi, præsertim cum hæc significatio rarior sit, nec unquam apud lxx aut N. T. scriptores occurrat. Resp. Quod disp. 1. thes. 7. ne dixisse ait tale est, Poimenander ex voce naturæ quæ apud Paulum occurrit, concludit naturæ legem quia alicubi hoc significet; negavi id sequi, quia plures sunt acceptiones ejus vocis, quas ex ipsis ejus συναγωγαῖς attuli, procedere ergo argumentum à particulari. Hic omnibus illis significationibus unam super addo, quam ipse vir doctus in fine Theseos sua probabilem esse fatetur. Hoc auget vim meæ ἐνστάσεως adversus Poimenandrum. Vult vir doctus me demonstrare eam esse sequendam, prout postulabam à Poimenandro. Verum iniquum est, hoc postulare cum causa dispar sit. Poimenander è voce naturæ colligebat naturæ legem, ego eam vocem aliter posse sumi ajo, adeoque Poimenandri consequentiam nullam esse. Deinde acceptionem hanc lectoribus non obtrudo ut necessariam, sed cur eam reliquis præferam, rationes adduco thes. xi. ubi eæ examinabuntur. Resp. 1. Errat vir doctus cum ait. Poimenandrum ex voce naturæ quæ apud Paulum occurrit, concludere naturæ legem. Probavi id cap. 7. & ipse vir doctus se errare videre potuisset si oculis uti voluisset pag. lib. Poimenandriani 157. quam ipse citat disp. 1. thes. 6. immediate ante Thesin qua Poimenandro impingit, quod ex voce naturę quæ apud Paulum occurrit, concludat naturę legem. 2. Certe non negavi (cur enim id negarem, cum causæ meę non officeret?) probabiliter dici posse vocem naturę apud Apostolum sexum denotare, sed addidi, non valere rationem qua vir doctus id probare nitebatur. 3. Non auget confessio mea vim ἐνστάσεως viri docti adversus Poimenandrum: ut cui falsam sententiam affingit. 4. Æquum esse ut quam aliis figis legem, eam ipse subeas omnes judicabunt nisi forte te putes exlegem. 5. Iterum dico errare virum doctum, cum collectionem illam Poimenandro tribuit. 6. Obtrudis acceptionem illam lectoribus ut necessariam. Nam 1. Thesi xi. sic loqueris: *Cæterum ut hanc acceptionem* (nimirum qua φύσις à te sexum significare dicitur) *ad rem qua de agitur pertinere* CONSTET, ostendendum, *quomodo* sexus *doceat, viro inhonestam esse comam prolixam* &c. 7. Si non obtrudis hanc acceptionem ut necessariam sed tantum ut *probabilem* adduxisti, male aliquoties me carpsisti, quod recitans variorum varias acce-

ptiones de plærisque dixi *prababiles* esse, licet significarim disp. Text. p. 1. Thes. 6. *alias alus magis esse probabiles.* Item male mihi objecisti quod quas probabiles dixi, tantum animi gratia defenderim. Fatere itaque aut te male me reprehendisse & insultasse mihi; aut desine negare, te hanc, de qua nunc agimus, sententiam, lectori obtrudere ut necessariam. 8. Si ita ambiguum est quænam vera sit significatio vocis φύσεως in dicto Paulino, ut ne quidem hanc quam reliquis præfers, audeas asserere esse *necessariam*, velim scire quomodo à te dictum sit disp. 2. Thes. 6. *Naturam de qua Apostolus agit docere Corinthios in communi* & ut loqueris ibidem *indoctos & idiotas* & libert. pag. 87. *sutores à sutrina* &c. *idque tam evidenter*, nimirum *evidentia* non tantum *objectiva* sed etiam *cognitionis* uti ais libert. p. 83. & 84. *ut ipsi hoc negare non possent: & Apostolus ad ipsorum conscientiam provocaret?* Necessum est si tibi constare velis, ut dicas Corinthios *in communi, indoctos, idiotas, sutores à sutrina* &c. per se, (nam institutionem aliorum ab iis removes. libert. pag. 87. 88. 89.) vim vocis *naturæ* in dicto Paulino melius intellexisse, non tantum iis quos refutandos suscepisti, sed etiam te ipso. Oculatos certe oportuit esse Corinthios *in communi, indoctos, idiotas, sutores à sutrina* &c. qui tali acumine præditi fuerunt. *Expendamus* inquit *jam rationes quas vir doctus in contrarium adducit: Prior est, quod hæc significatio rarior sit. Altera quod nunquam aut apud lxx aut apud N. T. scriptores occurrat. Resp. Prior ratio est prorsus ἀσυλλογίς. Rarum est ergo ab Apostolo non usurpatum. Sunt enim in utroque Testamento, non solum rara quædam, sed ἅπαξ λεγόμενα. Verum hoc omisso quæro an significationes à viro docto, & iis qui cum ipso faciunt, inducta omnes tritæ & vulgares sint. Non puto dicturum. Neque hoc ergo hic eum æquum est exigere.* Resp. A viro docto postulatum fuit ut probaret vocem φύσεως (admisso quod aliquando sexum significet) in dicto Paulino ita sumi. Nimirum quia non sequitur (juxta id quod dixit disp. 1. Thes. 7.) vocem naturæ, si alicubi *sexum* significet, ideo & hic denotare, & dictum id eo magis ipsi probandum, quia hæc significatio rarior est. Vt autem declinet hunc ictum, non tantum non probat quod probandum erat: sed etiam verba mea ita accipit ac si iis negassem, vocem istam in dicto Paulino sic sumi; quod non ita est. Confirmationem tantum continent postulati

mei

mei ut ex dictis liquet. bonam autem esse nemo ut (opinor) dubitabit. 2. ἅπαξ λεγόμενον non est vocabulum φυσίως, ut quod frequenter (licet non eo significatu de quo hic quæstio est) tum in prophanis scriptoribus, tum in novi testamenti scriptis occurrit: & quod si ἅπαξ λεγόμενον esset, nihilominus teneretur vir doctus mota quæstione de significato vocis, quod affirmat, probare. 3. Negavit vir doctus libert. pag. 65. se teneri ad interrogata respondere: novcrit ergo me quoque non teneri ut ad interrogata respondeam. 4. Si quę sunt inter sententias quas ego defendi, quæ voeem φύσεως sumunt sensu minus frequentato, etiam ratio dubitandi de earum soliditate est rarior illa significatio, donec aliunde probetur in dicto Paulino locum habere posse. 5. Plærasque saltem vocis *naturæ* acceptiones quas attuli tritiores esse, quam ea sit, quam vir doctus nobis affert, ne quidem, ut opinor, ipse negabit. Pergit: *Altera ratio etiam frigidior est, nam Hebræi vocabulum quo sexum in communi exprimant non habent, unde nec Septuaginta aliquid ei in græco respondens versioni suæ infercire debuerunt. Licet id vulgata latina, nec paucis in locis fecerit. Dicam aliquid amplius: si inde sequitur φύσιν non significare sexum, quia ea significatio non occurrat apud* lxx. *sequetur φύσιν nihil significare, quia ea vox nusquam in toto versionis illius opere comparet. Nisi hic indiligenter fuit Kircherus qui in concordantiis græco hebraicis nusquam eam recenset. De Novo Testamento quod addit non assentior. Semper enim arbitratus sum vocem φύσεως* Rom. 1. 26. *sexum designare, ratio hæc est, si enim legem aut rectæ rationis dictamen aut simile quid denotaret, verba illa:* ἄτινα δὲ θήλειαι ἀυτῶν μετήλλαξαν τὴν φυσικὴν χρῆσιν, εἰς τὴν παρὰ φύσιν. *nihil aliud sibi vellent, quam eas coitu legitimo non contentas, in eos qui legi adversantur, puta in scortationes & adulteria se effudisse. At longe aliud Paulum sibi velle patet è seqq. aliud igitur φύσις & τὸ φύσικὸν ibi significat,* item τὸ παρὰ φύσιν *Nempe sexum & quod ei vel convenit vel ab eo alienum est.* Resp. 1. Eodem artificio hic utitur vir doctus quo antea. 2. Non quæritur utrum Hebræi habeant vocabulum quo sexum in communi exprimant, item an lxx. aliquid ei respondens versioni suæ infercire debuerint: sed an voce φύσεως usi sint significatione de qua agitur? fatetur autem vir doctus eos ea usos non esse; quod mihi sufficit. 3. Habuisse Hebræos vocabulum quo sexum in communi exprimerent, docet Apostolus Iudas

das Epistolæ suę v. 7. Καὶ ἀπελθεῖσαι ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας. Neque enim ut opinor dicet vir doctus phrasin illam esse græcam. 4. Vulgatę latinæ non memini, quamvis ea frequenter voce sexus utatur: licenter quidem si τὸ ῥητὸν textus hebraici respiciamus, at non admodum licenter, saltem in multis, si sensum respiciamus. 5. Non collegi ego φύσιν non significare sexum (id enim significare apud aliquos, à me concessum fuit viro docto) quia apud lxx. ea significatione non occurrit, sed viro docto incumbere necessitatem probandi vocem illam sensu *sexus* apud Apostolum accipi debere: tum ob alia quæ thesis mea exhibet, tum quia vox illa, significatione *sexus* aut apud lxx. aut apud N.T. scriptores non occurrit. Et recte: quia quo rarior est aliqua significatio vocis, eo magis admittendam esse, probandum est; ἐπιζήτησις ergo est illud AMPLIUS quod affert vir doctus. 6. Non quæritur quid vir doctus semper arbitratus sit, sed quid probet. At non probat, vocem φύσεως apud Apostolum *sexum* significare. Nam negamus sequi, admissa quam ponit hypothesi, quod secuturum affirmat quidem, sed nulla ratione confirmat. Pergit: *Supra verbo attigi quæ hac in parte Paulinis consentanea habet Diod. Siculus lib.* 31. *apud Photium, eum locum nunc integrum adscribam. Loquitur autem de puella (ut videbatur) quæ postea sexum mutarit.* διέτη μὲν ἐν χρόνον συνεβίωσε τ' ἀνδρὶ τὴν μὲν γυναικείαν ἐπιπλοκὴν ἐκ ἐπιδεχομένη, τὴν παρὰ φύσιν ὁμιλίαν ὑπομένειν ἀναγκαζομένη. *Quis non videt cum* τῇ γυναικείᾳ ἐπιπλοκῇ *opponitur* ἡ παρὰ φύσιν ὁμιλία, *intelligi eam quæ est* παρὰ φύσιν γυναικείαν. 1. *id est alienam à sexu muliebri. Sic etiam accipienda quæ sequuntur apud Paulum* v. 27. *Vbi nominat* τὴν φυσικὴν χρῆσιν τῆς θηλείας & *ei masculam venerem opponit. Conser Iosephum in Apionem lib.* 2. μίξιν τὴν πρὸς γυναῖκα, ἣν τἀντῷ εἰ μέλλοι τέκνων ἕνεκα γίνεσθαι, τὴν ὑπὲρ ἡδονὴν ἐσύγκε. *Et Philonem de legibus in specie pag.* 535. *edit. Turnebi,* ὁ μὲν παιδερασὴς ἔξω τοῦ ἀντῷ δίκην ὑπομένων ἐπιδέδε. τὸν παρὰ φύσιν ἡδονὴν διώκει. *In his enim omnibus* φύσις *procul dubio sexum notat non autem rationem in communi, alioqui nulla causa esset, cur hisce peccatis peculiariter; ac non etiam aliis ea appellatio tribueretur.* Resp. 1. Quorsum hæc adducit vir doctus? An ut probet necessario φύσιν & φύσικὸν in loco Paulino significare *sexum* & *quod sexui est conveniens?* An vero ut ostendat hanc acceptionem nisi aliud quid sit in textu quod eam impediat, loco Paulino aptari posse? Quod si prius

us voluerit, dicam non sequi, si alibi φύσις *sexum* denotet, ideo & hic eum denotare. vide disp. 1. de coma Thes. 7. Quod si posterius: dabit syllogismum qui non nisi, se judice, monstrosus esse poterit; nimirum hunc: quod *nonnunquam* significat *sexum*, id eo significato hic sumi potest, si nihil aliud obstet. Natura nonnunquam significat sexum. Ergo eo significato hic sumi potest si nihil aliud obstet. Vide libert. pag. 28. 11. Videamus num rite probet vir doctus locis ex Diodoro, Iosepho, & Philone adductis φύσιν significare sexum. Nititur ergo id duobus argumentis assequi; quorum primum est particulare & spectat locum Diodori. alterum generale. Primum tale est: Vbicunque ἡ παρὰ φύσιν ὁμιλία opponitur τῇ γυναικείᾳ ἐπιπλοκῇ intelligitur ea quæ est παρὰ φύσιν γυναικείαν. alienam à muliebri sexu. Atqui hic ἡ παρὰ φύσιν ὁμιλία opponitur τῇ γυναικείᾳ ἐπιπλοκῇ, Ergo. Resp. 1. etiamsi totum concederem argumentum, demta illa interpretatione viri docti, nihil inde mihi metuendum foret. Nam viro docto probandum supererit φύσιν γυναικείαν significare sexum muliebrem: quia phrasis illa varia significare potest. 2. Negatur major. nam non peribit oppositio etiamsi per φύσιν non intelligas φύσιν γυναικείαν, sed φύσιν simpliciter, hoc est vel inclinationem naturalem hominum non tantum qua homines, sed etiam animalia sunt: vel institutum sive ordinem naturæ, secundum quem congressus viri & fœminæ ad generationem tendit: vel denique jus naturæ non quodcunque sed tale cujus quasi quoddam vestigium est in brutis. Nisi forte dicere libuerit viro docto τὴν γυναικείαν ἐπιπλοκὴν qua talem non esse secundum hæc; aut τὴν ὁμιλίαν quæ hic παρὰ φυσιν dicitur, non esse contra hæc. Generale ipsius argumentum tale esse videtur, cujus nulla est causa id statuendum non est. Atqui cur in omnibus his locis, peccatis hisce peculiariter, ac non etiam aliis omnibus ea appellatio (nimirum peccatorum παρὰ φύσιν) tribueretur, si legem aut rationem in communi & non sexum denotaret φύσις, nulla esset causa. Ergo. Resp. 1. Mutantur termini. Nam pag. 121. dixit: *Semper enim arbitratus sum vocem φύσεως Rom.* 1. 26. *sexum designare. Ratio hæc est, si enim* legem *aut* rectæ *rationis dictamen* aut simile quid *denotavet* verba illa: ἀντὶ ᾧ &c. Hic vero ait: *Non autem legem aut* rationem in communi. 2. Rationem reddi posse appellationis ejus de qua quæstio est, etiamsi φύσις sexum non si-

gnificaret, ex iis quæ paulo ante dicta sunt ad locum Diodori liquet: & porro docebit virum doctum Thomas in Epistolam ad Rom. c. 1. ad v. 26. 27. & Estius ad eundem locum. III. Petit principium cum locum Epistolæ ad Rom. 1. v. 27. loco Diodori quem Photius exhibet, conjungit. Nam etiamsi constaret loco illo Diodori φύσιν significare, *sexum*, nondum tamen probatum erit apud Apostolum τὸ φυσικὸν significare quod *sexui est conveniens*; tum propter illa quæ supra allata fuerunt, cum in genere ad hæc loca responderemus: tum etiam quia nondum probavit vir doctus τὸ φυσικὸν significare, *quod sexui conveniens est*. non omnia enim derivata, omnes significationes eorum unde derivantur, imitantur. IV. Addo Chrysostomum, τὴν φυσικὴν χρῆσιν explicare per τὴν κατὰ φύσιν μίξιν, eam vero quę παρὰ φύσιν Apostolo dicitur, vocare παράνομον ἔρωτα. Vide quoque Theophylactum ad Rom. 1. v. 26. 27. Clemens Alexand. Pędag. lib. 3. sodomiticum congressum viri cum muliere vocat καινοτομίαν παρὰ τὸν τῆς φύσεως νόμον.

CAPUT XXIV.

Effugium interceptum. Cl. Salmasius quantus. Liberalitas auctoris. Argumentum depravatum restituitur. Exceptio imbellis. Omissio. Mirum. Salmasius, Gualterus. distinctio symbolorum potestatis. oblivio objecta non probata. Retorsio. deprecatio frustranea. Criminatio retusa. liberalitas animia. parsimonia. Consequentiarum vis. omissum non omissum. Aristophanes. Theophrastus. Stoici. Cynici. De elegantibus & delicioss omissio. Mutatio terminorum. de particularim in argumentatione. de divitibus & effeminatis. An frequens tonsura effeminati indicium? mutatio terminorum. Salmasius se ipsum explicans. paralogismus imaginarius. Paralogismus viri docti. Salmasius declinatus à viro docto; à Gualtero non oppugnatus. damnum tacitum. Gualteri locus de pileis. damnum. Criminatio injusta. De pueris. Detorsio. Cinædi an viri? Arg. auctoris de pueris, Cinædis, & plærisque mulieribus apud Græcos. spurcum quid dupliciter. Musonius. Ioan. Pierius Valerianus. præsuppositiones non concessæ. Argumentum de superioribus & inferioribus. Testimonium Polydori Virgilii quale.

SEquitur eadem illa Thesi mea 14. Nam quamvis verum sit ex sexu virili & muliebri patere illum ad imperium, hunc ad subjectionem natum, minimè tamen valet, quod sub-

» subnectit. Primo quia dicit non probat in conversatione civili ca-
» put ab integumento liberum apud Corinthios signum fuisse im-
» perii & velatum subjectionis. Supra quid apud Romanos usita-
» tum esset ex Plutarcho audivimus: nunc id quod apud Græcos
» receptum fuisse ait. Clariss. Salmasius Epist. de coma pag. 660.
» proferam. Verba ejus sunt; videndum quid moris habuerint
» Græci in civili vita, & conversatione communi, & an alio habi-
» tu capitis fuerint cum sacra facerent. Illud sane certum est pileo
» caput semper texisse, præcipue qui sæpius caput tondebant, ut
» mos in Græcia omni tunc obtinuit. Pueri qui comati erant & ci-
» nædi, non tegebant caput: Viri pileos gerebant. Hos in sacris
» non ponebant. Soli sacerdotes comati simul fuerunt, & tiarati.
» Ex hisce verbis habeo 1. In omni Græcia morem sepius tonden-
» di apud viros obtinuisse. 2. Viros qui sæpius tonderi soliti essent
» caput pileo semper texisse. 3. Ne quidem cum sacra facerent
» pileos posuisse. 4. Sacerdotes gentilium comatos simul fuisse
» & tiaratos. 5. Ex sequentibus etiam illud, sacerdotes gentili-
» um etiam in capite habuisse tiaras cum sacra facerent. Verba e-
» nim viri clarissimi sunt: Cum comati essent nihilominus etiam
» tiaras in capite habebant, dum sacra facerent. 6. Pueros qui co-
» mati erant, & cinædos caput non texisse. Atque adeo 7. apud Co-
» rinthios caput integumento liberum, non fuisse signum impe-
» rii & tectum subjectionis. Nisi placitum sit viro docto statuere pe-
» nes pueros & cinædos in omni Græcia imperium fuisse: subjectio-
» nem vero penes plerosque viros, & inter eos penes sacerdotes, et-
» iam cum sacra peragerent: aut viros præ reliquis præstantes, cum à
» servis, aut ab aliis qui ipsis inferiores essent compellarentur, aut
» ipsi eos alloquerentur, pileos suos à capite removisse, hos vero te-
» cto fuisse. Respondet vir doctus: *Thesi* XI. *Ut acceptionem quam attuli ad rem de qua agitur pertinere constaret, quomodo sexus doceat virum inhonestam esse comam prolixam, ita edisserui: Sexus virilis & muliebris inter se comparati docent, illum quidem ad imperium, hunc ad subjectionem natum esse, ideoque illi, non autem huic, potestatis insignia convenire. Inter quæ cum apud Corinthios censeretur caput integumento liberum, hinc sequitur, nonnisi inhonestum* illis *esse posse, si id capillis muliebrem in morem velatum haberent. Cum vocem* illis *interposui empha-*

sin τὸ ἴσως, quod est in textu, expressi. Omnes siquidem viros sexus decet ipsis convenire potestatis insignia in communi: Corinthios nominatim, hoc insigne in specie propter rationem jam dictam. Ad hæc vir doctus multa multis. 1. *fatetur verum esse, ex sexu virili & muliebri patere, illum ad imperium, hunc ad subjectionem natum esse: Hactenus ergo nobis convenit. Sed* 2. *minime valere dicit quod subnecto.* 1. *quia dicam nos probem in conversatione civili caput ab integumento liberum apud Corinthios signum fuisse imperii, & velatum subjectionis, contrarium autem demonstrare nititur ex Cl. Salmasii Epist. de coma* p. 660. Resp. 1. *Nego me dixisse quod hic mihi impingit, relegantur verba à me posita, & nusquam vò in conversatione civili apparebit. Sed id addendum fuit, ut haberet quod cum aliqua veri specie oppponeret. Apage sinistram liberalitatem.* 2. *Miror quæ nova veneratio virum doctum inceperit, quod nudam auctoritatem Cl. Salmasii in hac causa demonstrationis vicem habere postulet: quam viam si ego insistam, septem observationibus quas ex ejus assertione colligit, non septem alias, ἀλλ' ἕως ἑβδομηκοντάκις ἑπτὰ illas objiciam.* Resp. Ad primum: 1. Negat vir doctus se dixisse in conversatione civili caput integumento liberum inter Corinthios signum imperii fuisse: & certe verba illa apud ipsum non occurrunt, sed nesciebam ego cum diceret *inter quæ* (nimirum potestatis insignia) *cum apud Corinthios censeretur caput integumento liberum*, aliam ejus mentem fuisse. Quis enim suspicetur inter Corinthios in conversatione civili non obtinuisse quod *potestatis* insigne censebatur? 2. dicat nobis vir doctus (nam tacet hic) ubi tandem inter Corinthios caput integumento liberum signum imperii fuerit; si non fuit in conversatione civili? *Cur enim id nobis invidet? cur nos errare patitur, quos in viam potest reducere? Scio cur hoc non tentet, quia videt nos verum sensum attigisse, licet id fateri nolit.* agnoscit ni fallor vir doctus hæc à se effusa fuisse. v. libert. pag. 119. 3. Sive hoc addatur verbis viri docti, sive omittatur, nihilominus quæ attuli, inconcussa stabunt. Ad secundum: 1. Cl. Salmasium nomine eruditionis semper magni feci ex quo ipsius scripta mihi videre contigit: non tamen tanti ut eum falli non posse judicarem. 2. Si voluisem simplici negatione ejus quod dixit vir doctus de signo imperii apud Corinthios, defungi, ipsique quæ asserit, probandi onus imponere, potuissem; placuit tamen ex superabundanti, au-

ctoritatem Cl. Salmasii viri in antiquitatibus exercitatissimi, producere, ut si acquiesceret, sua retractaret, aut saltem responsare non pergeret: Nam ut ait: *Triumphantem veritatem in omnibus gratulabundo animo veneratur.* v. libert. pag. 104. aut si haberet quod Cl. Salmasio opponeret, id nobis non invideret, & cum Cl. Salmasio errare nos non pateretur, sed in viam reduceret. 3. Per me licet ut vel tota plaustra observationum ex Cl. Salmasio contra me adducat: nego tamen iis causam meam ullo modo nedum uno impetu evertendam. Pergit. 3. *Videamus quid meis dictis Salmasiana incommodent. Dixi apud Corinthios inter potestatis insignia fuisse caput integumento liberum. Salmasius dicit: Græcos in civili vita & conversatione communi, pileo caput semper texisse. Haccine mihi adversantur? non possunt, nisi hoc argumento: quod Græci in conversatione communi non fecerunt, id ipsis non fuit potestatis insigne. At id si verum est, nec corona, nec sceptrum regibus erit potestatis insigne, quia in communi conversatione iis non utuntur. Videtur hic auctor præ contradicendi ardore, prorsus oblitus esse eorum quæ ipse docuit quæst. Text. 1. Thes. 6. Ubi ait: Signum dignitatis & auctoritatis virilis per se esse carentiam velaminis, per accidens autem ejus coopertionem, quæ inventa sit ad injurias aëris vitandas, pluvias, ventos, frigora, quæ capiti nudo magis incommodant quam aperto. Videatur locus & huc applicetur. Mirabitur lector, virum doctum sic quasi frontibus adversis ea opponere, quæ illic pulcre convenire existimavit.* Resp. 1. Certe Salmasiana viro docto adversantur: Nam argumentum quod ex Cl. Salmasio affero non est quale vir doctus vult; sed tale: Quod non gesserunt Græci in civili vita & conversatione communi nec cum sacra facerent, præcipue qui sæpius caput tondebant, ut mos in Græcia omni tunc obtinuit, id non fuit signum potestatis apud Corinthios. Sed Græci nec in civili vita & conversatione communi: nec cum sacra facerent, caput integumento liberum gesserunt præcipue qui sæpius caput tondebant, ut mos in Græcia omni tunc obtinuit. Ergo. Major firma est. Quia symbolum ut vult vir doctus disp. 5. de coma thes. 13. quod in usu non est, symbolum amplius non est. Minor est Cl. Salmasii ut cuilibet locum legenti patebit. Puto autem hæc viro docto adversari. 2. Excipit tamen: *At si id verum est nec corona aut sceptrum regibus erit potestatis insigne; quia in communi conversatione iis non u-*

tuntur. Sed ea nulla est. Nam 1. loquitur Salmasius non tantum de conversatione communi, sed præterea etiam de vita civili & de sacrorum usu, quod vir doctus omisit, *ut haberet, quod cum aliqua veri specie opponeret.* Dicat mihi vir doctus an si rex in vita civili, in conversatione communi, aut cum sacris intereat, corona aut sceptro non utatur, tum adhuc illa futura sint insignia regiæ potestatis? non potest. Nam Symboli potestatis cujus non est usus in vita civili, in conversatione communi, in sacris, nullus est usus, adeoque symbolum esse desiit. 2. Miri quid hic audio, nimirum in communi quidem conversatione apud Corinthios caput integumento liberum non fuisse signum imperii: censuisse tamen Corinthios *indoctos, idiotas, sutores à sutrina* &c. id signum esse imperii. ediserat ergo id nobis vir doctus, ne nos errare patiatur quos in viam revocare potest. Dicet forte in sacris caput integumento liberum fuisse signum imperii. Sed obnititur Salmasius, qui tamen viro docto non adversatur. Nec non locus ille Rodolphi Gualteri quem pag. 127. 128. 129. pro se producit. 3. Agnosco distinctionem à me datam: & addo quod vir doctus omisit: me vocasse insigne potestatis *per se* quod quodammodo è naturæ principiis promanat, non autem ab externa aliqua causa fluit: & tale esse me dixisse tonsuram capitis virilis, carentiamque velaminis. *Per accidens* vero quod ab aliqua causa externa, non autem è naturæ principiis fluit. Sed non video quomodo vir doctus dicere queat, me contradicendi ardore, eorum quæ ipse docui, oblitum videri, & me jubeat ut hanc distinctionem huc applicem: quandoquidem ipse (licet male) eam rejicit libert. pag. 207. 208. & *nimium liberales non amat.* Nimiæ autem liberalitatis futurum fuisset, si ad conciliandum virum doctum cum Cl. Salmasio, distinctionem quam ipse non probat, attulissem. Adeo ut dici posse videatur, *virum doctum præ contradicendi ardore prorsus oblitum esse eorum quæ ipse docuit: & miraturum lectorem virum doctum hic velle pulcrè convenire;* quæ alibi rejecit. Pergit: *Interim ignoscet spero tarditati meæ Cl. Salmasius, si hæc duo quæ in ejus verbis occurrunt, nempe* semper & præcipue *quemodo cohæreant non satis capio. Videtur enim posteriori voce innui tectionem capitis non fuisse generalem, sed eorum tantum qui ea maxime indigebant, quales erant, qui sæpius tondebantur.* Resp. 1. Potuisset vir

vir doctus consulere Cl. Salmasium ne hac deprecatione opus esset. miror autem eum adeo confidenter pronunciasse Salmasiana suis non adversari, cum hic se Salmasiana non intelligere fateatur, nisi malimus ipsum honestè ea repudiare. Pergit; *ex verbis Salmasii se hæc habere ait, vir doctus* 1. *In omni Gracia morem sæpius tondendi obtinuisse.* 2. *Viros qui sæpius tonderi soliti essent caput pileo semper texisse.* 3. *Ne quidem cum sacra facerent pileos posuisse.* 4. *Sacerdotes gentilium comatos fuisse & tiaratos.* 5. *Sacerdotes gentilium etiam in capite habuisse tiaras cum sacra facerent.* 6. *Pueros qui comati erant, & cinædos caput non texisse.* *Atque adeo.* 7. *apud Corinthios caput integumento liberum non fuisse signum imperii.* *Resp.* *Septimum illud quod unicum viro docto sufficeret, non ex Salmasio habet sed de suo thesauro illi largitur, ita non tantum in me, sed & in illum qui minus indiget, liberalis est. dicet se hoc ex Salmasio concludere. Non debuit ergo Salmasianis, quod facit annumerare.* Resp. 1. si septimum illud mihi solum sufficit, ex Salmasio jugulata est viri docti causa. 2. Liberalitatem nescio quam mihi jam aliquoties (quamvis injuria) objecit: sed non videt id manticę quod in tergo est. Nam non tantum attribuit per consequentiam nescio quam Poimenandro quæ à Cl. Voetio, (ne nominato quidem eo) dicta sunt: verum etiam eidem liberalitate plane illiberali adscripsit quod statuat *crines dimissos esse ex eorum peccatorum genere quæ recensentur Rom.* 1. 25. Nec non (ut alia omittam) quod *argumentetur à voce naturæ ad legem naturæ.* Vide libert. p. 19. 27. & quę adversus hanc liberalitatem à me dicta sunt cap. 4. & 7. Nec sufficit viro docto hæc in Poimenandrum liberalitas, sed eadem etiam in alios utitur ut merito liberalissimus dici queat. Ait enim (ut alia prętream) disp. 1. thesi. 11. pręceptum de attondenda coma, secundum *adversarios*, licitum esse transgredi, propter varietatem complexionum, propter imbecillitatem, propter luctum, quam liberalitatem rejectam inveniet lector cap. 14. 3. nihil me largiri Salmasio de meo thesauro res ipsa docet. 4. Quam liberalis fuerim in virum doctum ex collatione meorum cum scriptis ejus lector judicet. 5. Non *dicam*, sed dixi me septimum illud ex verbis Salmasii colligere. Nam prolatis verbis ejus, & notatis in iis quæ notanda arbitrabar tandem ajo: *Atque adeo* 7. *apud Corinthios caput integumento liberum non fuisse signum imperii, & tectum sub-*

subjectionis. Atque ita ostendo me ex præcedentibus hoc tanquam porisma educere. Accusat me vir doctus alibi *tergiversationis*, sed hic eum *tergiversari* nemo dubitabit. 6. Secundum virum doctum quod rite ex alicujus verbis colligitur, ipsi amplius adscribi non poterit. Atque adeo documentis Spiritus sancti annumeranda non erunt amplius ea, quæ per bonam consequentiam ex scripturis, nec adversariis fidei attribui poterunt ea, quæ ipsi formaliter non dicunt, sed per bonam consequentiam tantum ex eorum dictis vel scriptis sequi demonstrantur. Hæc certe non est *liberalitas* sed μικρολογία. Pergit: *Sed videamus conclusionis hujus necessitatem, repetitis omnibus quæ ex Salmasio se habere gloriatur.* Resp. Accingo me ut videam quid vir doctus contra conclusionis illius necessitatem afferre possit: gloriatum tamen me esse nego. *Primum est* (inquit) *in omni Græcia morem sæpius tondendi apud viros obtinuisse.* Resp. *At non apud omnes viros. Nam Salmasius distinguit eos qui sæpius tondebant, ab iis qui non ita sæpe. Quinam ergo ii erant qui sæpius tondebantur? homines elegantes & delicioſi, eorum enim has notas ponit Theophrastus:* πλεῖς ἄκις ἀποκείρεσθαι καὶ τὰς ὀδόντας λευκὰς ἔχειν, καὶ τὰ ἱμάτια ὑφ' ἡδονῆς μεταβαλλεσθαι, καὶ χρίεσθαι ἀλείφεσθαι. *Vt* ipse *Salm. te docere potuit Ep. de coma* p. 332. *At hi minimam virorum partem constituebant. Nam & Philosophi hoc negligebant* διὰ καρτερίαν *& promiscua multitudo* διὰ φειδωλίαν. *Procedit ergo argumentum viri docti ex particulari, atque ita nihil concludit.* Resp. 1. Possem totum hoc præterire, quandoquidem, licet falsum foret quod me ex Salmasio habere hic puto, id mihi non obesset. disputabamus enim non de tonsura Corinthiorum, sed utrum caput integumento (assititio videlicet) liberum, esset apud Corinthios inter insignia imperii. 2. Non audet vir doctus negare id quod adduxi Salmasii esse, sed ait: *non apud omnes viros* videlicet morem sæpius tondendi fuisse: quasi ego contrarium affirmarim, cum indefinita sit oratio qua utor, imo mox dicam. *Viros* qui sæpius tonderi *soliti essent caput pileo semper texisse*; & posthæc cum Salmasio *sacerdotes* excipiam. 3. Theophrastum adducit, sed omittit Aristophanem ex quo Salmasius probat apud Atticos sordidum argumentum fuisse, comam nutrire, & hominis ita nati indicium qui minimum vellet tonsoribus impendere. præterit quoque Theophrasti characterem περὶ μικρολογίας unde idem Salmasius arguit

guit inter deparci hominis notas hanc quoque fuisse, nimirum ἐν ἀκρῳ κείρεσθαι, strictim tonderi, videlicet ne sæpius tonsura repetenda esset. Et deniq; sectas Philosophorum, nimirum Stoicorum & Cynicorum quæ illa ætate strictim & ad cutem tonderent, non parcimonię studio, sed continentiæ & καρτερίας, atque ad ejusmodi tonsuram *festinarent*. Hęc virum doctum docere potuisset Salmasius p. 532. 533. 536. 534. id est eodem loco quem mihi objicit. Videntur autem hæc ab eo omissa esse (nisi inadvertentia acciderit) ut id quod dicit Salmasius de more sępius tondendi in Gręcia omni recepto, *de minima virorum parte* id est *elegantibus* & *delicioſis* (titulus est (περὶ ἀκρατείας) intelligendum ostendat; 4. Docet quidem me Salmasius ex Theophrasto elegantes sæpe tonderi solitos: sed *non solos*. Nam 1. id non dicit loco in thesibus meis citato. Inquit enim, *Videndum quid moris habuerint Græci in civili vita & converſatione communi, & an alio habitu fuerint cum sacra facerent. Illud sane certum est pileo caput semper texisse præcipue qui sapius caput tondebant, ut mos in omni Græcia tunc obtinuit.* Nam nulla hic *elegantium* & *delicioſorum* fit mentio, multo minus *solorum elegantium* & *delicioſorum*. 2. Neque alibi quantum ego observare potui, frequentiorem tonsuram *solorum elegantium & delicioſorum* Salmasius fuisse ait. 3. Salmasium non *solos elegantes* & *delicioſos* sæpius tonderi solitos fuisse, sensisse, colligere licet, ex *more quem in* OMNI GRÆCIA *obtinuisse dicit*, nec non ex iis quæ paulo ante ex Salmasio attuli, & vir doctus, *clausis oculis* prętериit; & denique ex iis quæ Salm. habet pag. 662. Vbi ait, *Græcos caput* COMMUNITER *tegere consueviſe*. At dicet, locus ille Theophrasti docet *elegantes & delicioſos solos* sæpius tonderi solitos. Resp. 1. Non docet locus ille Theophrasti id de quo quæritur, ut ex præcedentibus liquet. 2. Multo minus id docet Salmasius ex Theophrasto, ut etiam ex iis quę diximus patet. 5. Carpit in me vir doctus pag. 127. quod de sacerdotibus loquens *clausis oculis* prætерierim Sacerdotes Saturni, qui aperto capite sacrificabant, quod Salm. observaverat. At ipse cum hic ait: *Nam & Philoſophi hoc negligebant* διὰ καρτερίαν; prætерit *clausis oculis* sectas quasdam Philosophorum, quas observavit Salm. Ep. de coma pag. 534. & 536. caput strictim radere *festinaſſe*. 6. Mutat verba Salmasii & *promiscua multitudo* διὰ φειδωλίαν. At-

que ita è *Thesauro suo* ci nonnihil largitur. De sordide parcis loquitur Salmasius, inter quos ait Aristophanem rejeciſse Socratem & Philoſophos, quaſi qui præ parſimonia caput ſæpius tondere nollent. 7. Ait vir doctus *argumentum meum procedere ex particulari, atque ita nihil concludere*, ſed ambiguitate ludit. Nam dupliciter argumentum ex particulari procedere dici poteſt. Nimirum 1. ceu medio termino. 2. ex particulari ut propoſitione, hoc eſt, quod ajunt ex puris particularibus. Quod ſi priori modo accipit vir doctus quod ait, præterquam quod non indicat argumentum meum, quod ita procedat ex particulari ex primo hoc membro dictorum Salmaſii, nec dare poteſt (nam hinc concluſionem nullam infero, ſed tantum reliquis jungo, ut capita dictorum Salmaſii plene exhibeantur) damnare cogetur hunc ſyllogiſmum: Quod aliquibus non convenit non eſt eſſentiale hominibus: at album eſſe, doctum eſse, aliquibus non convenit. Ergo. Præterea ipſe ſua vineta cędit. Nam omnes & ſingulos Græcos caput integumento liberum geſtaſſe, ut inde concluderet Corinthios caput integumento liberum cenſuiſſe inter inſignia poteſtatis, ipſe dicere non audet. Excipit enim *elegantes & delicioſos*. Si poſteriori modo, non dabit hic argumentum aliquod meum quod procedat ex puris particularibus. Nam ne quidem hoc tentat, licet alias ſatis *liberaliter* mihi monſtroſos ſyllogiſmos tribuat. *Secundum* inquit *quod vir doctus ex Salmaſio habet: viros qui ſæpius tonderi ſoliti eſſent, caput pileo ſemper texiſſe. Reſp. At eos omnium pauciſſimos fuiſſe jam indicatum eſt, niſi etiam commune omnibus viris in Græcia fuiſſe dicas, dentes dealbatos, veſtes adhuc bonas novis mutare, unguentis delibutos incedere quæ divitum & effeminatorum ſunt, eſt ergo idem paralogiſmus.* Reſp. 1. Indicatum quidem eſt à viro docto quod ait, ſed probatum non invenio. Nec ſi probaſſet id mihi magnopere incommodaret, diſputabamus enim, non utrum tonſura apud Corinthios communiter obtineret, ſed utrum caput integumento liberum apud ipſos inter inſignia poteſtatis eſſet. 2. Probavi ex Theophraſto & Salmaſio non ſolos VIROS EFFEMINATOS caput ſæpius totondiſſe, niſi etiam inter divites & effeminatos numerare voluerit, omnes eos, qui non eſſent ſordide parci, & ſectas quaſdam Philoſophorum. 3. Quo jure ὀδόντας λευκὰς reddiderit *dentes dealbatos* neſcio. Non ita Salmaſius, qui tamen

men viro docto minus indiget. libert. pag. 126. addo, nec Casaubonus. 4. Quæro ex viro docto utrum omnes qui sæpe tonderi solent, etiam ubi *consuetudo obtinuit quæ est* (ut ait) *regula decori* libert. pag. 107. inter effeminatos reponat? Non potest: Nam sic multi viri honesti in nostro Belgio inter effeminatos numerandi forent. Cur ergo ait, citra ullam limitationem, inter alia de frequentiori tonsura loquens, *quæ divitum & effeminatorum* SUNT? 5. Mutat vir doctus terminos, dixi ego ex Salmasio me habere *in omni Græcia morem sæpius tondendi apud* VIROS *obtinuisse*; at id pro solita sua liberalitate, in COMMUNE OMNIBUS VIRIS, transformat. 6. Ne tergiversari possit & dubitare de sensu Salmasii audiamus Salmasium se ipsum explicantem. Ait ergo Ep. pag. 662. *At Græcis contrarium fuit præcipiendum, ut quoniam caput* COMMUNITER *tegere consuessent in ecclesia detegere deberent.* 7. Eadem ratio paralogismi hujus quæ prioris: & eodem prorsus modo quo antea vir doctus sua vineta hic cædit. 8. Quandoquidem vir doctus iterum de paralogismo meo loquitur, nec tamen argumentum meum exhibet, ipse illud dabo. Est autem tale: inter quos viri in civili vita & conversatione communi & cum sacra facerent *communiter* capita tegere consueverant, inter eos caput integumento liberum non fuit insigne potestatis, & velatum subjectionis. Sed inter Græcos adeoque Corinthios viri caput communiter tegere consueverant. Ergo. Major firma est, nisi vir doctus statuat, censeri insignia potestatis in populo aliquo, in rebus plane adiaphoris, qualis est secundum eum de qua disputatur, non ex eo quod communiter obtinet, sed ex eo quod communiter non fit, & quod dicit probet. Minor est Clariss. Salmasii. 9. Quandoquidem meum argumentum jam dedi, æquum est ut jam videamus quale sit viri docti argumentum. Id autem tale est. Inter quos viri omnes exceptis divitibus, & elegantibus, delicioſis, effeminatis caput integumento liberum habebant apud eos caput integumento liberum erat inter insignia potestatis. Sed inter Corinthios omnes viri &c. Ergo. Resp. 1. Procedit hoc argumentum, ipso judice, ex particulari, adeoque non valet. 2. Minor est contra Salmasium. 10. Si hoc argumentum non agnoscit vir doctus, det nobis aliud quod non procedat ex particulari, adeoque in quo non sit paralogismus quem mihi impingit.

Tertium, ait, *quartum, & quintum est, eos* capite tecto sacra fecisse & sacris interfuisse. *Huc enim omnia redeunt. Resp.* 1. *Saltem sacra Saturni exciperes. Notat enim Servius ad Æneid.* 3. *Sacrificantes omnibus diis caput velare consuetos, ob hoc ne se inter religionem vagis offerret obtutibus, excepto Saturno quod & observavit. Salm. Ep.* pag. 661. *Sed clausis oculis hoc præterit vir doctus ut prorsus universalem ritum fuisse credamus.* 2. *Alia fuit hæc obtectio capitis quam ea quæ fit pileolo. Neque enim obtutum adimit. Sed fuit oculorum & faciei obvolutio, quapropter nihil ad rem facit de qua agitur. Potuerunt enim faciem pallio involvere durantibus sacris etiam ii qui nudo capite incedebant. Immo illi commodius quam pileati. Quod si mihi non credat vir doctus, credat insigni Theologo, nostræ reformationis, Rodolpho Gualtero qui in hunc locum scribens, postquam luxum Corinthiorum in vestitu perstrinxisset: Major tamen, inquit, superstitionis culpa quod nimirum eodem habitu, & fortasse iisdem quoque gestibus in cœtibus sacris uterentur, quibus à pueris in gentilismo assuerant. Et hoc potissimum spectasse videtur Apostolus, quando viros aperto capite, mulieres autem velato orare, & prophetare jubet. Nam ut Plutarchus in problematibus scribit, solebant viri inter gentes, & imprimis quidem ii qui Romanorum legibus vivebant, Deos suos velatis capitibus adorare, & inter sacra* Vestem AD AURES USQUE ATTOLLERE *partim quidem ut eo gestu & habitu se* HUMILIORES *redderent, partim ne inter precandum triste quid aut ignominiosum (malè legere ominosum) aliunde auribus occurreret, quo animi devotio turbaretur. Meminit hujus Virgilius quoq; qui Helenũ Æneæ sic loquentẽ introducit.*

Purpureo velare comas adopertus amictu.
Nequa inter sanctos ignes in honore Deorum
Hostilis facies occurrat, & omnia (leg. omnia) turbet.
Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto.

Hac casti maneant in religione nepotes. E contra mulieres fere passis capillis sacra celebravisse, cum ex aliis locis, tum ex eodem poëta colligi potest, qui funus Polydori instauratum, & circa hoc facta sacrificia describens inter alia dicit: ET CIRCUM ILIADES CRINEM DE MORE SOLUTÆ: *Quia ergo non tam luxu quam superstitione peccabatur, & hac etiam in re ethnicorum atque infidelium similes erant ii qui jam Christo nomen dederant, Paulus hanc causam diligenter & graviter tractat, docens tam viros quam mulieres decere, ut modestiæ & honestati in habitu quoque stu-*

studeant, imprimis autem, ut inter sacra Christiana ne habitum quidem gerant cum infidelibus & idololatris communem. hæc sunt *quæ* vir doctus ex Gualtero adfert, quæ propterea descripsi quia in iis multum præsidii sibi invenisse videtur. Resp. autem ad primum. 1. Verba Cl. Salmasii prout exstant adduxi; & indicavi paginam qua exstant ut lector (liber enim multis ad manum est) eo recurreret. 2. Non erat mihi opus ut ostenderem universalem hunc ritum fuisse, ut mihi exceptio illa CLAUSIS OCULIS prætereunda fuerit. Nam exceptio illa virum doctum asserentem quod inter Corinthios caput integumento liberum (nimirum propter praxin Græcorum, nihil enim habet aliud quo sententiam suam firmet) insigne imperii & potestatis censeretur, etiamsi reliquis quæ ex Salm. attuli addita fuisset, adversus Salmasium tueri non potuisset. nisi forte existimet consuetudinem Sacerdotum Saturni omnium sacerdotum inter Græcos, aut etiam universalem aut communem Græcorum consuetudinem fuisse: aut inde hausisse Corinthios, quamvis *communiter* id non imitarentur, insigne imperii & potestatis caput integumento liberum esse. 3. Oratio qua usus sum indefinita est, ajo enim 5. *ex sequentibus etiam illud, Sacerdotes gentilium etiam in capite habuisse tiaras cum sacra facerent. Verba viri Clarissimi sunt, Cum comati essent nihilominus etiam tiaras in capite habebant dum sacra facerent.* nunc autem disco ex viro docto parum abesse quin universali uti potuissem, nam unicam tantum exceptionem adfert: aut hoc si ipsi displicet, si adduxissem unicam illam exceptionem, me saltem ipsum fortius premere potuisse. 4. Si ego CLAUSIS OCULIS exceptionem illam præterii, ut prorsus universalem hunc ritum fuisse credamus; quid de viro docto statuendum? qui ut probaret minimam partem virorum inter Græcos sæpius tonderi solitam fuisse, solum Theophrasti characterem περὶ ἀρεσκείας adduxit omisso Aristophane & Theophrasti Charactere περὶ μικρολογίας; Et *Philosophos* frequentiorem tonsuram neglexisse dixit, cum tamen ex Salmasio sectas quasdam Philosophorum excipiendas fuisse discere potuisset. præstitisset virum doctum ab ejusmodi judiciis, hic & alibi sæpe abstinuisse. Sed quandoquidem id ipsi libitum non fuit, hæc à me dici, ægrè ferre non debet. Ad secundum: 1. non disputat hic adversum me vir doctus, sed contra Salmasium, quem

tamen sibi non adversari ait, libert. pag. 124. Nam Salmasius diserte dicit Ep. de coma pag. 660. *Viri pileos gerebant. Hos in sacris non ponebant.* & de sacerdotibus pag. 661. *Cum comati essent, nihilominus etiam tiaras in capite habebant, dum sacra facerent.* Ipse autem dicit non pileo aut tiara caput texisse; sed tantum oculos & faciem obvolvisse asserit: aut nihil dicit. Nescio autem cur dimisso Salmasio, se mihi hic opponat. 2. Fateor obvolutionem illam oculorum & faciei nihil ad rem facere, adeoque virum doctum eam omittere potuisse: Ad rem autem facere de qua agitur usum pileorum, & tiararum in civili vita, conversatione communi & sacris, nunc videt, ut opinor. 3. Non quæritur quid facere potuerint Græci: sed an vere dixerim me ex Salmasio habere, quę de pileis & tiaris, tum in sacris tum extra ea, attuli. Ad hæc respondendum erat viro docto: non ἑτεροζητήσεις instituendæ. 4. Locus ille ex Gualtero adductus nihil viro docto prodest, nec Salmasio (contra quem hic adducitur) obest. Nam non negatur eo quod dicit Salmasius, nimirum, *Græcos pileo caput semper texisse, præcipue qui sæpius caput tondebant, ut mos in Græcia omni tunc obtinuit.* Item *viros pileos gessisse. Hos in sacris non posuisse.* Item *Græcos communiter caput tegere consuevisse.* Item *solos sacerdotes gentilium comatos simul fuisse & tiaratos. & denique sacerdotes cum comati essent, nihilominus etiam tiaras in capite habuisse dum sacra facerent.* Nam si id eo negatur, hoc argumento negari colligetur; Qui locus dicit viros inter gentes, & imprimis quidem eos qui Romanorum legibus vivebant, Deos suos velatis capitibus adorasse & inter sacra VESTEM AD AURES USQUE SUSTULISSE, partim HUMILITATIS, partim devotionis causa, Helenum comas purpureo amictu operuisse: mulieres fere passis capillis sacra celebrasse: & denique fortassis Corinthios hæc imitatos; is negat quæ Salmasius dixit de usu pileorum apud Græcos, & tiararum apud sacerdotes. Sed locus hic ea quæ commemorata sunt dicit. Ergo. Resp. Neg. Major, nisi vir doctus dicat & probet *velationem capitis* aut *sublationem, vestium ad aures usque* arguere remotionem pileorum quibus Græcos communiter usos, & quos in sacris non posuisse ait Salmasius. Item nisi purpureum amictum quo Helenus comas adoperuisse dicitur, ostendat significare remotionem tiararum, quibus Salmasius sacerdotes de quibus loquitur, in sa-

in sacris usos fuisse ait. At non puto hoc ipsi successurum. 5. Etiamsi locus hic faceret contra Salmasium, quæstio supererit, huic ne loco sit acquiescendum, an vero Salmasio; præsertim cum non probetur hoc loco Corinthios in sacris suis, legibus Romanis esse usos. 6. Præterieram quod vir doctus quę sibi profutura judicavit in hoc loco, nimirum *vestem ad aures usque attollere* majori characetere scripserit, secus vero quod obfuturum esse videre potuit, nimirum *velatis capitibus adorare*. 7. Vt vir doctus noverit, quid senserit Gualtherus de pileis, audiat ejus verba ad 11. cap. 1. ad Cor. Hom. 56. *Viros enim* inquit *Apostolus suam dignitatem prostituere & Christum* IGNOMINIA *afficere dicit qui* MORE PATRIO PILEATI, & VELATO aut INVOLUTO CAPITE *in cœtibus Ecclesiasticis comparebant*. Eat nunc vir doctus & amplius nobis Gualterum objiciat. Pergit. 3. *Ad id quod sacerdotes tiaras perpetuo in capite gestarent, respondebo viro docto, idem quod ipse respondit de sacerdote populi judaici* disp. *text.* 1. *Thes.* 6. Pontifex (*addo & sacerdos*) *communi virorum sorti exemtus fuit (illic per legem divinam, hic per superstitionem paganam) Exceptionem à lege communi continebat velamen illud, non vero eversionem.* Resp. At cum respondet sic vir doctus, Salmasium impugnat qui negat exemptos fuisse sacerdotes communi virorum sorti, quoad retentionem velaminis in sacris, quo extra ea utebantur. Nam ait, *viri pileos gerebant. Hos in sacris non ponebant.* Item *At Græcis contrarium fuit præcipiendum, ut quoniam caput communiter tegere consuessent in Ecclesia detegere deberent.* Quamvis autem id faciat ait tamen pag. 124. *Hæccine mihi adversantur?* Pergit: *Sextum, è quo vel uno se conclusionem suam extundere posse sperat, est, pueros qui comati erant, & cinædos caput non texisse. Atque adeo 7. apud Corinthios caput integumento liberum non fuisse signum imperii, & tectum subjectionis. Nisi placitum sit mihi statuere, penes pueros & cinædos in omni Græcia imperium fuisse: subjectionem vero penes plærosque viros, & inter eos penes sacerdotes, etiam cum sacra peragerent. Aut viros præ reliquis præstantes, cum à servis, aut ab aliis qui ipsis inferiores essent, compellarentur, aut eos alloquerentur, pileos suos à capite removisse. Hos vero tecto fuisse capite. Resp. Hic multa occurrunt* κιβδηλα & χολόβαφα. 1. *Quod ait de pueris, & inter illos cinædis, huc non spectat, quia Apostolus agit de* VIRIS *unde ipse vir doctus*

con-

concludit de pueris QUÆSTIONEM PROPOSITAM INTELLIGI NEQUIRE *Quæst. Theol.* p. 1. Thes. 1. *Itaque conclusio quam attexit nulla est, quia cum dicimus apud Corinthios caput integumento liberum fuisse symbolum imperii, id de capite virili intelligimus, non de puerili, multo minus sequitur spurcum illud, nempe penes pueros & cinædos in omni Græcia imperium fuisse.* Resp. An hic κίβδηλα sint mox videbimus; χολόβαφα ulla, nedum multa, qualia apud virum doctum satis frequentia sunt, esse nego. Vrsi virum doctum incommodo. Si hoc χολόβαφον est, ab incommodo argumentandum non erit, quod tamen facit ipse quantum potest. 2. Multi sunt pueri quoad annos, qui tamen quoad usum rationis viros multos antecedunt: atque adeo viris de quibus loquitur annumerandi sunt. Nisi liceat viro docto dicere ad ipsos modum prophetandi & orandi non pertinere, nec quicquam eorum quæ Apostolus huc adducit; item ad ipsos non spectare quod ait v. 16. adeoque ipsis contentiosis esse licitum statuat. 3. Locutus sum de pueris, sed usu rationis destitutis. Verba mea sunt: per viros hic intelligo non tantum eos » qui mariti sunt, sed etiam cælibes id est virilis sexus personas quæ » ad usum rationis pervenere. *Nam* de PUERIS aliisque usu rationis » destitutis virilis sexus personis, quæstio proposita intelligi nequit, ut quæ agit de iis (sicuti ex prædicato liquet) in quibus actuum humanorum exercitium *locum habet.* 4. Quod cinædos viros fuisse negat, id aut de moribus intelligit, aut de sexu, usu rationis & annis. Si prius, ludit: si posterius paradoxa nobis obtrudit. Nam putabam ego cinædos sexus virilis personas fuisse, item usum rationis habuisse & multos inter eos ætate, quam vocant, virili fuisse. 4. *Corinthios* in thesi viri docti expressos vidi: sed ibi explicatum non inveni per *Corinthios* virum doctum intelligere, VIROS, non *pueros*, non *cinædos.* 6. Non pertinet huc, an in loco Paulino per viros intelligantur ii soli, quos vir doctus se intelligere ait: sed quæritur an rectè dixerit vir doctus apud Corinthios, nimirum propter consuetudinem quam apud illos obtinuisse affirmat, (aliud enim non habet quod afferat,) caput integumento liberum fuisse signum imperii & potestatis. Negavi ego id ex iis quæ Salmasius habet non tantum de contraria consuetudine; sed etiam de simili puerorum & cinædorum, addo nunc etiam *plærarumque* mu-

lie-

lierum. Et ut vir doctus videat me recte id negasse,& negare,argumento à pueris, cinædis, plærisque mulieribus,ex Salmasio ducto, sic argumentor: Quidquid commune fuit inter Græcos adeoque Corinthios, pueris, cinædis, & plærisque mulieribus, cum aliis plærisque quos vir doctus viros vocat, id non fuit apud Græcos adeoq; Corinthios, signum imperii. Sed libertas capitis ab integumento,fuit communis pueris,cinædis, plærisq; mulieribus, cum aliis plærisque quos vir doctus viros vocat. Ergo. Major probatur: quia sic imperium penes pueros, cinædos,& mulieres fuerit. Ratio est,quia alioqui signum potestatis,signum non fuerit. Quia id censeri non potest signum potestatis, quod habentem potestatem à nõ habente non distinguit; quod non facit,libertas capitis ab integumento communis pueris, cinædis, plærisque mulieribus cum aliis plærisque quos vir doctus viros appellat. Minor patet partim ex Salmasio de pueris & cinędis dicente Epist.de coma 660. *Pueri qui comati erant, ut jam diximus & cinædi non tegebant caput.* De mulieribus epist. de coma pag. 683. *Græcæ mulieres vulgo coma comta procedebant in publicum sed capite* NON VELATO, SOLÆ VETULÆ *apud Græcos mitra vel mitella crines velabant. Epigramma Græcum:*

Ἀνδρικὰ δ' αὖ μίτρας τὰν πολιοκρόταφον

——— *Simularat anum mitraque capillos presserat.*

Sexcentis id plane probari posset testibus Græcis Romanisque. Partim ex viro docto qui viros Corinthios contendit communiter caput integumento liberum habuisse. Et tamen si ipsi credimus non sequitur conclusio mea. 7. *Spurcum* si quid est in argumento meo id materiam, non formam orationis mei meæ spectat,quam si propterea ut *spurcam* damnat, damnet etiam oportet Apostolum Rom. 1.26.27. & multa alia loca scripturæ, nec non semetipsum libert. p. 122. & denique Cl. Salmasium ex quo *spurcum* illud hausi, ut ex iis quæ paulo ante ex ipso recitata sunt liquet. Pergit: *Imo hoc ultimum magis sequitur ex sententia viri docti, nam ut inter pueros muliebrem in modum comati, ita inter viros sæpius tonsi habebantur, pro effœminatis,ut Musonius Philosophus notat apud Stobæum* ἤδη δ' τίνες καὶ ἐντῷ βαρύνεσθαι τὰς τρίχας κείρονται τῷ λειαίνεσθαι τὰ γένεια,σαφῶς δ' τοῦτο κατανοῆσαι ἔστι τοῖς ἐπιγινομένοις παντάπασιν, οἷοι ἂν ἔχοντες ἀνδρόγυνοι καὶ γυναικώδεις ὁρᾶσθαι ὄντες.

ὄντες. *Id est, jam sunt & qui tanquam graves & nimium ponderosos capillos detondeant, & barbam radant manifesto quidem isti quidem delicitis fracti & enervati omnimodo, qui sustinent conspici tanquam* SEMI VIRI & EFFOEMINATI. *Id quod revera sunt.* Laudatur locus à Salm. Ep. p. 534. *Cui consentit quod auctor egregius Ioan. Pierius Valerianus Apol. pro Sacerd. Barb.* p. 30. *ait: Omnis pilorum depositio muliebre nescio quid omnium gentium & temporum consensu sapere visa est.* Resp. Quænam sit mea sententia de tonsura capillorum virilium lector videre potest quæst. text. 1. p. 1. thes. 1. & 6. in principio. & quęst. text. 2. Thes. 2. & sequentibus aliquot. Citius autem vir doctus aquam ex pumice eliciat, quam inde id de quo loquitur, nimirum in omni Græcia penes pueros & cinædos imperium fuisse. Nam si quod affert in syllogismum cogatur, tale erit. Si ut inter pueros *muliebrem in modum comati*, ita inter viros *sæpius tonsi* habebantur pro effeminatis, ex sententia adversarii sequitur in omni Græcia penes pueros & cinædos imperium fuisse. Sed verum prius ergo & posterius. Minorem probat vir doctus auctoritate Musonii, cujus locum laudet Salmasius, & cui consentiat. Ioh. Pierius Valerianus. Resp. 1. Negatur consequentia majoris. Donec mihi eam probet vir doctus. Nam qua sum tarditate ingenii videre non possum eam per se esse manifestam. 2. Minor incerta, imo ex parte falsa est. Nam etiam fuere inter Græcos, nimirum Cynici & Stoici qui continentiæ & καρτερίας studio caput strictim abradere festinabant, ut ait Salm. Ep. de coma pag. 534. 536. at eos inter effeminatos habitos fuisse quomodo nobis probabit vir doctus? Quantum ad Musonium, cujus testimonio minorem suam probat; non dicit is pro effeminatis habitos fuisse eos qui sæpius tonderentur, sed tantum promit quid ipse judicet de iis, qui quod nimis graves essent capilli, tonderentur. quod si dicat judicium Musonii aut omnes aut plærosque ejus ætatis homines secutos fuisse, petam, ut id probet. Nam in Musonii testimonio quamvis oculis usus sum, id non invenio. 2. Si nos stare vult judicio Musonii vir doctus, barba nulli ferro attingenda erit. Ait enim eodem loco unde hæc quæ adfert decerpta sunt, id est Ioan. Stobæi Serm. 38. qui est περὶ ἀκολασίας: ὅθεν τῆς μὲν κόμης ἀφαιρετέον εἶναι τὸ ἐνοχλοῦν, τῆς δὲ γενείου & ὀδύν. Id est *Unde quidē de coma amputandum quod molestum est, de barba vero nihil*: Imo

hil: Imo vero omnes pro *semiviris* & *effœminatis* habendi sunt, (& si viro docto credimus) habiti fuerunt, qui τὸ γένειον barbam *radunt*; Vt liquet ex loco ab ipsomet adducto. An autem ita sentiat vir doctus ubi libitum erit indicabit. Non puto tamen ita sentire, ut qui *morem regulam esse decori* tradit, libert. p. 107. 3. Si *Laudare* pro *citare* hic usurpet vir doctus, certe Salmasius laudat hunc locum: Sed si pro *celebrare, laudibus efferre*, nequaquam. Nam postquam diversa veterum judicia de coma adduxisset, eadem illa pag. quam indicat vir doctus ait, *Hinc licet cognoscere quantum homines opinionibus laborent, cum eundem habitum capilli tam varie interpretentur.* Legantur quoque quæ sequuntur. Quantum autem ad Io. Pierium Valerianum Apologia ejus mihi nunc ad manum non est. Videre tamen non possum locum qui ex eo adducitur viro docto favere, nisi *omnis depositio capillorum*, frequentem tonsuram, non rasuram significet; quod non existimo. Nam idem Valerianus in Hieroglyphicis ait: *Coma itaque ne deglabretur, sed ne immoderatius excrescat, diligenter attondeatur.* Pergit. 2. *Falsa aliquot præsupponit vir doctus, nempe delicatos hosce, crebro detonsos, dentibus dealbatis*, &c. *aut etiam sacerdotes fuisse plerosque Græciæ viros, quæ supra refutata fuere. Deinde inconsequens est illud: caput integumento liberum fuit symbolum imperii. ergo domini coram servis caput detegebant. præsupponit enim dominos ordinarie pileatos fuisse. Quod est πρῶτον ψεῦδος. capite incesserunt detecto, nec opus ergo fuit eis illud detegere. Quod si ob injurias æris illud quandoque texissent, non opus fuit eos ad servis ostendendum suum dominium (quod illi non ignorabant) tegmem capitis detrahere. Si enim (recognoscat sua verba vir doctus ex quæst. text.* 1. thes. 6.) *alterutris aliquid incommodi perferendum est, ubi excellentiæ superiorum signum aliquod exhibendum est, præstat ut illud in inferiores quam superiores recidat.* Resp. 1. Præsupponit vir doctus eos qui dentes *albos haberent* &c. solos frequentiori tonsura usos, ut evincat *omnium pauciss imos* id fecisse, sed ut supra vidimus id non probavit. 2. Præsupponit quoque *dominos ordinarie non fuisse pileatos, sed incessisse capite detecto*, quod est contra Salmasium, cujus dicta tamen sibi adversari negat. Salmasius enim ut jam sæpius indicatum, de Græcis ait: *illud sane certum est pileo caput semper texisse, præcipue qui sæpius caput tondebant, ut mos in Græcia omni tunc obtinuit.* Item, *Vi-*

ri pileos gerebant. hos in sacris non ponebant. Item *At Græcis contrarium fuit præcipiendum, ut quoniam caput communiter tegere consuessent, in Ecclesia detegere deberent.* 3. Præsupponit quoque vir doctus se sufficienter verba mea expressisse, cum ait *caput integumento liberum fuit symbolum imperii, ergo domini coram servis caput detegebant.* At » non ita est: Verba mea sunt. Aut viros præ reliquis præstantes, » cum à servis, aut ab aliis qui ipsis inferiores essent compellarentur, » aut ipsi eos alloquerentur, pileos suos à capite removisse, hos vero » tectos fuisse. Hæc non liberalitas sed φιδαλία est. 4. Valere meum argumentum patet: Quia alioqui symbolum illud imperii nullius usus fuisset, atq; adeo ne symbolum quidem fuisset. Vide ejus disp. 5. De coma Th. 13. Nisi forte ipsi nunc placeat statuere servos & viros minus præstantes inter Græcos ordinarie pileatos fuisse, & dominos capite detecto; Sed hoc foret contra hypothesin ejus. Nam dicit sibi videri Salmasium, *(qui ipsi non adversetur,)* velle, eorum tantum tectionem capitis fuisse qui ea maxime indigebant. libert. p. 125. 5. Noverant servi Dominorum suorum Dominium; sed etiam noverant suum esse testari subjectionem: adeoque si caput ab integumento liberum erat signum imperii, tectum subjectionis; non nisi tecto capite dominos suos compellassent. 6. Verba mea agnosco: sed ea non favent ipsi. Nisi agnoscat signum potestatis & auctoritatis *per se* esse caput ab integumento liberum: tectum vero subjectionis: per accidens vero inter Corinthios caput tectum fuisse potestatis & auctoritatis signum, apertum subjectionis. Sed id foret contra hypothesin. Addit: *Denique viros olim detectis capitibus incessisse, certum fuit Polydoro Virgilio de Invent. rerum* lib. 3. cap. ult. *Est, inquit, vel novitium inventum illud laneum tegmen capitis quod biretrum vocant. Veteres enim* OMNINO *caput non velabant, sicuti testantur numismata, vel ipsæ statuæ, quæ ut Romæ vidimus, apertum caput habent, præsertim cum propalam sit, nos patrio more, eo fingi vestitu, quo prorsus utimur. Sed omnino Caji Cæsaris exemplo significantius comprobatur: is enim auctore Tranquillo, cum calvitii deformitatem iniquissime ferret, obtrectatorum sæpe jocis propositam, deficientem capillum revocare à vertice consuevit, ut illam obtegeret. Quod quidem quis non videt ab eo fieri subabsurdum fuisse, si more patrio commodius decentiusque caput, hoc est, de-*

dehonestamentum illud calvitii obnubere potuisset? ex quo apparet, recens esse inventum hoc operimentum capitis, quo nunc passim utimur, auctor tamen ignoratur. Resp. 1. Vir doctus hic incurrit in Salmasium, quem sibi tamen adversari non ait. Ille ergo nominandus fuerat, quem tamen vir doctus hic iterum præterit; nec tamen impingam ipsi, quod mihi objecit, nimirum *callidam dissimulationem.* v. libert. pag. 90. Eum incurrere in Salmasium liquet ex iis quæ habet Ep. de coma pag. 650. & 662. & iis quæ supra allata sunt. 2. Pileorum etiam in historia Romana mentionem fieri, ut gestaminis virilis, nemo est qui ignorat. An vero pilei illi ex lana fuerint nec ne non inquiro. 3. Loquitur Polydorus de *Romanis*, non Græcis, de quibus non agimus, ait enim *Si more Patrio* &c. aut si de Græcis etiam loquitur, judice Salmasio qui viro docto non adversaturus libert. pag. 124. errat: Ait enim *Viros pileos gessisse: hos in sacris non posuisse.* Item *Græcos communiter caput tegere consuevisse*

CAPUT XXV.

De Emphasi. ἀδύνατον. Postulatum auctoris. ejusdem mos circa necessaria & probabilia. Concordia discors. Latebræ. Criminatio retusa. Jus auctoris. Hadrianus Junius. Ab eventu doctrina non æstimanda. spes irrita. decorum & necessarium. ἀσύστατα. Vineta cæsa. Contradictiones. confusio præceptorum. Praxis quid valeat. provocatio inanis. Calvinus. Martyr. Pareus. De calotis & pileis ministrorum. Quidam ignotus. Sequela absurdorum vindicata. Syrma absurdorum. liberalitas nimia. Sententia auctoris de coma. ψευδωλία. Contradictio. retorsio. necessitas gravis. Petitio principii. Lex hypothetica. Contradictio. Petitio principii. vis prætensa. Dialogista. Borstius. officium viri docti. ejusdem querimonia. De eo quod non nisi inhonestum esse potest. Indecorum morale. Franciscus Junius. Postulatum viri docti. Contradictio. Concessio auctoris. ejusdem votum. Viri docti contradictio. Confessio tacita. Querimonia auctoris. contradictio viri docti. Methodus irrita. De vi veritatis. liberalitatis alienæ abusus. παροξύσματα. absurdum. dubitatio viri docti de sententia sua. Consectaria auctoris duo. Admonitio intempestiva. retorsio.

„ „ „ „ „ Reliqua theseos meæ XIV. verba hæc sunt: Secundo quia gratis confingit emphasin in pronomine ὑμᾶς ut commentum suum nobis approbet. *Ait enim: cum* ILLIS *interposui emphasin & ὑμᾶς quod est in textu expressi.* Omnes siquidem

» dem viros sexus docet ipsis convenire potestatis insignia in com-
» muni Corinthios nominatim hoc in specie propter rationem jam
» dictam. Nam 1. cum nullæ emphases præter necessitatem fingen-
» dæ sint, ipsi probandum fuerat necessum esse ut τὸ ἐμφὰς loco de quo
» disputatur, emphaticè ponatur. 2. Ex iis quæ dicta sunt patet nul-
» lam hic emphasin locum habere. Tertio si valet hoc commentum
» auctoris hujus, jam necessarium erit viris, cum orant aut Prophe-
» tant tecto esse capite. Quoniam opertio capitis nunc signum im-
» perii est in conversatione civili. Neque tantum operto debebunt
» viri esse capite cum orant, aut prophetant, verum etiam comas
» nutrire, iisque caput suum obvolvere ipsis necessarium erit.
» Quoniam juxta doctrinam Apostoli velamen adscititium ita con-
» nexum est naturali, ut uno posito alterum ponatur & sublato
» tollatur. Adhæc oportebit mulieres non tantum aperto capite
» comparere in cœtibus Ecclesiasticis, verum etiam raso aut ton-
» so. Nam quod viris Apostolus in disputatione de velamine tri-
» buit, id mulieribus negat. Ad 4. Si nihil habeat aliud auctor hic,
» quo Dialogistam ab exceptionibus meis liberet præter id quod at-
» tulit, & jam refutatum est, necessum est ut iis æternum constri-
» ctus hæreat. Possem nunc ad alia, progredi nisi notandum duce-
» rem. 1. Auctorem hunc affirmare Apostolum 1. Cor. 11. v. 14. 15.
» de inhonesto disputare. Ait enim: Inter quę cum apud Corin-
» thios conferetur caput integumento liberum, hinc sequi non nisi
» inhonestum ILLIS esse posse, si id capillis muliebrem in modum
» velatum haberent, atque adeo male in dubium vocasse. *disput. 3. de*
» *coma Thes. 8. num Apostolus id quod vetat, sub ratione peccati vel illi-*
» *citi vetet, cum id possit dissuadere sub ratione incommodi.* Nam plane pa-
» radoxum est cum qui dissuadet aliquid sub ratione ejus quod non
» nisi inhonestum esse potest, id non dissuadere sub ratione peccati
» vel illiciti. 2. Me quando contendo non valere rationem, qua au-
» ctor hic probare nititur vocem naturæ, apud Apostolum sexum
» denotare, minime negare, probabiliter dici posse, vocem hanc lo-
» co de quo disputatio est, significationem sexus obtinere. Nam non
» omne illud quod ab aliquo non recte probatur, mox ut falsum,
» aut omni probabilitate destitutum, repudiandum est. Alioqui e-
» nim multa capita religionis Christianæ, ubi malè probantur (sicuti

quan-

quandoque contingit) contra adversarios, statim repudianda forent. Ratio autem quare negare nolim probabiliter id de quo locutus sum, dici posse, est, quia sexus mediante ordine, inclinatione & honestate naturali docet, viro dedecori esse, mulieri decori ἐν κεφαλῇ. Respondet vir eruditus: *Addit vir doctus me in pronomine ὑμᾶς emphasin gratis confingere, ut commentum meum ipsi approbem, cumque nullæ emphases præter necessitatem confingendæ sint, mihi probandum fuisse necesse esse ut τὸ ὑμᾶς loco de quo disputatur, emphaticè sumatur. Resp. Ego vero arbitror nullum apicem scripturæ sine emphasi aliqua positam esse, nisi ubi constat vel ex genio linguæ, vel alia necessaria ratione hoc vel illud redundare, id autem hic locum habere, viro docto probandum incumbit. Quod si ego hic emphasin finxi, quid ipse fecit quum eam invenit in voce* VIRI *ut pueros includeret? Quid Borstius, quum è modo proponendi per* INTERROGATIONEM, *Corinthios de hac veritate in animis convictos esse? Cur porro postulat ut probem sensus à me positi* NECESSITATEM, *quod nec ipse fecit? Nec quisquam eorum qui cum ipso faciunt? Illorum tamen hoc erat quibus solenne est sua sub pœna æternæ damnationis sancire, non meum, qui quod Dominus dedit ingenue in medium attuli, & viris eruditis pari libertate dijudicandum reliqui. Placet illud Hadriani Iunii, qui in literato suo (ut ipse vocat) lusu de coma, negat se tyrannicè velle sancire quod sibi probaretur, sed multiplici solum auctoritate, & probabilibus rationibus id vindicare. Vtinam omnibus idem animus esset? Non lusus ille in funestam prope tragœdiam erupisset.* Resp. 1. Multa hic πίξδηλα & χολόβαφα. 1. Confundit emphasin cum *non redundantia*, quod est præter grammaticorum leges. 2. Quod dixi de significatu vocis *virorum* probavi, nec dissentire à me videri vult libert. pag. 130. 3. Agnosco & ego modum illum interrogandi quo utitur Apostolus, emphaticum esse. Nec tantum ego, sed etiam vir doctus. Nec opus est ut id probetur. Quia id omnibus qui literas norunt notum est. Nego tamen inde sequi evidentiam subjectivam *Corinthiorum in communi indoctorum, idiotarum & sutorum à sutrina* &c. & ni fallor ipse vir doctus iam agnoscit, ut qui post repudiatas multas significationes vocis *naturæ*, fatetur sententiam suam de sensu vocis *naturæ* non esse indubitatam. Atque adeo Corinthios illos ad quos scribit Apostolus in communi *indoctos, idiotas & sutores à sutrina* &c. aut se aliisque

liisque quamplurimis viris eruditis doctiores fuisse, aut de significato vocis *naturæ* dubitare potuisse: atque ita *evidentiam cognitionis* non habuisse 4. Posco à te ut probes sensus à te positi necessitatem. 1. Quia in te suscepisti, ut ostenderes CONSTARE acceptionem illam vocis naturæ quam adoptas ad rem de qua agitur pertinere. Nec illud te assecuturum speraſti, nisi in voce ὑμᾶς emphasin constitueres. 2. Quia etiam ab aliis poscis ut sua SOLIDE probent. *Hoc interpretamentum* (regnosce verba tua vir docte ex disp. 1. De coma Thes. 7.) *ut passim indicatum, ita nusquam solide probatum invenimus. Neque enim sequitur* 1. *Si alicubi Natura significet naturæ legem (demus hoc) ideo & hic eam denotare.* Item (ut alia omittam) ais disp. 3. thes. 8. *His ita distinctis, non sequitur: Recta ratio (sumamus ita naturam) dictat Corinthiis, non esse viro alendam comam: ergo vetat ad sub ratione peccati vel illiciti.* Quam aliis figis legem eandem & ipse admittas necesse est. 5. Distinxi probabilia à necessariis; quę probabilia ut probabilia, quæ necessaria, ut talia, defendi. Non potest ergo me sibi jungere, nisi aperte nunc fateatur, NON CONSTARE acceptionem vocis naturæ quam adoptat, ad rem de qua agitur pertinere. Item non CONSTARE in voce ὑμᾶς esse *emphasin*: atque adeo male se me sępius reprehendisse, quod quas defendi vocis *naturæ* significationes, non ut necessarias, sed probabiles ac proinde animi tantum gratia, defenderim. 6. Generaliter nimis vir doctus dicit eos qui mecum faciunt *sua* sub pœnæ *æternæ damnationis sanctire*. explicare debuisset illa *sua*. Novit dolosum versari in generalibus. Sentiunt illi ex loco illo Apostoli haberi, luxuriem illam capillorum quam taxant, peccatum esse & hoc non soli ipsi sed infiniti alii cum ipsis. At minime statuunt, quidquid ad locum illum scripsere, sub pœna æternæ damnationis esse recipiendum. Noverunt se homines esse & errare posse; atque sibi hoc ut & alias infirmitates cum viro docto & mecum communes esse. Mitto nunc ἀκριβολογίαν in voce *sanciendi*. 7. Vellem vir doctus explicaret quos nam intelligat per eos qui mecum faciunt, suspicio enim est ipsum non tantum Collegas meos, nec non Poimenandrum & Borstium denotare, sed etiam Synodos nostras quarum acta negotium capillare spectantia exhibui q. Text. 1. part. 1. contin. Th. 10. arg. 10. & postea rursus exhibebo, nimirum ad calcem hujus operis. Nec immerito

rito hoc suspicari licet, quia male conveniunt quæ illis continentur cum viri docti placitis. 8. Vir doctus sancit *sub pœna æternæ* damnationis ne quis sententiam nostram amplectatur aut doceat: nisi libertatem Christianam lędere, mandata hominum aliis obtrudere, errores fovere, inter peccata non censeat, aut pro venialibus habeat. Sic enim ait disp. 1. de coma thes. 3. *Sin falsa* (nimirum sententia nostra) *habent qui eam oppugnant* (inter quos vir doctus inter postremos non est) *pro se omnia scripturæ loca, quæ Christianam libertatem commendant, mandata hominum elevant, errorum initiis occurrendum monent, antequã invalescant, & alios ex aliis post se trahant* &c. 1. Cor. 10. 29. Gal. 5. 1. Mat. 15. 9. Gal. 5. 9. &c. mitto nunc quod inter effeminatos recensuit, eos qui sæpius tondentur, dentibus albis sunt, & vestes adhuc bonas novis mutant. lib. p. 127. 9. Etiã ego & ni fallor reliqui qui mecum faciunt *ingenue* attulimus quod nobis Deus dedit. Sed quandoquidem nihilominus viro docto placuit in nostra inquirere, quamvis à nemine nostrum lacessitus esset, & ego (illos qui mecum faciunt tantundem dicturos existimo) ignorarem, antequam disputationes ejus viderem, ipsum in hac causa à me dissentire: etiam mihi liberum duxi in ea quę ipse attulit inquirere: & juxta leges ab ipso statutas urgere, ut probet *constare* quod constare dixit; & emphasin (sine qua ipsius ratio nulla est) in voce ὑμᾶς demonstret. 10. Si Hadriani Iunii sententia de coma, imo de sensu loci Paulini recipiatur, periit causa viri docti. 11. *Tyrannidem* nobis hic exprobrare videtur: nam alioqui sententiam Hadr Iunii hic frustra nobis objiceret: sed qua in re consistat illa tyrannis non dicit; quod factum oportebat, ut aut peccatum, si quod esset, agnosceremus; aut si nullum; innocentia nostra per justam defensionem elucesceret, aut criminatio per se ipsam concideret. Quod si tyrannidem vocat casuum quorundam conscientię determinationem, ejusque ad conscientias applicationem, accuset etiam tyrannidis eos qui choreas virorum & mulierum promiscuas comœdiasq; vestiumq; peregrinarum inter nos luxuriem damnavare, hoc est plęrosque Theologos practicos, nec non nostrates synodos. 12. Multiplices auctoritates in Thesibus viri docti non video, nec in hac *libertate* ejus: probabilia repudiat (Nam sępe me reprehendit, quod probabiles dixi opiniones de sensu vocis *naturæ* quas defendi) quę

constent nobis promittit. Cur ergo hunc locum Hadr. Iunii adducit? 13. An luserit vir doctus theses adversus me aliosque scribendo, & postea *libertatem* suam edendo, nescio: ego certe non lusi, nec puto lusisse alios quos sugillat vir doctus; sed quod sensi, docui. 14. Si quid turbarum ortum fuit, hic ortum non fuit: nedum ut in funestam tragœdiam res propemodum eruperit. Si alium locum denotat vir doctus, id mihi imputari nequit adeoque nec objici. 15. Ab eventu doctrinę alicujus probitas aut improbitas petenda non est. Nam ut qui improba docent, sępe multis placent, sic sępe displicent qui quę recta sunt, adferunt.

Pergit *Sed nullam hic emphasin locum habere ex iis quæ dicta sunt, inquit, patet, Resp. Imo ex iis quæ responsa sunt, contrarium potius patere, æqui ut spero lectores judicabunt.* Resp. Si quod sperat vir doctus lectores faciant, ęqui judices non erunt, ut liquet ex iis quæ responsionibus ejus oppositimus. *Verum* inquit *omnes jam machinas admovet ad hanc meam observationem quam* commenti *nomine iterum nobilitat convellendam. Si valet inquit hoc commentum auctoris hujus, jam necessarium erit viris, cum orant aut prophetant, tecto esse capite. Quoniam opertio capitis nunc signum imperii & potestatis est in conversatione civili. Resp. Nego sequi. Neque enim hæc Pauli monita sunt* de NECESSARIO *sed de* DECORO. *Neque quod nunc caput in orando, aut prophetando detegimus, est ad ostendendam* potestatem *in mulieres (quod tamen Paulus à Corinthiis volebat fieri) sed potius ad testandam subjectionem erga Deum. Appello omnium conscientias, qui templa frequentant, aut etiam privatim orant. Non ergo facimus quod ab Apostolo injunctum est Corinthiis, sed prorsus diversum, ut sole clarius est. liberum porro esse in orando aut prophetando caput tegere ubi decorum permittit, docet praxis Ecclesiarum reformatarum, quarum Pastores Belgæ plerique caput calota (ut vocant) etiam dum preces publicè & omnium nomine habent, tectum servant, Gallici autem ministri dum concionantur pileum quoque superimponunt. Neque vel verbo à viro docto eo nomine reprehenduntur. Expecto quam mox neget hæc esse integumenta, & quod quidam censet apertum manere viri caput, sub utroque gestamine, modo id non induatur velo muliebri. Id enim solum ab Apostolo esse vetitum. Quod si verum est nudo capite erit vir, vel decem pileis onustus.* Resp. 1. Male concludit vir doctus Apostoli monita non esse

esse de NECESSARIO quia sunt de DECORO. Quasi decorum qua tale (neque enim aliter ab Apostolo considerari dicet vir doctus) non sit necessarium: & liberum fuerit Corinthiis, etiam nulla obstante necessitate, monita Apostoli de *decoro*, tot rationibus confirmata, negligere. Neminem Theologorum hoc ante virum doctum dixisse arbitror. 2. Simili ratione posset vir doctus arguere, non esse necessarium ut pudendas corporis partes tegamus, item ut viri virilibus non fœmineis, mulieres muliebribus non virilibus utantur vestibus. Quoniam id ad decorum pertinet. 3. Hac sua responsione damnat quidquid attulit adversus Franciscum Iunium dicentem licitum esse *honestatem naturalem* id est decorum quod natura docet, negligere ob *utilitatem publicam* & *necessitatem privatam gravem*. 4. Contradicit sibi. Nam mox ait Apostolum id de quo loquitur à Corinthiis *voluisse fieri*. Quomodo enim id volebat fieri Apostolus à Corinthiis, quod necessarium non esset? Item ait id de quo monita dat Apostolus, Corinthiis INJUNCTUM fuisse. Quomodo autem quod ipsis injunctum erat, necessarium non fuerit sed liberum, ego quidem non video: Ad hęc dicit *liberum* esse in orando aut prophetando caput tegere ubi DECORUM permittit. Atque adeo id *liberum* negat ubi decorum non permittit. Quomodo autem quod liberum non est, numero necessariorum eximat ipse viderit. Denique quod disp. 3. Thesi XI. non nisi *inhonestum* esse posse ait hic inter libera recenset. 5. Confundit prędcepta absoluta cum hypotheticis, & perinde loquitur ac si diceret, prędceptum de danda eleemosyna non esse de necessario sed de libero, quia aliquo casu liberum est non dare eleemosynam. 6. Praxin hominum prędcepto Apostolico opponit. Putabam ego non prædceptum ex praxi, sed praxin ex prędcepto esse dijudicandam. 7. Vbi omnes qui templa frequentant aut etiã privatim orant, quid in conscientia sentiant viro docto significaverint, forte videbit nõ omnes ita affectos atq; putat. Quid hac de re sentiat Calvinus, Martyr, Pareus & quidam ex pontificiis indicavi q. Text. 1. parte. 1. Th. 6. 7. Frustra exspectat vir doctus, me negaturum calotas (quas vocant) esse integumenta. Neque enim ut id negem mihi necessarium est. Nam cum prędceptum quod tradit Apostolus sit ex eorum numero quę hypothetica vocavimus, id quod de calotis plærorumque

Pastorum Belgarum & pileis Gallicorum refert mihi non obest. 8. Quis sit ille *quidam* de quo loquitur me latet: exspectabo ergo ut nomen ejus indicet & locum quo dicit, quod refert, notet. 9. Ut me viro docto attemperem sic arguo: Si ratio decori postulabat à Corinthiis, apud quos caput integumento liberum, ut ipse vult, erat signum imperii & tectum subjectionis, ut viri orarent aut prophetarent aperto capite: sequitur nunc eandem postulare (nam non admittit vir doctus distinctionem meam de signo potestatis *per se & per accidens*) à viris, quoniam opertio capitis nunc, ut vult, est signum potestatis, ut in orando aut prophetando sint capite operto. Atqui verum prius. Ergo. Probatur consequentia. Quia ratio dari nequit quare à Corinthiis decorum postulaverit ut illi suo, non autem requirat à nobis ut nos nostro in orando aut prophetando utamur signo potestatis & auctoritatis. Nec refert quod dicit nos capita aperire non ad ostendendam *potestatem in mulieres*, sed *subjectionem erga Deum*. Nam si hoc valet, etiam liberum fuisset viris apud Corinthios capita tegere & mulieribus aperire. At obstat præceptum Apostoli. 1. Cor. 11. v. 7. Vir enim non DEBET &c. & 10. Propter hoc DEBET mulier &c. Præterea dicendum tanti fecisse Apostolum symbolum potestatis virilis in mulieres, ut ejus majorem rationem habendam duxerit in orando aut prophetando, quam symboli subjectionis erga Deum. Denique statuendum erit, apud Corinthios quod erat signum potestatis virilis non posse esse signum subjectionis, erga Deum. Sequitur *Addit neque tantum operto* DEBEBUNT *viri esse capite cum orant aut prophetant, verum etiam comas nutrire, usque caput suum obvolvere ipsis* NECESSARIUM *erit. Resp. Nego iterum illud* DEBENT, *& illud* NECESSARIO, *ob rationem allatam. Porro* liberum *eis esse ubi decorum patitur, comas usque ad scapulas & tergum nutrire (quod Poimenander crimen contra naturam esse asserit) & vir doctus, & Borstius nos docent, ut aliunde eis probationem peti supervacuum sit. Obvolutionis alia ratio est, quia non tunc tantum cum Paulus scribebat, sed nunc quoque ea muliebris habetur, nec proinde viris decora est.* Resp. 1. Affirmo iterum illud *debent*, & illud *necessario* propter auctoritatem Apostoli 1. Cor. 11. 7. Vir enim non DEBET &c. & 10. Propter hoc DEBET mulier &c. & alia, quę dicta sunt. 2. Ostendat mihi

mihi vir doctus ubi dixerim *liberum* viris esse *ubi decorum patitur* comas usque ad scapulas & tergum nutrire. Dixi ego 1. non esse permissum viris citra necessitatem capillos ita alere, ut humeris involitent, vel tergum flagellent. Vide quæst. Text. 1. part. 1. Thes. 1. 6. 2. Non esse eis capillos evellendos aut radendos nisi forte gravis aliqua necessitas urgeat. Quæst. Text. 3. thes. 2. 3. capillos eo usque viris nutriendos ut cutis capitis cerviciseque honeste tegatur. Ibid. Thes. 4. 4. Non posse præcise eundem omnibus terminum aut mensuram nutriendi aut tondendi capillos præscribi, ibid. Th. 5. 5. Quidquid capillorum à limitibus quibus Deus locum originis eorundem circumscripsit, notabiliter recedit, nec facit ad utilitatem gestantis sed potius ei incommodat, illicitum esse. ibid. Th. 6. 6. in nutritione capillorum non esse sequendam consuetudinem gentis in qua vivimus, nisi constet eam esse talem ut S. literis & rationi non repugnet. Largitur mihi ex suo thesauro vir doctus illud, *ubi decorum patitur*; sed adimit, *casum necessitatis*, quem expressi. Adeo ut liberalitas hic cum tenacitate certet. 3. De Poimenandro sæpius actum, & ostensum virum doctum ipsi injuriam facere, vide supra caput 4. 4. Verba Borstii adducat vir doctus quibus id asseruit, quod ipsum docuisse ait: Nam sicuti mihi aliquid ex suo thesauro largitur, atque rursus aliquid adimit, sic forte etiam liberalior est in Borstium, quam oportebat. 5. Si alia ratio est obvolutionis, atque adeo viris non est liberum capita capillis obvolvere, sequitur NECESSARIUM esse ne id faciant, Atque, adeo hic rursus sibi contradicit vir doctus, cum DECORUM quale negavit esse necessarium. 6. Vt pateat vis argumenti mei, id tale est. Si CORINTHIIS (quod ille statuit) NON NISI INHONESTUM esse poterat si caput muliebrem in morem capillis velatum haberent, quia (ut ait) caput integumento liberum signum imperii erat disp. de coma 3. Thes. 11. sequitur nunc viris NON NISI INHONESTUM esse posse, si comas non nutriant, iisque caput non obvolvant, quia (rejecta distinctione nostra) vir doctus statuit opertionem capitis nunc esse signum imperii. Ratio consequentiæ est, quia alioqui negandum ipsi erit Apostolum recte conjunxisse velamen artificiale & naturale. Nam quod ait nunc quoque obvolutionem illam capitis muliebrem censeri ad

non facit. Non enim nego obvolutionem illam muliebrem censeri, sed contendo & probo ex hypothesi viri docti talem non debere censeri: atque hoc esse contra Apostolum. Addit: *At inquit juxta doctrinam Apostoli velamen ascititium ita connexum est naturali, ut uno posito alterum ponatur, & sublato tollatur. Resp. Ergo mulieres cum propter psoram aut catharrum attondentur, quod* DEBET *fieri, si viro docto & Borstio credimus, simul jubendæ sunt calyptram & velum abjicere, & nudo, licet scabioso vertice in publicum prodire. Id enim exigit connexio naturalis tegumenti cum ascititio. Nec viris licebit uti calota quæ aures abscondat (qualem tamen multi sine censura gestant) quia eas sub capillis latere nefas est, si credimus Pomenandro. Nam & hic valere debet regula, de connexione utriusque velaminis. Adrem connexio illa non est in se necessaria sed liberæ institutionis. ob morem illius loci & temporis quo Paulus scribebat.* Resp. 1. Si caput integumento liberum erat signum imperii (ut vult) atque propterea *non nisi inhonestum esse* poterat Corinthiis, si illud muliebrem in modum capillis tectum haberent, ergo secundum ipsum, non nisi inhonestum erat viris, si tecto licet scabioso vertice orarent aut prophetarent. 2. Necessitas gravis (est enim hæc lex inter hypotheticas) ut psora, aliaque ejusmodi adigit nonnunquam mulieres, ut comas secent. At nulla hic est necessitas quæ jubeat abjicere calyptram. 3. Petit principium cum ait connexionem illam non esse in se necessariam, sed liberæ institutionis ob morem illius loci & temporis: atque in Cl. Salmasium, quem sibi hic adversari negat incurrit, qui negat morem illum de quo loquitur vir doctus apud Corinthios obtinuisse, ut capite præcedenti ostensum fuit; Adeoque quod ait, nihil AD REM. Pergit: *Ad hæc inquit oportebit mulieres non tantum aperto capite comparere in cœtibus ecclesiasticis, verum etiam raso aut tonso. Nam quod viris Apostolus in disputatione de velamine tribuit mulieribus negat. Resp. si hoc sequitur, oportebit vicissim viros non solum in cœtibus ecclesiarum, verum etiam in plateis detecto capite esse, quia mulieribus utrobique incumbit tectas esse. At nec in conventibus ecclesiasticis viri semper caput detegunt, cum per totum concionis tempus id operiant, nec in publico, ut patet. Falsa est igitur ista consecutio, nisi tantum illo tempore & illis locis, quibus iidem ritus obtinent, qui Paulo scribente Corinthi fuerunt.* Resp. 1. Lex hæc est ex hypothe-

theticarum numero, ideoque non sequitur quod vir doctus sequi vult. 2. Si mulieribus quod vult vir doctus INCUMBIT, rursus sibi contradicit. Nam quod alicui INCUMBIT quamdiu incumbit necessarium est; cum tamen DECORUM contradistinxerit NECESSARIO. 3. Eadem hic petitio principii, & eadem pugna cum Cl. Salmasio à quo tamen vir doctus dissentire videri non vult. Manet itaque ista consecutio. Pergit. *Addit. Si nihil habeat aliud auctor hic quo Dialogistam ab exceptionibus liberet, quam id quod attulit, & quod jam refutatum est necesse est, ut iis æternum constrictus hæreat.* Resp. *Vis hæc quidem est. Neque enim ego sumsi* DIALOGISTAM *à tuis exceptionibus liberandum*, sed sententiam hanc *ita explicatam. Quam sententiam arbitror Dialogistam, licet paulo perplexius, innuisse, Borstium autem sic satis clare extulisse. Si Dialogistam ejus causa constrictum tenes, etiam Borstium cum eo in eandem caveam concluseris. An vero quæ pro illa attuli refutaveris, è responsionibus meis spero jam constare, & vincula tua æterna quæ jactas, vi veritatis ita disrupta jacere, quemadmodum desrumpitur filum stupeum cum sentit ignem. Iud.* 16. 9. Resp. 1. Non est hæc vis, nisi libeat tibi interpretari vim, legitimam illationem. 2. Non sumsisti Dialogistam ab exceptionibus meis liberandum, & tamen *si fieri posset* hoc egisti ut sententiam ejus cum tua confunderes, ut ita eam ab exceptionibus meis liberam esse *putare* posses: aliis ut idem putarent persuaderes. 3. Male arbitratus es Dialogistam sententiam quam ipsi attribuis, ullo modo innuisse, ut ostensum cap. 23. 4. Ostendi eodem loco Borstium nullo modo, nedum *sic satis clare* sententiam quam ejus esse vis, indicasse. 5. Nec Borstii eadem est sententia de voce φύσεως quæ Dialogistæ: nec Borstius hyperaspisten egit Cl. auctoris Ep. de coma: unde sequitur me illum cum hoc (ut loqueris) in eandem caveam non concluisse. 6. Quandoquidem tu sententiam Dialogistæ ita explicatam, (ut eam explicare *si fieri posset* voluisses) ab exceptionibus meis liberam esse ais, statuendum tibi, quamvis dixerit Apostolus φύσις docere τὸ πρέπον viris esse dedecori, mulieribus decori, recte (ut alia omittam, quæ videri possunt disp. Text. meæ parte. 3. Th. 8.) dictum: *Quid illis facient nationibus novi orbis, apud quas viri usque ad talos deductam, & in varias ac multiplices diductam series comam nutriunt, cum mulie-*

mulieres capitibus penitus derasis incedant? hac sola ratione in illis populis mares à fœminis differunt. Nec non. *Hoc etiam νόμῳ non φύσει discrimen apud illos constat. Et nescio an dici queat magis illos naturam ducem sequi, quam qui diversam secant viam. Natura enim maribus comam densiorem, longiorem & fortiorem videtur attribuisse quam fœminis si crescere permittatur.* 7. Vincula illa æterna esse, non autem *ut stipulum stupeum cum sentit ignem* disrupta jacere judicabit spero æquus lector qui mea cum *responsionibus* tuis contulerit. Sequitur: *Pergit vir doctus: Posſem (inquiens) nunc ad alia progredi nisi notandum ducerem* 1. *auctorem hunc affirmare, Apostolum* 1. Cor. 11. 14. 15. *de inhonesto disputare. Ait enim: inter quæ cum apud Corinthios censeretur caput integumento liberum, hinc sequi, non nisi inhonestum* ILLIS *esse posse, si id capillis muliebrem in modum velatum haberent. Atque adeo male in dubium vocasse* disp. 3. *de coma* Thes. 8. *Num Apostolus id quod vetat, sub ratione peccati vel illiciti vetet: cum id possit dissuadere, sub ratione incommodi. Nam plane paradoxum est eum qui dissuadet aliquid sub ratione ejus, quod non nisi inhonestum esse potest, id non dissuadere sub ratione peccati vel illiciti. Resp. Duplex vitium est in illo epicheiremate: primo quod verba mea, quæ satis integra proposuerat, mox in argumentando mutilat. Neque enim dixi, id quod Apostolus dissuadet, non nisi inhonestum esse posse sed pronomen* ILLIS *ad emphasin interposui, idque ex ipso textu. Deinde, quod ea in alium sensum detorquet, per* inhonestum *enim non intellexi* peccatum *sed indecorum. tale videlicet, ex quo existimatio detrimentum potest capere, ideoque ad* incommoda *quidem semper recte refertur, peccatum autem non semper nec necessario conjunctum habet.* Vt ex disp. v. *Viro docto constare poterat. ad quam de hac re latius agetur. Nulla ergo in verbis meis pugna, nullum παράδοξον, nisi in phantasia viri docti.* Resp. ad primum. 1. Frustra quæritur hic vir doctus. Nam præterquam quod in textu ejus quem citavi (ut fatetur) τὸ ILLIS ut ipse id notaverat, expressi, non agebatur amplius de emphasi quam statuit in voce ὑμᾶς, quam antea gratis confingi docueram, sed de ratione sub qua Apostolus prohibeat id quod prohibet. Verba mea perspicua sunt. 2. Emphasin esse in textu ut antea, sic nunc quoque nego. Ad secundum: 1. Quis credat virum doctum qui in *exotica* aliorum scripta rigide admodum censuram exercet, in thesibus suis *acroa-*

ma-

matica methodo conscriptis, rem peccato expertem intellexisse per id quod *non nisi inhonestum esse potest?* 2. *Indecorum morale* (nam & physicum est, sicuti enim membra *decora* vocamus, quę pulchra sunt & totius corporis structurę proportionata, sic quę iis contraria sunt *indecora*) qua tale prout in loco Apostoli considerari debet, peccatum dicit. Nam si non est ita, poterit sine peccato pastor nudus vel morionis habitu, vel capite more muliebri velato, cathedram conscendere. Nec Adamitas nudo corpore discurrentes peccasse censendum erit. 3. Si vir doctus per illud *quod non nisi inhonestum esse potest* intellexit *indecorum* nec tamen *peccatum* quæ causa fuit, ut ita in Franc. Iunium incurreret pag. 70. 71. eo quod diceret: *Honestatem naturalem* cedere debere *utilitati publicæ & necessitati privatæ gravi?* Nam Iunius per *honestatem naturalem* (juxta communem loquendi usum) decorum quod natura docet intellexit: & quod in casu *utilitatis publicæ & necessitatis privatæ gravis* formale decori amittit. Sed forte ipsi tum nondum subtilitas illa in mentem venerat. 4. Remittit me ad disp. suam quintam. Sed 1. inique postulat ut explicationem suam admittam; quandoquidem me mea explicantem non fert. v. lib. pag. 155. & porro hujus operis cap. 27. 2. Vbi ventum fuerit, ad disputationem illam videbimus, num vir doctus se explicet an corrigat. 5. Existimo omnes harum rerum peritos lectores judicaturos virum doctum sibi strenue contradicere. Nam hic affirmat aliquod esse *indecorum* & quidem ex quo existimatio detrimentum capere potest, sive ut antea locutus est, *quod non nisi inhonestum esse potest* quod peccatum non sit: at *libert.* p. 175. statuit, *nullam rem ratione decori moralis sive honesti quæ ipsi accedit esse indifferentem.* 6. Etiamsi per id *quod non nisi inhonestum esse potest* intellexisset *non peccatum*, nec unquam aliquid unde contrarium sensisse convinci posset, dixisset, justam tamē me habuisse causam contradictionem ipsi objiciendi, omnes sine dubio existimabunt. Quia videre potui quid scriberet non quid sentiret: & notissimum est id *quod non nisi inhonestum esse potest*, in moralibus, peccatum notare. Evanuit ergo quod de phantasia mea ait.

Pergit: *Alterum quod notari vult est: Se quando contendit non valere rationem qua ego probare nitor, vocem naturæ apud Apostolum, secum notare, minime negare, probabiliter dici posse vocem hanc, loco de*

quo disputatio est significationem sexus obtinere. Nam non *omne illud (inquit) quod ab aliquo non recte probatur, mox ut falsum aut omni probabilitate destitutum reputandum est. Alioqui enim multa capita religionis Christianæ, ubi malè probantur (sicuti aliquando contingit) contra adversarios, statim repudianda forent. Ratio autem quare negare nolim, probabiliter id de quo locutus sum, dici posse, est: quia sexus mediante ordine inclinatione & honestate naturali docet, viro dedecori esse, mulieri vero decori* τὴν κόμην. *Resp. Hic duo habemus, quæ vis veritatis, ab adversario expressit.* 1. *Naturæ vocem (ut observaveram non modo, sed demonstraveram) interdum pro sexu usurpari.* 2. *Probabile esse, eam ita hoc loco, ab Apostolo accipi. Quod & ipse dixi disp. 4. Thes. 1. In hoc autem mihi largitur quidquid in bonam partem ulli earum quæ ab ipso vel ab aliis allatæ sunt acceptioni tribuit.* Resp. Ad primum; ut concessi sic etiamnum concedo *naturæ* vocem aliquando pro sexu usurpari: nec nego id à viro docto demonstratum esse. Sed in eo nihil magnum præstitit; quoniam quilibet id ex Thesauro Stephani (quem ipse hac de re agens disp. 3. de coma Thes. 10. adducit) habere potest. Et quamvis magnum aliquid præstitisset, atque novum & ab aliis antea non observatum quid attulisset, ego is non sum qui laudibus ejus invidere velim: Oro Deum ut eas in bonum Ecclesiæ quam cumulatissimas esse velit. Ad secundum; ut necessariam nobis vir doctus hanc acceptionem obtrudere nisus est disp. 3. thes. XI. *Cæterum* inquit *ut hanc acceptionem ad rem de qua agitur* PERTINERE CONSTET, *ostendendum quomodo sexus doceat viro inhonestam esse comam prolixam, quod ita edisserimus. Sexus virilis &c.* Quod si ergo disp. 4. thes. 1. nihil amplius dicit quam probabilem esse acceptionem illam in loco Paulino, sibi ipse contrarius est. 2. disput. 4. thes. 5. ait *Habuimus sub novem titulis, undecim acceptiones unicæ vocis* Naturæ *in loco Paulino* 1. Cor. 11. 14. *Quarum duæ postremæ nobis* MAXIME *probantur*: atque adeo, licet omnes quas enumeraverat significationes vocis naturæ præter illas duas de quibus loquitur rejeciisset, agnoscit (quod vis veritatis ipsi expressit) aliquas earum non omni probabilitate carere. Nam alias præter eas quas nobis exhibuit, quæ probabilitate non careant, ipsum habere non existimo. 3. Si hanc significationem qua natura sexum significare dicitur, tantum *probabilem* agnoscit, cur quæso in me toties re-

reprehendit quod eas quas defendi significationes tantum ut *probabiles* defenderim? v. libert. pag. 80. & 89. Imo mihi objecit libert. pag. 104. *Mihi solenne esse, ut videlicet alienas opiniones animi causa propugnandas suscipiam?* Certe aut ab his abstinere, aut nobis aliquid non quod *probabile*, sed quod *necessarium* esset, adferre debuisset, ne quæ in me effudit, in ipsum retorqueri possent. Vide porro quæ supra cap. 20. dicta sunt. 4. Si tantum probabile est hanc significationem in loco Paulino locum habere: edisserat nobis nunc vir doctus quomodo *natura* Corinthios *in communi indoctos, idiotas, sutores à sutrina* &c. tam evidenter (evidentia nimirum cognitionis) docuerit, ut id negare non possent, & Apostolus ad eorum conscientias provocare auderet. Vide disp. ejus 2. Thes. 6. & libert. p. 83. & seqq. aliquot. 5. Etiamsi acceptioni viri docti largirer, quidquid in bonam partem ulli earum quæ vel à me vel ab aliis allatæ sunt tribuo: minime tamen ipsi largior, aut largitus sum, eum aut assecutum esse aut assequi posse methodo qua utitur *constare* hanc, quam tuetur hic acceptionem, ad rem de qua agitur pertinere. Præterieram quod dixit de vi veritatis quę à me *expreserit* duo illa quę se habere dixit; ne tamen sibi gratuletur vir doctus, (hoc enim sibi velle videtur voce EXPRIMENDI) quasi me reluctantem aliquid fateri coegerit, aliquid respondendum est. Dico ergo: 1. Me sponte veritatem sequi ubicunque eam deprehendo. adeo ut non opus sit ut vis ejus quippiam mihi *exprimat*. 2. Non effeciisse ratiocinando ipsum (nam rationem quam adducit, refutatam dedi) ut negare noluerim probabiliter dici posse, vocem hanc loco de quo disputatio est, significationem sexus obtinere, sicuti ex verbis Theseos meæ quam impugnat, & ex iis quæ cap. præcedenti & hoc ipso disputata sunt liquet. Pergit: *Quod ut pateat, utque opportuna simul ἀνακεφαλαίωσις hoc caput concludatur, age in memoriam vocemus, quid de singulis judicet. Sub novem titulis habuimus undecim significationes vocis naturæ in loco Paulino. Earum primam & secundam in suis disputationibus prorsus omittit, atque ita eas ad suum gustum non esse ostendit. Tertiam* probabilem *putat. Quartam* probabilitate non carere. *Quintam mecum rejicit. De sexta nihil pronunciat. tres illas quas sub septimo titulo habemus negat se velle defendere. Eam quæ octavo loco recensetur, ab objectionibus non incommode vindicat. Nonam quam ego*

vel observaveram vel expolivi) *prorsus ut tertiam & quartam probabilem esse*, *item* probabilitate non omnino destitutam *hic fatetur*. Resp. 1. Disput. text. 1. Thes. 6. quas attuleram vocis naturæ significationes omnes excepta una probabiles esse dixi. Monui tamen alias aliis magis esse probabiles. Eo respicere debuisset vir doctus, ut probaret me acceptioni quam hic adoptat attribuere, quid. quid ulli earum quas attuli, in bonam partem tribui. Nam cum dicam illarum esse diversos probabilitatis gradus, quomodo colliget me habere eam de qua hic agitur in earum numero quas præcæteris probabiles esse judico? Contrarium hac ipsa Thesi quam oppugnat significo. Ajo enim: Ad. 3. *Esto, sumatur aliquando quis pro sexu; auctori tamen huic probandum super est* (*juxta id quod ait disp.* 1. Thes. 7.) *hic ita sumi. præsertim cum hac significatio rarior sit, nec unquam apud lxx. aut apud N.T. scriptores occurrat.* 2. Quod ait primam me significationum quas adducit prætermisse erroneum est. Nam ea mihi est quam tertio loco recenseo disp. Text. p. 1. Thes. 3. & liquet ex vindicatione ejus disp. Text. p. 3. Secunda, quam me quoque omisisse ait vir doctus, ad primam pertinet, si modo *Ius gentium* ut illud explicui Quæst. text. 1. p. 3. thes. 8. & ut explicationem illam vindicavi cap. 16. accipiatur. De tertia & quarta verum est quod ait: sed cum loco paulo ante indicato dixerim non omnes quas enumeravi sententias æque probabiles esse, probandum est viro docto me suæ quam hic defendit, cum his & aliis parem probabilitatis gradum tribuere. De quinta quod ait etiam verum est, sed id nihil enim juvat. Erroneum autem est me de sexta nihil pronunciare. Eam enim cum cæteris probabilem esse scripsi. disp. Text. part. 1. Th. 6. Tres illas quas sub 7. titulo proposuerat, non tantum negavi me velle defendere sed etiã repudiavi & simul ostendi, eas male à viro docto, Borstio, quasi illas ad locũ Paulinum pertinere dixisset, objectas esse. Octavam quam ait me non incommode defendisse, non est ea quam ipse octavam vocat, (latius enim ille rectæ rationis judicium, quod vulgo sensus communis vocatur, accipit, quam ego illud accepi) sed quæ mihi tertia est de qua paulo ante locutus sum. Denique cum fatetur me de nona quam vocat, dixisse *probabilitate non omnino destitutam* satis superque ostendit, me sibi non largiri quod dicit, sic enim de nulla earum

quas

quas recensui, & adversus virum doctum defendi, me locutum memini. Pergit. *Porro cum vir doctus nobis suppeditaverit eam distinctionem, qua naturam aliquid docere ait vel prout est res quædam ex cujus contemplatione cognitionē haurimus, vel prout est actus sive operatio quædam nostra cognitionem producens, priorem modum notavi locum habere in acceptione octava, posteriorem in nona. easque mihi (servato duplici quem diximus sensu τῆ διδάσκειν) MAXIME probari professus sum. An vero Apostolus naturam hic sumserit prout docet per modum principii, an prout per modum objecti, nec vir doctus definivit, & ego in medio reliqui, hoc demonstrare contentus, quod ex neutra acceptione (ut neque ex reliquis) sequatur Apostolum hic leges dare, & quidem universalis ac perpetuæ observationis. Non ex priori quia recta ratio (ita natura in illa sumitur) non solum proponit leges de licito & illicito, sed & monita circa res indifferentes. Non ex altera quia ratio qua Paulus eam probat, desumta à symbolo imperii & subjectionis, non est omnium vel gentium vel temporum, atque adeo passim in contrarium mutavit. Porro hac occasione textum Pauli illustrare conatus sum indicata emphasi τῆ ὑμᾶς ad quam alii parum videbantur attendisse.* Resp. 1. Absurde dicit se priorem modum docendi notasse locum habere in octava significatione, posteriorem in nona. Id enim ab omni ratione alienum est. Nam putabam ego judicium naturale rationis rectæ, (quæ viro docto est octava acceptio) docere per modum actus vel operationis cujusdam nostræ cognitionem producentis: sexum vero (quæ viro docto nona est acceptio) docere per modum rei ex cujus contemplatione cognitionem haurimus. Nam sexus non est actus sive operatio quædam nostra. 2. Fatetur vir doctus, sibi dubium esse, num primus auctor sit sententiæ, qua *natura* dicitur significare sexum, an expolitor. Atque adeo sententiam hanc esse vel admodum recentem, vel certe antea rudem fuisse. 3. Quam feliciter vir doctus demonstraverit, quod se demonstrasse contentum ait, æquus lector tum ex thesibus meis tum ex iis quę hoc opere hactenus disputata sunt, judicabit. Non repeto quæ dicta sunt. Tantum moneo hic lectorem fateri virum doctum alios parum, videri attendisse ad *emphasin* quam statuit in voce ὑμᾶς, atque adeo 1. doctrinam quam tradidit de emphasi scripturarum p. 132. aliis videri incognitam fuisse; aut saltem nihil ipsos de applicatione illius

ad τὸ ὑμᾶς in loco Paulino cogitasse. 2. Sententiam suam, quæ sine emphasi illa quam excogitavit salva esse nequit, aliis in mentem non venisse. Novitates mihi non placent, nisi solidius probentur. Addit: *Quod hæc omnia fastidit vir doctus: & nihil valere pronunciat, facile fero. Nam & ipse nanciscetur qui vicissim de suis judicent. Unum rogo ut patiatur se moneri, rem in Theologia summi periculi esse, cum rem ipsam improbare non possis, tamen destruendis quibus ea stabilitur rationibus operam dare, id quod per totam hanc disputationem vir doctus facit. Dicit quidem contingere in multis capitibus religionis, ut rei veritas recipiatur, rationes autem quædam, quod eam perperam probent, rejiciantur, verum qui omnes aliorum rationes repudiat, ipse autem meliores nullas affert, is dogmatis quoque veritatem in suspicionem adducit, & eo interdum pedem promovet, unde eum postea non sit integrum reducere. De* ordine, inclinatione, honestate naturali *quæ inculcat suis locis quantum satis est excussa sunt.* Resp. 1. Sicuti libere judicavi de ratione qua probare nititur vir doctus *constare* significationem *sexus* pertinere ad rem de qua agebatur, eamque non valere dixi; sic etiam facile fero ut alii de meis judicent: sed peto ab iis ne sine rationum pondere id faciant. Nam fretus rationibus quas adduxi, rationem viri docti non valere dixi. 2. Miror virum doctum hic queri quod dicam rationem ipsius *non valere* cum longe durius non tantum de Poimenandrianis, sed etiam meis locutus sit. Agnoscit enim ni fallor formulas suas: *sine adversario esse bellacem. hoc est sapere! Belle! Absurdorum seges.* &c. Vide inter alia libert. pag. 87. *Examinemus hæc*, inquit, *nam scatent absurditatibus.* 3. Admoneri me facile patior, sed (quod pace viri docti dictum velim) admonitio hęc parum tempestiva est. 1. Nam agitur hic tantum de ratione qua vir doctus probare nititur rem sibi non compertam, non autem de ratione qua probetur caput aliquod fidei. 2. negavi rationem illam valere: quia revera non valet, & simul eo spectat ut licentiam illam capillarem, quam toties damnavere synodi nostrates, & hactenus in concionibus suis perstrinxere pastores, foveat. 3. Addidi tamen quomodo sexus docere, quod Apostolus vult, dici possit, nimirum mediante *ordine, inclinatione & honestate naturali.* Atque adeo tres fontes rationum aperui, quos vir doctus, quantum potuit, obstruere nisus est.

4. Meo

4. Meo judicio hæc admonitio melius quadrabit, in virum doctum quam in me. Nam is repudiatis significationibus, quas graviſſimi auctores hactenus exiſtimarunt loco Paulino quadrare, quaſque ego defendi, nobis hic obtrudit talem quam aut ipſe *obſervavit* aut *expolivit*, eamque tali ratione probat, quæ examen ſuſtinere nequit. Atque ita (ut verbis ipſius utar) *dogmatis ipſius veritatem in ſuſpicionem*, adducit. 5. Quid per *totam hanc diſputationem* intelligat, ignoro. Quod ſi notet, totam meam diatriben de capillis, eum falli, quiſquis illam legerit, judicabit. Quod ſi deſignet quæſtionum textualium primæ partem tertiam, hoc eſt partem illam diatribes qua ipſum refuto, quamque ſolam libello ſuo quem *libertatem Chriſtianam* vocat, oppugnat, etiam fallitur. Nam dum defendo quę ab aliis & me dicta impugnat, eaque libero ab exceptionibus ejus, adſtruo. & quamvis tantum deſtruerem id mihi vitio verti non poſſet: quoniam alibi, (ut lector ex lectione diatribes facile videbit) quod ſequendum ſentio, rationibus munio. 6. Sex diſputationes ſcripſit vir doctus de coma, velim autem ut eæ attente legantur: comperiet enim quiſquis illas legerit, fere hoc ſibi negotii ſumſiſſe virum doctum, ut ab aliis dicta convelleret. 7. Videtur mihi hic vir doctus nolle hanc quæſtionem eſſe problematicam, cum tamen aliud ſe ſentire præ ſe ferat, libert. pag. 133. Vbi inter alia ait: *Placet & illud Hadriani Iunii, qui in literato illo ſuo (ut ipſe vocat) luſu de coma, negat ſe tyrannice velle ſancire, quod ſibi probaretur, ſed multiplici ſolum auctoritate & probabilibus rationibus id vindicare. Vtinam omnibus idem animus eſſet.* 8. Qualem ſe præſtiterit vir doctus cum de ordine, inclinatione, honeſtate naturali ageret, ſuo loco examinavimus.

CAPUT XXVI.

Querimonia retuſa. Salmaſius. Theologi à viro docto rejecti. Sententia viri docti Theologis incognita. Martyr, Beza, Gualterus, Pareus, Diodatus, Jac. Laurentius, interpretes Belgici, teſtes viro docto parum utiles. detorſio verborum Poimenandri. Res anguſta.

AVctoritatibus adverſus me etiam ſibi agendum duxit vir doctus; & quidem occaſione vocum *commenti* & *fingendi*, quas ita impatienter fert, ut cum ſe portum tenere puta-

putaret, (gravi eum tempestate jactatum fuisse, ut opinor, lector videt) rursus sese procelloso mari committendum sibi duxerit. Melius facturus fuisset, ut eventus, nisi admodum fallor, docebit, si portum quem se tenere putabat, occupasset. Sed quandoquidē alia ipsi mens fuit etiam mihi æquor iterandum est. *Putabam* inquit, *me portum tenere, sed alia res occurrit minime negligenda, sententiam meam, qua Paulinum locum de integumento capitis non legem universalem, sed ritum illum tempori, loco, ac genti accommodatum esse differebam, vir doctus aliquoties* commentum meum *vocat, meque ad id persuadendum emphases ait* fingere. *Quod ne cui scrupulum moveat, advocabo ad hanc causam præstantes aliquot Ecclesiæ reformatæ Theologos qui idem mecum sentiunt.* Resp. 1. Nescio quid causæ fuerit viro docto ut voce *commenti* offenderetur. Nam id de quo quæstio est, commentum esse, antea patuit; vir doctus autem, id saltem adoptando *suum* fecit. *Fingere* quoque dixi *eum* emphasin, sed neque hinc succensendi causam sumere potest. Nam eam fictam esse jam me ostendisse arbitror. Quod si vocem hanc duriorem esse existimet noverit, non ut morderem à me esse prolatam: sed *ne si negligentius egerem, aërem ferire viderer.* Vide libert. p. 68. & ut, *absurditates* quas mihi sæpe numero objicit & callidam dissimulationem quam mihi impingit libert. pag. 90. præteream, cogitet an non longe durius sonet quod in Poimenandrum dicit disp. 2. Thes. 4. *Iocularis est hujus auctoris ἀβλεψία. ridicule concludit.* Videtur vir doctus quam sibi in alios libertatem sumsit, aliis denegare velle. Sed quo jure, videre non possum. 2. Cum hic impetum in me facit vir doctus, simul in Cl. Salmasium (cujus tamen dicta sibi adversari negavit libert. pag. 124.) irruit. Vide quæ cap. 24. disputata sunt. 3. Nescio quomodo mihi objiciat vir doctus præstantium aliquot Ecclesiæ reformatæ theologorum auctoritatem ut *scrupulum* lectori adimat, cum tamen alias ea nihil se, ubi à me adducuntur, moveri ostendat. Exempli gratia negat admittendam significationem vocis *naturæ* in dicto Paulino, qua *statutum* à *Deo ordinem* significare dicitur; cum tamen ea sit Musculi, Hyperii, Parei, & Hospiniani. Vide disp. text. meę part. 1. thes. 2. & viri docti disp. de coma thes. 5. & 6. & libert. pag. 80. & seqq. aliquot. Rursus cum Francis. Iunium ipsi oppositissem quæst. Text. 1. parte 3. thesi 6. tantum abfuit ut ipsius

auctoritate motus fuerit, ut exclamarit: o Iuni ποῖόν τε ἔωδς φύγεν ἐρεθ. ὀδόντων; ipsiusque sententiam talem esse scripserit, ut ne quidem eam Ethnici saniores concesserint. Et denique quamvis nullum producere possit (quantum mihi quidem constat) Theologorum Ecclesiæ reformatæ, qui Apostolum in disputatione 1. Cor. 11. versibus 16. prioribus comprehensa, non de *peccato* sed *detrimento* tantum agere statuat, ipse tamen affirmat eum non de *peccato* sed de *detrimento* loqui. Possem ergo auctoritates quas hic adducit vir doctus omittere, ne tamen quid à me omissum queri possit, eas exhibebo: Ait ergo: *Petrus Martyr postquam locum Paulinum explicasset, videtur, inquit, ea tempestate, & in illa Ecclesia, velatum caput subjectionem repræsentasse, & apertum libertatem. Quod apud nos videtur secus fieri. Nam caput aperimus dignioribus, & quibus nos utcunque subjectos vel saltem obsequentes declarare volumus: & contra capitis tegumento libertatem ac potestatem indicamus: unde agentes cum inferioribus caput non aperimus. Verum Paulus utitur symbolis, prout ea significare apud eos reperit cum quibus agebat.* Resp. 1. Petrus Martyr dubitanter loquitur, ut vox *videtur* docet. Non sic vir doctus, ut qui sine ulla hęsitatione asserit caput integumento liberum inter insignia imperii apud Corinthios fuisse. 2. Martyr evertit placitum viri docti nimirum quod id quod Paulus dissuadet sub ratione *peccati* non dissuadeat, sed *detrimenti* tantum. Sic enim ait: DEBET (notet hoc vir doctus) *itaque mulier, cum data sit ei à Deo coma, hoc illius institutum sequi, & imitari factorem suum, ut caput contegat: quod si facere nolit, quantum in ipsa est naturale tegmen excutit.* Item, *ita Paulus modo egit suadendo ut naturam & Deum ejus authorem imitemur: Et cum viro detur* VITIO *capillum promittere, hunc sensum communem hominum* DEBET *sequi, ut capite sit aperto. Quod si agatur secus,* ID NIHIL ALIUD ERIT QUAM ADVERSUS NATURAM ET INSTITUTA DEI PUGNARE. 3. Immo veto Martyr licet dicat. *Videtur ea tempestate, & in illa Ecclesia, velatum caput subjectionem repræsentasse, & apertum libertatem*: Minime tamen, nos propterea liberos ait à *præcepto* Apostoli (sed dicit *necessitatem* efficere, ne in sacris perpetuo simus apertis capitibus. *Neque debent* inquit *rei haberi hujus* PRÆCEPTI (paulo post MANDATUM quoque vocat) *homines* IN REGIONIBUS AQUILONA-

LONARIBUS, *si perpetuo in sacris non sint apertis capitibus. Nam* COMPELLUNTUR NIMIO FRIGORE *caput* CONTEGERE. *Satisfaciunt tamen Apostolica traditioni, quando ab initio sacræ functionis, & subinde in medio, vel ad finem caput aperiunt. Quia non requiritur, ut propter ullam ceremoniam valetudo insigniter lædatur. Christi regula in his omnibus est adhibenda: Misericordiam volo, non sacrificium. Summa huc spectat, ut decorum in ritibus conservetur.* A Petro Martyre transit ad Bezam. Inquit autem; *Beza in nota ad eundem locum: Hanc Pauli inquit* LEGEM *ad τυπᾶξίαν pertinere, ac proinde non sine distinctione locorum & temporum accipiendam, vel ex eo intelligi potest, quod hodie contraria prorsus ratione, capite operto in cœtu loqui, signum est auctoritatis: aperto vero subjectionis testimonium.* Resp. 1. Addit immediate Beza, quasi sententiam suam corrigens: *Nisi malimus κατὰ κεφαλῆς ἔχειν non significare simpliciter,* ALIQUID IN CAPITE GESTARE, *sed capiti imponere quo ipsa facies saltem aliquatenus obtegatur, quale fuisse nuptarum velamen constat ex quorundam adhuc populorum, ac præsertim totius orientis usu.* Hæc autem vir doctus omisit. 2. Beza agnoscit hic LEGEM, non monitum quale nobis obtrudit vir doctus. Imo vero ad v. 7. inquit: *Itaque vir operiens caput, non se ipsum modo, sed etiam Deum dedecoraret.* Vide quoque quæ sequuntur ibidem. Quis autem credat Bezam sensisse quempiam *dedecorare posse Deum*, sine *peccato?* Progreditur ad Gualterum. *Gualterus* inquit *ad eundem: Sed hic quæstio nascitur: quomodo vir caput suum dedecorare dicatur, si illud operiat aut tegat? Quomodo item mulier, suum caput dedecoret, si illud denudet aut aperiat? Respondeo Paulum ex illius seculi consuetudine argumentum petere. Nam illo tempore capitis apertio dignitatis & imperii symbolum erat, velum vero subjectionis. Itaque verborum istorum sensus est, viros sibi ipsis* INJURIAM *facere, si caput velando in sacris cœtibus dignitatem & eminentiam, qua eos Deus ornavit, diffiteantur:* INJURIAM VERO ILLAM IN IPSUM CHRISTUM REDUNDARE, quem *totius virilis sexus caput & principem esse supra dixit.* Resp. 1. Omittit vir doctus quę immediate ibidē sequuntur ex quibus fluctuasse Gualtherum colligere potuisset. *Potest* (inquit) *his addi, quod Christus nobis hanc gratiam & dignitatem meruit ut justificati ex fide pacem habeamus apud Deum, & proinde in ejus conspectu intrepide possimus*

mus comparare. *Eam ergo dignitatem inter orandum & in cœtibus sacris viri* aperto capite *profiteri* DEBENT, *ne eam dissimulando beneficium à Christo nobis collatum negare, aut saltem extenuare videantur.* Quod si enim sine formidine oppositi scripsit Gualtherus quæ à viro docto recitata sunt, quomodo, quum caput tectum in conversatione civili nunc signum auctoritatis sit, quod Apostolus Corinthiis dat præceptum apud quos secundum virum doctum caput integumento liberum insigne imperii erat, etiam ad nos pertinere voluisset? voluisse autem id ipsum ex iis, quæ adduximus liquet. 2. Gualtherus non minus quam præcedentes damnat quod vir doctus ait, nimirum Apostolum quod hic dissuadet, dissuadere sub ratione *detrimenti* non autem *peccati.* Nam loco quem vir doctus subministravit, ait viros sibi ipsis *injuriam* facere si caput sacris cœtibus obvolvant, atque *injuriam illam in ipsum Christum redundare.* & in iis quæ omissa esse à viro docto monui, inquit *eam ergo dignitatem inter orandum & in cœtibus sacris viri aperto capite profiteri* DEBENT &c. Et denique in iis quæ præcedunt dicit, *Nemo caput suum dedecorare debet, ne à Deo* INSTITUTUM ORDINEM TURBET, *de quo modo diximus: At vir operto aut tecto capite orans sive prophetans caput suum dedecorat, & hoc mulier facit, quæ nudato capite orat aut prophetat. Ergo viri quidem aperto, mulieres autem operto sive velato capite orare, & sacra omnia peragere* DEBENT. Eat ergo nunc vir doctus, & mihi Gualterum objiciat, & amplius illud DEBENT atque adeo NECESSARIUM neget. Vide libert. pag. 135. Præcedentibus jungit Pareum, qui ait: *Iudico Apostolum reprehendere non simpliciter comam, aut pileum viri prophetantis, sed κακοζηλίαν de qua dixi, quod vel philosophorum more comati ad sacra prodirent, vel paganorum sacerdotum ritu, quasi sacrificaturi, caput mitris redimirent.* Et postea. *Pileus erat libertatis signum non omnibus nec semper, nec ubique sed servis, qui pileo impositio, manu mittebantur apud Romanos, & pileati dicebantur, non quod semper pileo tecti incederent sed quod semel pileo emancipati essent. Apud Græcos maxime Corinthios videtur dissimile fuisse. Nec dubitari in Apostolum maxime hic, quid apud Corinthios & Græcos decorum fuerit respexisse. Vnde non necesse est omnia hæc ad universos populos trahere.* Resp. 1. Dubitanter loquitur Pareus. Huc enim, spectat illud: *dicam quod habeo,* quod vir doctus

omisit. Item *judico*, quomodo loqui non solemus de rebus, plane exploratis. Nec non ista alternatio qua utitur: *quod* VEL *Philosophorum more comati ad sacra prodirent*, VEL *paganorum sacerdotum ritu quasi sacrificaturi, caput mitris redimirent.* præterea quoque *videtur*; cum ait: *Apud Græcos, maxime Corinthios* VIDETUR *dissimile fuisse.* & denique maxime omnium id quod statim sequitur: *Sub lege Deus indulgebat Sacerdoti cydarim, Levitis mitras byssinas. Etiam Saturno capite aperto rem divinam faciebant, ut* Plutarchus notat: *nec non Herculi apud* Macrobium lib. 3. Saturn. *Sic ipsi ethnici inter se variabant. Civiliter quidem capitis apertio pro signo honoris habetur: quia olim* HONORI DEO *aperto capite sacrificabatur. Sed nec mos idem omnibus. Turcæ, Arabes capita non aperiunt; Apud nos etiam operto capite in cœtu loqui signum auctoritatis est: aperto subjectionis. Quid ergo?* NOSTRUM *est cum facile possimus Apostoli* PRÆCEPTO *hic obtemperare,* APERTIS CAPITIBUS *orare & prophetare in cœtu Ecclesiæ. Non peccabit tamen apud nos Septemtrionales pastor orans aut prophetans si in conspectu Ecclesiæ caput* APERIAT, *postea* FRIGORIS *aut* DEBILITATIS CAUSA *pileolum capiti reponat.* Nam quod si quę antea tradiderat Pareus plane certa judicasset, quomodo dixisset: Nostrum esse præcepto Apostoli obtemperare, apertis capitibus orare & prophetare in cœtu Ecclesię? item apud Septemtrionales non peccaturum pastorem orantem aut prophetantem, si conspectu Ecclesiæ caput aperiat, postea frigoris aut debilitatis causa (consuetudinem non addit, quod notandum) pileolum capiti reponat? Potius ipsi dicendum fuisset, (ait enim *apud nos etiam operto capite in cœtu loqui signum auctoritatis est*) nostrum esse ut contrarium ejus quod præcipit Apostolus Corinthiis faciamus, id est ut opertis capitibus oremus & prophetemus in cœtu Ecclesiæ. 2. Pareus Apostolum quod hic dissuadet Corinthiis sub ratione peccati dissuadere ait, atque ita viro docto contrarius est. Verba Parei sunt ad v. 4. *Nunc* PECCATUM *indicat & reprehendit in viris, quod orarent & prophetarent, in cœtu capitibus opertis.* & paulo post. *Adeone vero inquis*, grave peccatum *erat, operto capite orare, prophetare? Audiamus rationem:* dedecorat, *inquit* caput suum. *Est ratio à turpi effectu. Caput viri vocaverat Christum. Vir ergo velatus* CONTUMELIA AFFICIT CHRISTUM.

STUM. Legantur quoque quæ sequuntur. Sequitur Diodatus, cujus verba vir doctus, postquam Italico idiomate produxisset, sic reddit: *Nunc dat præceptum novum, pertinens ad honestatem publicam, videlicet ut mulieres in actibus publicis sacrarum congregationum, sint velatæ; viri autem aperto sint capite. Ratio sumta est ab usu illorum locorum ac temporum, quibus tectum caput erat signum subjectionis, detectum vero signum majoritatis & Dominii. Unde ad servandum ordinem graduum quos Deus stabilivit inter sexum virilem ac muliebrem, convenit ut in Ecclesia retineantur signa illa communi consensu recepta.* Resp. 1. Fateor Diodatum hic asserere, quod vir doctus statuit: nimirum apud Corinthios caput tectum subjectionis: detectum vero majoritatis & dominii signum fuisse, sed nullas video apud Diodatum probationes quibus quod dicit, in tuto locetur. imo (quod pace viri doctissimi dictum velim) nec dari posse existimo. 2. Ne vir doctus nimis sibi consensum hunc Cl. Diodati gratuletur, etiam dissensum ostendam. Negat vir doctus Apostolum quod dissuadet, sub ratione *peccati* dissuadere: at id affirmat Diodatus. Nam ad v. 4. cum aliis interpretibus, virum si tecto capite oret aut prophetet, *Christum dedecorare* asserit. At Christum dedecorare inter indifferentia non reponet vir doctus, sed inter ea quæ rationem peccati habent. & ad v. 16. ait, per contentiosos intelligendos eos qui vellent tueri ea de quibus disputaverat Apostolus, esse indifferentia. Inquit enim: *Volendo pertinacemente mantenere questo essere indifferente.* At quod sub ratione peccati non dissuadetur inter indifferentia est. Mitto quod vir doctus qui ait Apostolum quod dissuadet Corinthiis sub ratione peccati non dissuasisse, à Diodato inter contentiosos rejiciatur. Hoccine placebit viro docto? Non placebit, sat scio. Sequitur Iacobus Laurentius, ex quo vir doctus hæc habet; *Iacobus Laurentius minister Ecclesiæ Amstelodamensis, in opere cui titulum fecit, Paulus δυσνόητος loco 27. cum verbum ὁ φιλεῖ legem ac præceptum significare dixisset, addit explicationis causa; legem autem & præceptum hic intellige, non omnino divinam hoc est eam quæ pertinet ad fidem, & immutabilis est, sed Ecclesiasticam, pertinentem ad ordinem regimenque Ecclesiæ, ac pro ratione temporis, loci, ac constitutionis Ecclesiarum, ex communi tamen suffragio mutabilem.* Resp. 1. Non magis me premit auctoritas Iacobi Laurentii, quam virum

ctum Poimenandri: quia(ut liquet ex p.412. & sequenti,) inter litigantes (absit verbo invidia) comparet. *Dicant mihi*(inter alia ait) *Theologi isti velim, quare magis licitum barbam alere, quam vel comam?* 2. Dicit Iacobus Laurentius, verbum ἐφιλα pręceptum ac legem significare, addit quidem, legem illam nō omnino divinam esse, hoc est eam quę pertinet ad fidem & immutabilis est, sed ecclesiasticā, pertinentem ad ordinē regimenq; Ecclesiæ &c. Sed nō dicit quod vir doctus statuit, legem præceptumq; hoc Apostolicum non obligasse Corinthios sub ratione *peccati*, sed *detrimenti* tantum. Nec si diceret audiendus foret; Pergit: *Et p[illegible] multa: ex quibus omnibus triplex hic existit quæstio:* I. *An omnino non liceat viris in Ecclesia orare, aut pastoribus prædicare capite tecto?* II. *An omnino non liceat viro incedere capite velato, ut pileo vel aliquo alio tegumento?* III. *An non liceat viris prolixos crines gerere, aut pastoribus etiam comā & barbam alere? Respondeo ad omnia simul atque universim* 1. *omnia ista in se sunt adiaphora, atq; indifferentia.* 2. *Consuetudo hac in re apud omne gentes nō semper, neque ubique eadem sed diversæ; & apud quasdam honor æstimatur crines & comam & barbam nutrire, apud alias vero ignominia & dedecus.* Resp. 1. Hic non comparet id de quo quęstio instituta fuit. 2. Si tria illa quęsita fuere certe admodum indistincte quęsita fuere: 3. ambiguitas est in voce *adiaphororum*. Nam etiā occisio hominis atque alia ejusmodi in genere considerata sunt inter *adiaphora* sive indifferentia; quorum tamen rectitudo aut pravitas ex consuetudine metienda non est. 4. Fateor consuetudinem quoad capillos & barbam esse apud varios variam, sed id non quęritur, sed quid circa capillos consuetudo possit. 5. Omisit vir doctus quod immediate sequitur: 3. *In veteri testamento sacerdotibus præcepit Deus ne caput vel barbam raderent.* Lev. 21. 5. *Et de ipso Domino nostro Iesu refert Nicephorus l.* 1. *c.* 40. *quod cæsariem habuit subflavam ac non admodum densam, leniter quodammodo declinantem.* & lib. 2. c. 37. *Quod Apostoli Petri capilli capitis & barbæ crispi & densi, sed non admodum prominentes fuere. Pauli autem barba densior, & satis promissa, eaq; non minus quā capitis coma, canis respersa erat.* At quare hoc omittit? Forte 1. quia videbat quæri posse utrum pręceptum quod datum fuit sacerdotibus Lev. 21. 5. ipsis dissuaserit quod dissuadebat sub ratione *peccati*, an vero *incommodi* tantum? & si sub ratione *peccati* (nā posterius nō puto

puto ipsum admissurum) an non etiam sic Apostolus Corinthiis dissuaserit, ea de quibus quæstio est? Inquit enim Apostolus versu 7. *vir enim* non debet *velare caput* &c. v. 10. *Propter hoc* debet *mulier potestatem habere in capite*. 2. Quia quæ ex Nicephoro adducuntur, (ut quam mollissime loquar) incerta sunt: Quamvis noverit vir doctus inde à Cl. auctore Ep. de coma pro coma virorum, argumentum petitum fuisse. Omittit quoque quod ait Iacob. Laurentius: *Itaque in istis, uti haud immerito optimus mos ille habetur, qui proxime accedit ad præsentem regulam Apostoli in hoc loco; ita potissimum præcipueque attendendum est, quid decorum, quid decens, quid conveniens, & quid ad ædificationem facit*. Quia forte & hic non nihil difficultatis videbat. Nam statuit vir doctus *regulam decori* morem: at vero Iacobus Laurentii, morem illum optimum esse statuit qui proxime accedit ad præsentem regulam Apostoli in hoc loco: atque adeo pessimum, qui maxime ab eo recedit, quamvis dubium non sit quin fieri possit ut is sit quam receptissimus. Pergit *Et post nonnulla: nec dubitandum, respexisse Apostolum quid apud Græcos, ipsosque Corinthios tunc temporis magis decorum, nequaquam autem vel absolute comam vel tegumentum omne in viris reprehendere, sed κακοζηλίαν, omnemque fœmineam mollitiem*. Resp. 1. Dicit non probat Iacobus Laurentius respexisse Apostolum quid apud Græcos, ipsosque Corinthios tunc temporis magis decorum esset. Vide cap. 24. 2. Auctoritas Iacobi Laurentii me magis non premit, quam Poimenandri virum doctum ob rationem antea dictam. 3. Dicit non probat Iac. Laur. statui *absolute* vel comam vel tegumentum omne in viris reprehendere Apostolum. Lex hæc Apostoli est ex numero earum quas hypotheticas vocavimus, qualis est lex de non mutilando se ipso, atque aliæ similes. 4. Κακοζηλίαν reprehendit Apostolus & fœmineam mollitiem, sed quæ naturali honestati repugnaret. vide Iunium in Deut. 22. v. 5. Pergit *Quemadmodum ergo omnino ac serio improbanda ac castiganda est adolescentulorum, atque adeo virorum quorundam ac senum hujus nostri ævi in capillorum & comarum prolixitate plusquam nimia luxuries, superbia &c. Ita quoque probare omni ex parte non possum severam & rigidam quorundam sententiam, qui omnem capillorum prolixitatem, omnesque comas in quolibet, etiam in adolescentulis, absque ullo discrimine status aut conditionis dam-*

damnant, quasi rem per se malam & peccatum, atque ab Apostolo in præsenti capite præcise prohibitam: barbas interim prolixissimas vel ipse alentes, vel in aliis non modo non culpantes, ac tolerantes, sed etiam probantes ac laudantes &c. Resp. 1. *Improbandam & castigandam* testis hic viri docti ait adolescentulorum atque adeo virorum quorundam ac senum hujus nostri ævi in capillorum & comarum *prolixitate plusquam nimia luxuriem*, petulantiam, superbiam. Sed an probat vir doctus hoc sui testis dictum? Non potest. 1. quia nihil improbandum ac serio castigandum in moralibus, quod rationem peccati nō habet. At ipso judice rationem peccati nō habet nimia illa capillorum prolixitas. Quia juxta eum, plusquam nimia illa prolixitas forte contra decorum esse poterit, at tamen peccatum non est. 2. Quia ii de quibus Laur. agit negabunt hic ullam esse petulantiam, superbiam suam. Morem enim se sequi dicent suæ sortis hominum. At mos ut placet viro docto est regula decori. 3. Quia negavit de fine quem sibi quisque in agendo proponit esse judicandum. Quoniam hoc est tribunal Dei καρδιογνώστου conscendere. Vide libert. pag. 20. At qui petulantiam & superbiam in nimia prolixitate comarum serio castigat, de fine judicat. 2. Nescio qui nam illi sint qui *omnem* capillorum *prolixitatem omnesque* comas in *quolibet* damnent & quidem simpliciter & absolute, tanquam rem per se malam. Non potest Iac. Laurentius ὁ μακρόπτης id explicare: edisserat ergo id nobis vir doctus qui dicta ejus approbat. Poimenandrum nobis forte objiciet, sed 1. immerito, ut ostensum. Et ipse vir doctus fatetur disp. 1. thes. 11. & libert. pag. 66. 2. Poimenander non est inter eos qui prolixissimas barbas alunt. 3. Etiamsi inter eos esset, plures tamen hic taxantur. 3. Apostolus ubi de decorō agit capillorum communem regulam Corinthiis præscribit: quæ ad omnes pertinet, ita tamen ut casus necessitatis excipiendus intelligatur. 4. Improbat hic vir doctus barbas prolixissimas, (nam approbat dicta Iac. Laur.) atque adeo Musonium Philosophum quem mihi objecit libert. p. 130. ipse damnat, ut qui statuit nihil de barba demendum esse. Vide supra cap. 24. Pergit: *Et interjectis nonnullis equidem inquit* (videlicet Iac. Laur.) *si omne velamen ac integumentum omnisque coma præcise hic ab Apostolo damnatur simpliciter, atque absolute sit turpe illis atque ignominiosum, videre me non posse fate-*

*fateor, qua ratione comatam barbam alere sit licitum ac decorum. Nihilo*que magis, quomodo sine peccato manifesto tegumentum ac velamen gerant in capite hodie juvenesque senesque, atque in eo concionentur etiam pastores plurimi in Ecclesiis reformatis, ut & omnes omnino concionatores in Palatinatu, & alibi, etiam in cucullo suo omnes prædicatores in papatu, atque adeo etiam cum pileo & capite tecto pastores Ecclesiarum reformatarum in Galliis. Et cur, inquam insuper, magis licitum verbum Dei tecto capite audire, quam prædicare? Denique accedit hisce omnibus, quod sicuti olim temporibus Apostolorum signum fuit, minoritatis ac subjectionis, apertura contra majoritatis ac superioritatis: nunc plane aliter sese habent hæc nostra sæcula. Namque ut notum, nunc capite aperto salutant atque alloquuntur minores ac subditi superiores: operto vero majores superioresque minores ac subditos: ut patet in magistratibus & subditis, in parentibus & liberis, in præceptoribus & discipulis, & heris & servis. Hæc ille. Resp. 1. Sic argumentatur Iacobus Laurentius: Si omne velamen ac tegumentum *omnisque* coma in viris *præcise* hic ab Apostolo damnatur *simpliciter*, atque *absolute* turpe est illis atque ignominiosum; non apparet qua ratione comatam barbam alere sit licitum. Sed verum prius est secundum severos quosdam Theologos. Ergo. Resp. 1. Neg. Consequentia. Quia barba promissa ejusdem non est rationis cum coma prolixa. 1. Quia hanc non illam Apostolus signum subjectionis esse docet. 2. Quia Musonius quem vir doctus mihi nuper opposuit cujusque auctoritatem hic respuere non potest, censet barbam esse signum viri, tanquam gallo cristam & leoni jubam: atque inde comam præcidendam quæ divexet, barbę vero nihil. eam enim nihil molestare, dum corpus sit sanum, aut non eo morbo laboret, cujus gratia auferendi sint pili. Scio quidem & alias causas posse dari minuendę barbæ: verum Musonium defendat oportet, qui eum mihi objecit; & præter Musonium etiam Iacobum Laurent. juxta legem ab ipso latam libert. pag. 44. & alibi. 2. Negatur minor donec eam probaverit vir doctus qui juxta legem dictam hæc sua fecit. Probaturum autem eum nunquam mihi plane persuadeo. Nam Poimenandrum id non sensisse supra probatum est: & ipse eum id non sensisse quidquid alibi dicat, docet disp. 1. de coma Thes. xi. ubi sic ait. *Quæ sunt legis naturæ, ea propter necessitatem corporalem transgredi non licet. At præ-*

ceptum de attondenda coma, secundum adversarios licet transgredi propter varietatem complexionum Poim. p. 337. *Propter imbecillitatem* p. 340. 349. 364. *propter luctum Borst.* p. 33. 50. *Ergo id non est de lege naturæ.* Non excutio quam recte voce *transgressionis* hic utatur vir doctus (ea enim de re antea actum fuit) tantum urgeo ex confessione ejus patere, non docuisse Poim. quod Iac. Laurentius asfertum ait, nescio à quibus aut qualibus. Alios vero id de quo Iac. Laur. loquitur, judicasse aut docuisse hactenus auditum non fuit. Præstitisset hęc omisisse virum doctum, ne hęc laudando, rumorem illum quem Romam perveniisse ait *præfat.* libert. p. 4. de novo dogmate & hęresi exorta confirmaret, & insontes (ut mihi plane persuadeo) lęderet. 2. Quod de velamento juvenum, senum, pastorum plurimorum qua in Ecclesiis Belgii, qua Palatinatus & Gallicis admiscet Laurentius, supra refutatum est. Videri quoque possunt quę ex Pareo paulo ante producta sunt. 3. Superstitiosos illos cucullos prædicatorum pontificiorum esse hactenus nemo reformatorum negavit, quos tamen Iacob. Laurent. & cum eo vir doctus nunc defendere velle videntur. 4. Etiam tecto capite, necessitate postulante, verbum Dei prędicare licitum esse, jam dudum concessum fuit, adeo ut frustra hic de auditoribus Iac. Laurent. & vir doctus litem moveant. 5. Dicit non probat Iacob. Laurentius & cum eo vir doctus, tempore Apostolorum (saltem apud Corinthios ad quos hoc restringit vir doctus per emphasin suam in voce ὑμᾶς) tegumentum capitis fuisse signum minoritatis, aperturam autem majoritatis. 6. Elidit Iacob. Laurent. emphasin viri docti in voce ὑμᾶς cum sine ulla limitatione ait TEMPORE APOSTOLORUM TEGUMENTUM, *signum fuisse minoritatis ac subjectionis, aperturam contra majoritatis ac superioritatis.* atque ita vir doctus dum probat dicta Iac. Laur. ipse suam emphasin succidit. 8. Dicit Iacobus Laurentius sine ulla limitatione, tempore Apostolorum caput integumento liberum fuisse signum majoritatis, tectum inferioritatis: at (ne de Corinthiis nunc loquar de quibus cap. 24. actum est) Plutarchus (quod etiam monui in thesi quam vir doctus oppugnat, quamvis ipse id prætererit) docet in quæst. Rom. *Solitos Romanos, si caput tectum haberent, id honore dignis aperire.* Agmen claudunt interpretes Belgici, de quibus sic loquitur. *Inter-*

terpretes Belgici, quorum versionem æquivalere judicio synodi nationalis existimat Poimenander p. 334. *præsertim in iis in quibus unicam tantum declarationem afferunt, neque lectori liberum faciunt quam volunt eligere, ad verba* v. 4. *Dehonestat caput suum. Nempe inquiunt, quia capitis detectio tum temporis symbolum erat potestatis & dominii, quemadmodum jam, contrario modo, ii qui in alios potestatem habent, capite sunt tecto, qui autem iis sunt subditi detecto. Verum in hisce omnibus, semper spectandus est usus variorum temporum & regionum, & quid in iis honestum sit & ædificationi inserviat.* Resp. 1. Quidquid senserit Poimenander de dignitate versionis Belgicæ, minime tamen statuit eos qui eam edidere ἀνυμφετήτους fuisse. 2. Si mihi hic incommodant Belgici interpretes, minime tamen habet vir doctus unde sibi magnopere glorietur. Nam 1. ipso hoc loco emphasin ipsius elidunt in voce ὑμᾶς. Nam sine ulla limitatione ajunt *quia capitis detectio tum temporis symbolum erat potestatis*, unde non immerito dixit libert. pag. 140. *Porro hac occasione textum Pauli illustrare conatus sum indicata emphasi* Ὑμᾶς, AD QUAM ALII PARUM VIDEBANTUR ATTENDISSE. 2. Vult vir doctus Apostolum hic differere de inhonesto quod *peccatum* non sit: At interpretes Belgici ad verba v. 5. *Dedecorat caput suum*: ajunt *mulierem aperto capite orantem, videri eo signo velle negare se viro subesse; & quodammodo etiam quod Christus sit caput Ecclesiæ.* Item ad verba v. 10. *Propter Angelos*: dicunt *monere Apostolum mulieres, ne beatos illos spiritus qui ratione ministerii sui Angeli vocantur, contristent, secus facientes quam Apostolus faciendum monet.* Item ad verba versus 14. *Quod viro quidem comatum esse, sit ei dedecori* hæc habent: *quia prolixa hæc coma in capite ipsius* (viri) *instar velaminis est, & signum subjectionis, cum sit caput mulieris, ac propterea non debeat ejusmodi signo uti, quo videtur dominum suum abnegare, præterea quia hac ratione se* QUASI TRANSFORMAT IN FOEMINAM, *gestans ornatum qui mulieri proprius est, atque hoc pacto quasi* sexum suum *abnegat. Quod Deus in lege* PROHIBET. Deut. 22. 5. Iudicet autem hinc æquus lector an interpretes Belgici, statuant differere Apostolum de inhonesto quod peccatum non sit. 3. Iidem interpretes ajunt ad verba v. 14. *An ne quidem ipsa natura hoc vos docet: naturam docere viro dedecori esse* ἐν κόμῃ *quatenus inter alia quibus sexum fœmineum à virili discrimi-*

navit etiam hoc posuit, nimirum quod mulieribus capilli & prolixiores & densiores crescunt quam viris, iique illis ad ornatum & tegumentum conducant. At vero vir doctus hanc sententiam quibuscunque potuit machinis evertere conatus est. Vide disput. ejus 2. de coma thes. 6. & libert. p. 81. & seqq. aliquot. Concludit tandem: *eat nunc vir doctus, & mea me hic commenta venum exponere criminetur. Profecto si vera sunt quæ nobis hic suggessit Poimenander, sententia nostra approbata, vestra autem condemnata auctoritate nationalis Synodi, & ejus quidem quæ ad Oecumenicæ majestatem proxime accessit. Verum de his satis.* Resp. 1. Eat nunc vir doctus & nobis objiciat, auctores illos de quibus nunc actum est: ex iis enim plus damni, quam emolumenti ipsum accepisse, lectorem judicaturum existimo. 2. Concoquere non potest quod *commentum* ipsius vocaverim quod ait caput integumento liberum apud Corinthios signum fuisse imperii, & tectum subjectionis, sed immerito. Cur enim non vocarem id commentum ipsius, quod adoptando suum fecit, licet forte primus auctor ejus non exstiterit? 3. Vbi vir doctus apud Corinthios caput integumento liberum signum imperii, tectum subjectionis fuisse probaverit, ab antiquitatum studiosis, etiam à me gratiam referet, sed ex iis quæ cap. 24. disputata sunt, eum id nunquam facturum plane colligo, & quamvis id faceret, quæstio supererit an Apostoli disputatio 1. Cor. 11. nitatur more illo Corinthiorum, an vero honestate naturali. 4. Emphasin suam in voce ὑμᾶς *ad quam alii parum videbantur attendisse*, libert. pag. 140. hisce suis testibus probare non tentavit. patiatur ergo me dicere ipsum eam finxisse, donec contrarium ostendat. 5. Si vera sunt quæ Poimenander hic suggessit occidit magna sui parte sententia viri docti, & mea approbata est auctoritate Synodi nationalis, ut liquet ex iis quæ ex interpretibus Belgicis allata sunt. 6. Poimenádrum ita interpretatur, ac si de toto corpore Synodi nationalis Dordracenę, quę ob Remonstrantium errores non tantum exBelgis, sed etiã exterarum nationum Theologis cógregata fuit, loqueretur, huc enim faciunt verba *Et ejus quidem, quæ ad Oecumenicæ majestatem proxime accessit.* Sed injuriam ipsi facit, & solita sua liberalitate ipsi largitur, plus quam par est. Videatur libellus Poimenandri pag. 332. 334. 7. Quoniam vir doctus toties Poimenandrum protrudit, res suas in angusto ver-

versari non obscure significat. Ego enim auctoritate Poimenandri non teneor.

CAPUT XXVII.

De voce κομᾶν. explicatio absurda viri docti. Recta auctoris. provocatio ad interpretes latinos. omissio. gratia habita. non intelligibile intelligibile. Intelligibile non intelligibile. Interpretes Latini. Subjecta & prædicata diversa non diversa. superabundans cautela. κόμη Hesychius. Dioscorides. Hesychius male explicatus. Livius. Postulatum. Τεχνικὸς. conjectura de prima significatione vocis κομᾶν. Officium viri docti. provocatio ad peritos latini sermonis. Bellacitas viri docti. Stomachatio sine stomacho. Injuria in Poimenandrum. querimonia. Convitium materiale & formale. Admonitio. Paratragœdiatio inanis. Admonitio intempestiva. Justus dolor. æqua oblatio. De dicto Galeni. De facto Eliæ, Marnixii, & viri docti. invenienda non inventenda, deserta. fallacia evicta. Insidiæ ex confusione, omissione, falsorum mixtura, & contradictione. Sacrasmus castigatus. Postulatum inane. Depravatio verborum. Salmasius. vir doctus ἑαυτὸν τιμωρούμενος. Negligentia ejusdem. Argumentum quoddam auctoris. Absurda ex hypothesibus viri docti. contradictio ejusdem. Explicatio. Fallacia imaginaria.

A voce naturæ progressus sum Quæstion. Textual. 1. part. 3. Continuatione altera, Thesi decima quinta ad vocem κομᾶν, ubi sic loquor: A voce naturæ progreditur vir doctus ad considerationem vocis κομᾶν de qua à me actum fuit disput. textual. part. 2. Thes. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. & part. 4. per totam; Tria autem circa vocem illam, ut patet ex disp. text. part. 2. Th. 2. à me quæsita fuere. 1. Vtrum τὸ κομᾶν apud Apostolum significet comam mulierum more semper intonsam servare? 2. Vtrum noter comam more muliebri ornare & comere, & in cincinnos calamistris flectere, & vittis subnectere? 3. Vtrum τὸ κομᾶν apud Apostolum significet idem quod comam nutrire & comatum esse, id est capillos notabiliter gestare prolixos (hoc enim significat in communi usu loquendi τὸ nutrire, alere capillos, comatum esse) sive semper à tonsura abstineatur, sive aliquando tonsura aliqua admittatur. Primum negavi disp. text. p. 2. Thes. 2. & seq. usque ad 7. adversus auctorem epist. de coma qui pag. ejusdem Epist. 239. diserte id affirmaverat. Verba ejus sunt: Nihil aliud interdicit nisi κομᾶν id est comam nutrire, id est intonsam servare. Et rursus con-

» tra Dialogistam, disp. text. p.4. Thes. 2. Alterum quoque nega-
» vi contra auctorem Epist. de coma qui id affirmaverat Epist.
» pag. 730. Vbi inter alia hæc habet: Ostendit autem manifeste de
» qua coma loquatur, cum dicit γυνὴ δὲ ἐὰν κομᾷ δόξα αὐτῇ ἐστι. Mulier au-
» tem si comam habeat, gloria ipsi est. Nam comam qualem habent
» mulieres, non solum intonsam, sed comptam & in cincinnos ca-
» lamistris flexam & vittis subnexam plane significavit: Atque adeo
» sibi ipsi contradicit. Nam pag. 239. dixerat (ut liquet ex verbis ip-
» sius paulo ante allegatis) Apostolum nihil aliud interdixisse Co-
» rinthiis nisi κομᾶν id est comam nutrire, id est intonsam servare. At
» pag. 730. inquit (ut quoque patet ex verbis ipsius paulo ante addu-
» ctis) Apostolum plane significasse voce κόμᾶν talem comam, qua-
» lem habent mulieres, non solum intonsam, sed comptam, & in
» cincinnos calamistris flexam, & vittis subnexam. Nihil aliud signi-
» ficavit Apostolus & tamen aliud significavit. Idem negavi adversus
» Dialogistam (qui tamen quod auctor Epist. de coma dixerat de ca-
» lamistratione plane intactum reliquit) disp. text. p. 4. Thes. 2. 3. 4.
» Tertium ego affirmavi: plura non addo, adeantur disp. meæ loca
» indicata. Adhæc vir doctus: *Thesis ejus prima (quæ post reliquas*
est XV. *atque ita notatur) nihil habet quod me tangat, sed Auctorem E-*
pistolæ ac Dialogi. Verum tamen quia repetit in ea post varias senten-
tias, suam quoque, hoc monitum velim lectorem, eam repeti ab eo ita ut
proposita fuerat, sed addito glossemate. Etenim disp. Text. 2. Thes. 2. ex-
plicationum quas recenset hæc est tertia: quod τὸ κομᾶν Apostolo idem
sit quod nutrire comam aut comatum esse, sive semper à tonsura abstine-
atur, sive aliquando tonsura aliqua admittatur. De hac sententiam suam
dicturus Thes. 9. Sequitur, inquit nunc tertium, cujus cum de voce κομᾶν
agere cœpimus, mentio facta fuit, videlicet num τὸ κομᾶν idem sit quod co-
mam nutrire, aut comatum esse, sive nulla sive aliqua aliquando tonsura
admittatur. & pro solutione ait: omnino dicendum est, eam notare comam
nutrire, aut comatum esse, sive nulla, sive aliqua tonsura aliquando ad-
mittatur. Videt lector tribus hisce locis, non eundem modo sensum repe-
titum sed eadem fere verba annumerata; videamus jam quomodo & hic
repetat. Tria inquit circa vocem illam, ut patet *ex disp. Text. p. 2.*
Thes. 2. à me quæsita fuere. (& post duas priores sententias) 3. inquit:
utrum τὸ κομᾶν apud Apostolum significet idem quod comam nutrire, &
coma-

comatum esse, id est capillos notabiliter gestare prolixos (hoc enim significat in communi usu loquendi τὸ nutrire, alere capillos, & comatum esse) sive semper à tonsura abstineatur, sive aliquando tonsura aliqua admittatur. (Et in fine Theseos) Tertium ego affirmavi. Vbi glossema illud una cum parenthesi est assutum. Non quæro hic quam vere ad communem usum loquendi provocet, atque quam solide illum pro argumento adducat, neque an hoc interpretamento sententiam suam illustrarit, vel emendarit, tantum moneo, non fuisse ea quæ interjecit, in illa quam citat disputatione vel quæsita *vel* affirmata, *ut videri vult, sed nunc demum excogitata. unde non est mirum si eorum in hac disceptatione ratio à me non potuerit haberi.* Resp. Neque ego dixi hæc te tangere. Significavi in ipsa Thesi quos tangeret. Non dubito tamen nisi solidiora fuissent *quam ut iis dentem infigere posses*, quin *minimè præteriturus fuisses*. 2. Si non quæris ea quę te dicis non quærere, non est mihi necessum ut tibi respondeam. Moneo tamen lectorem me non emendasse, sed explicasse sententiam meam: Et quidem multo commodius quam te tuam explicantem audivimus libert. pag. 138. Vbi *τὸ quod non nisi inhonestum esse potest*, explicas per *indecorum* cui quidem *detrimentum existimationis, peccatum* vero conjunctum non est. 3. Nec explicatio, nec ratio explicationi addita in disputatione illa occurrit: sed nec dixi, nec ullo modo significavi eam ibi inveniri, adeo ut tuum illud, *ut videri vult, sed nunc demum excogitata sunt*, iis quæ hic habes temere assutum, & ab omni æquitate (quam tamen mirifice prædicas pag. 50.) alienum sit. 4. Affirmo explicationem meam sensu convenire cum iis quæ locis à te indicatis habeo, quod patet 1. ex *aliquando, aliqua* quæ ibi occurrunt. 2. Ex verbis theseos 6. disp. à te indicatæ. Sic enim ibi loquor. *Ex hisce puto constare quod τὸ κομᾶν quo utitur Apostolus non sit restringendum ad eam nutritionem capillorum, quæ semper tonsuræ expers est, sed τὸ κομᾶν simpliciter ab ipso sumi, pro* nutrire comam *sive* comatum esse, *vel* promisso esse capillitio *sive id aliquando, sive nunquam tonsura aliquantulum minuatur.* Vides hic opinor me pro iisdem sumsisse *nutrire comam, comatum esse, promisso esse capillitio.* Imo te vidisse id significas disp. 4. Thes. 3. ubi thesin in qua hæc verba occurrunt citas. At quid promissum capillitium aliud notat quam capillos notabiliter longos? 3. Si mihi velis molestus esse, dicendum tibi erit, neminem

inter-

interpretum Latinorum, immo nec Belgicos quos mihi nuper magno cum hiatu verborum objeciſti recte vertiſſe locum Paulinum. Omnes enim latini quos ego vidi, vertunt τὸ κομᾶν *nutrire comam* vel *comatum* eſſe, Belgici vero, **lanck haer dragen**: nulla *notabiliter* mentione facta. expectabimus autem an hoc aliquando dicturus ſis: & quam (ſi id dicas) interpretationem ſis daturus. 4. Ego à te non petivi (nam nec invitatus nec læſus à me ad ſcribendum, nomenque meum theſibus tuis exprimendum, te contuliſti) ut horum rationem haberes: potuiſſes itaque hanc excuſationem omittere.

„ Theſ. XVI. mea hæc erat: Auctor cujus Theſes hactenus ex-
„ aminavimus, primum & tertium horum attingit diſp. decoma 4.
„ Th. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Atque commemorat diverſas de quantitate (ut
„ loquitur) τοῦ κομᾶν ſententias. 2. ſuam profert. 3. in quoſdam incur-
„ rit. Quantum ad 1. dicit quoſdam τὸ κομᾶν ſentire ſignificare co-
„ mam prolixam mulierum inſtar nutrire quam ferrum non attin-
„ gat. 2. Alios arbitrari eandem vocem ſignificare comam nutri-
„ re, aut comatum eſſe, ſive coma nunquam tondeatur, ſive ali-
„ qua aliquando tonſura admittatur. De priorum ſententia nunc ni-
„ hil dicam; in præcedentibus enim de ea actum fuit. Quantum ad
„ alteram attinet, eam agnoſco meam eſſe; ſed obſervari velim 1.
„ me non quæſiviſſe utrum proprie vox κομᾶν id de quo quæritur ſi-
„ gnificet; ſed affirmaſſe, eam communiter ita apud Græcos uſurpari
„ diſp. Text. p. 1. (lege. 2.) Theſ. 2. atque hanc ſignificationem apud
„ Apoſtolum obtinere. 2. Me phraſes (ut paulo ante etiam indicavi)
„ comam nutrire comatum eſſe ſumſiſſe ſenſu qui in communi uſu
„ loquendi obtinet, id eſt notabiliter prolixo eſſe capillitio. Quan-
„ tum ad 2. ait auctor hic. 1. Verbum κομᾶν natura ſua nihil aliud
„ ſignificare quam comam habere vel gerere. 2. celebriorem ejus ſi-
„ gnificationem & uſu communiorem eſſe, ut notet comam longam
„ alere. 3. non eſſe cenſendum comam ſimpliciter hic vetitam eſſe,
„ quia ſequerentur abſurda illa quę colligit Dialogiſta p. 113. 114. 4.
„ Nec etiam ſimpliciter longam quia omnis coma in ſe longa eſt. 5.
„ Colligendum ex circumſtantiis, juxta mea veſtigia, qualis coma
„ qualiſve longitudo hic intelligatur. 6. Agere Apoſtolum de coma
„ quæ pro velamento eſſe poſſit. Reſp. ad 1. Id me non tangit; quo-

uiam

» niam non memini à me negatum τὸ κομᾶν proprie id quod vult vir
» doctus significare; quamvis ratio dubitandi esse possit num id pro-
» prie notet: sed ad Dialogistam spectat, qui p. 77. affirmat vocem il-
» lam κομᾶν propriissime notare comam intonsam. Ad 2. id ipsum
» est quod ego affirmavi. Ad 3. Nemo, ut puto, dixit hic vetari comã
» simpliciter, nisi vox comę accipiatur pro coma notabiliter prolixa.
» Ad 4. tantundem dico, modo ne lusus sit in vocibus comam sim-
» pliciter longam. Nam quis ita fatuus sit, ut corpori longitudinem
» neget? Ad 5. dixi ego τὸ κομᾶν significare comam nutrire, comatum
» esse, sive omnino à tonsura abstineatur sive aliqua aliquando ad-
» mittatur: & porro ex circumstantiis textus in quo occurrit vox il-
» la, colligendum an notet comam intonsam servare, an prolixam (id
» est notabiliter longam) nutrire: fallaciam ergo struere videtur vir
» doctus quę dicitur à dicto secundum quid ad dictum simpliciter.
» Ad 6. non nego Apostolum agere de capillo qui pro velamento es-
» se possit: sed nego illum tantum de eo agere. Alioqui enim licitus
» erit omnis capillus viro, qui vel minimum ab eo, qui pro velamẽto
» esse possit, distabit. Sed quis credat Apostolum posuisse in re tantil-
» la discrimen honesti, & ejus quod nõ nisi inhonestum esse potest ut
» auctorem hunc supra disp. 3. Thes. 11. loquentem audivimus? plu-
» ra nunc non addo: postea enim hac de re agendum erit. Ad hæc
vir doctus ait. *Thesi* XVI. *repetit ea quæ dixi thesi mea secunda, ubi verbum* κομᾶν *varie accipi observo, primo ratione* quantitatis *comæ. quosdam enim id accipere pro comam prolixam mulierum instar nutrire, quam videlicet ferrum non attingat. Alios pro comam nutrire, aut comatum esse sive coma nunquam tondeatur sive aliquando tonsura admittatur. Agnoscit hanc sententiam pro sua vir doctus. Sed observari inquit velim.* 1. *Me non quæsivisse utrum proprie vox* κομᾶν *id de quo quæritur significet, sed affirmasse, eam communiter ita apud Græcos usurpari. disp. 1 ext.* p. 1. (*scribe* p. 2. *atque ita corrige in fronte ipsius disputationis*) *Thes.* 2. *Atque hanc significationem* APUD APOSTOLUM OBTINERE. Quod qua *de causa vir doctus observari velit, conjicere non possum, ut ut est me non tangit, qui quod à se amolitur, ipsi non attribui. Sufficit mihi hoc ultimum* APUD APOSTOLUM OBTINERE. Resp. 1. in verbis meis *sive aliquando tonsura admittatur* omittitur à viro docto vox *aliqua*. 2. Habeo gratiam pro correctione erraratorum typographicorum adhibita, qualia multa compa-

rere in diatribe mea, hoc est thesibus, de capillis in præfatione quæ illis præfixa est, significavi. 3. Observari hoc volui ut lector sciret quæ mea hac de re esset sententia: nec omissum à me quod de usu communiori vocis κομᾶν ipse adfert. 4. Conjicere non possum cur bis verba mea *apud Apostolum obtinere* majori charactere expresserit. Pergit ad secundum quod observandum monueram, aitq; *Virum doctum cum disput. text. scriberet ita phrases illas sumsisse, ex iisdem non potest intelligi. Nam longe aliud est* τὸ κομᾶν *communiter apud Græcos sumi pro comam nutrire, comatum esse (quod unicum ibi comparet) aliud vero* τὸ *comam nutrire &c. in communi usu loquendi apud latinos significare.* NOTABILITER PROLIXO esse capillitio. *quod hic dicit. Hæc enim & subjectis & prædicatis differunt.* Resp. 1. Quid ex disputationibus meis textualibus intelligi possit jam indicatum est. 2. An intelligi potuerit, virum doctum per id *quod non nisi inhonestum esse potest* cum disputationes de coma scriberet & in Doctiss. Franciscum Iunium incurreret libert. pag. 70. significasse *indecorum* cui *detrimentum* quidem existimationis at *peccatum* conjunctum non est, æquus lector judicabit. 3. τὸ κομᾶν communiter apud Græcos sumitur pro *comam nutrire, comatum esse, comam nutrire & comatum esse* in communi usu loquendi apud Latinos significat *notabiliter prolixo esse capillitio.* Fatendum id viro docto, nisi velit interpretes latinos, latinam linguam nescivisse, & imperite locum Paulinum reddidisse. Omnes enim quot quot vidi vertunt τὸ κομᾶν aut per *comam nutrire*, aut *comatum esse*, cum tamen ipso viro docto fatente disp. 4. Thes. 3. Apostolus loquatur de coma notabiliter prolixa: & vocis κομᾶν celebrior significatio & usu communior sit, ut notet comam longam alere. Possem huc alias quoq; auctoritates adducere, sed eas prætereo, vix enim credo quempiam hac de re dubitare. 4. Ostendat nobis vir doctus subjecta & prædicata quibus hæ phrases differant, nimirum *comam nutrire, comatum esse, notabiliter prolixo esse capillitio.* Nam τὸ ἀνδρὸς ἔφη in solutum non accipimus. 5. Differentia quæ in hisce phrasibus est, verbalis non realis est, qualis est inter phrases æquipollentes. Ludit ergo vir doctus, non serio argumentatur, nisi ipsi libitum sit omnem phrasium & enunciationum æquipollentiam tollere, & tamen si ipsi credimus de his ad thesin præcedentem satis,

tis, cum ne hic quidem de his satis. Pergit: 3. *Addidi quid mihi videatur, & 1. quidem. verbum κομᾶν natura sua nihil aliud significare, quam comam habere vel gerere. Hoc vir doctus negat se tangere, quia id non meminerit à se negatum. Resp. Nec ego dixi hoc tangere virum doctum: sed tantum symbolam meam ad explicationem hujus verbi in medio posui. Deinde dicit: rationem dubitandi esse posse num id proprie notet. Resp. Et ego rationem me habuisse arbitror cur ita censerem. Si enim κόμαι nihil aliud sunt quam αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς ἢ χωρίον ut ex Hesychio citat vir doctus* disp. Text. p. 2. Th. 2. *Non potui mihi imaginari κομᾶν in primigenia significatione aliud esse quam τειχιᾶν, & quidem ἐν τούτῳ τῷ χωρίῳ. Non tantum in scapulis, aut tergo ut vir doctus vult. unde τειχίασις morbus, per similitudinem denominatur à capillis in* calva *discurrentibus. Quando vir doctus rationem dubitandi quam super hac re* esse possit, *exposuerit, ejus quoque ratio habebitur. Quod de Dialogista ait me non tangit, qui non quid illi, sed quid mihi videatur exposui.* Resp. 1. Etiamsi non dixeris id me tangere, monendum tamen duxi lectorem me non tangere: nihil enim superabundans cantela nocere potest. 2. quod symbolam tuam in medio poneres nemo reprehendit; hoc enim cuique licitum est: sed etiam unicuique liberum est ut de ea qualis sit judicet. 3. Non dicit Hesychius (nec ego dixi) κόμας nihil aliud esse quam τρίχας τῆς κεφαλῆς: nam etiam κόμην, χωρίον esse ait Hesychius, ut ex verbis meis habere potuisti. Præterea etiam κόμη herbam notat, quæ alias τραγωγών sive τραγωγών appellatur v. Dioscor. lib. 2. c. 173. 4. Male interpretaris Hesychium. Per χωρίον enim non intelligit locum cui innascuntur comæ; nihil enim tale habet in voce χωρίον. quod tamen non omisisset, quia significatio ista insolens est, nec à quoquam alio quantum mihi constat, annotata. Loco de quo agimus significavit κόμην esse loci nomen proprium. Vide Livium lib. 32. 5. Nescio quid sibi velint verba illa: NON TANTUM IN SCAPULIS AUT TERGO UT VIR DOCTUS VULT. Explica itaque ea, & locum aliquem meum indica, ut respondere possim. 6. Τειχίασις non unum morbi genus notat, nescio autem an ullum eorum dicatur à similitudine capillorum in calva DISCURRENTIUM. 7. Existimo τὸ κομᾶν in prima sua significatione notare idem quod *capillos emittere* nec non τειχιᾶν *pilos emittere*, quomodo crinire apud latinos, pro *crines emittere*

sumitur. Nihil tamen hic asſero. Difficile enim est sępe numero primigenias vocum significationes indicare, & indicatas confirmare. Si erro, errantique mihi vir doctus comiter monstret viam, gratiam habebo. 8. Quamvis id Dialogistam tangat, non debueras tamen eum prępmittere. Quaque enim occasione Poimenandrum, Borstium, me impugnas ubi tibi lapsi videmur. ne ergo partium studio duci videreris, & ille castigandus fuerat. Pergit. 2. *Dixi celebriorem vocis significationem esse, & usu communiorem, ut notet comam longam alere, id ipsum vir doctus ait se quoque affirmasse. Resp. Nec ego id contra eum attuli, imo ipsum pro hac sententia citavi. itaque non est quod hisce immoremur.* Resp. Si id contra me non attulisti, meque pro hac sententia citasti cur negasti paulo ante? cur glosscma meum, quod vocas, id est, capillos notabiliter gestare prolixos, pag. 150. damnasti? Nam si coma per se sæpe notet capillos notabiliter prolixos, multo magis id significabit *coma longa.* Quotquot latini idiomatis periti sunt, hic judices fero. Pergit vir doctus: 3. *Dixi interim non censendum, vel comam simpliciter hic vetitam esse, vel etiam simpliciter longam: & utriusque rationes attuli. Negat vir doctus quenquam hæc dixisse nisi lusus sit in verbis &c. Resp. Ad primum quod attinet, id nemini impegi, sed primam significationem, stricte & in rigore sumtam, huc pertinere posse negavi, ut ita clarius & distinctius ad eam quæ mihi allubescit, quamque pro vera habeo, pervenirem. Secundum non est quod tanto cum stomacho rejiciat vir doctus, cum ait: Quis ita fatuus ut corpori longitudinem neget? vellem sane parcius: Nam è Poimenandri sententia (licet ipse id non animadverterit) necessario hoc sequitur, si enim anguli temporum sint terminus ultra quem capillos progredi nefas sit, sequitur extremis eorum angulorum capillis omnem longitudinem denegari, quatulacunque enim ea sit, profecto terminum illum migrabit. Hoc æque claram est ac bis duo esse quatuor. Absit tamen, ut si cui per imprudentiam tale quid exciderit pro* fatuo *eum traducam. Neque sane tam parum novi egregia in ecclesiam Dei merita ingenis illius viri, ut putem eum talia audire oportere, neque tam securus sum meæ salutis, ut oblivioni tradiderim dictum Christi,* qui dixerit fratri suo fatue *(horret animus reliqua addere) Si aliter videtur viro docto, ipse viderit, non enim judico, domino suo stat & cadit.* Resp. ad primum: Quod si ita est ut vir doctus ait, neminem etiam id dixisse colli-

colligo, (nam secus si foret, non id prætermisisset) adeoque *bellacem esse ipsum* & cum ipso Dialogistam *sine adversario* quod mihi objecit libert. p. 100. Ad secundum. 1. Rejeci certe id, quod vero id *cum stomacho* rejecerim nescio unde habeat. Stultas sæpe rejicimus opiniones sine stomacho. 2. Nesciebam ego Poimenandrum negasse corpori longitudinem. Asserit id tamen vir doctus: sed male probat. Nam si verum est quod hic Poimenandro tribuit, non corpori longitudinem negavit, sed ipsum corpus sustulit, & suna cum eo longitudinem; 3. Quid senserit Poimenander supra explicatum est, & porro patescet ex ipsis Poimenandri literis; quas coactus importunitate viri docti lectori exhibebo. 4. Neque ego te dixi Poimenandrum pro fatuo traduxisse, (quamvis ipsi IOCULAREM ἀδελφίαν objeceris disp. 2. Thes. 4. cum scilicet de meritis insignis illius viri in Ecclesiam Dei fervore scribendi abreptus non cogitares) sed nunc video te ipsi sententiam tribuere quæ parum à fatua distet. Ais enim ipsum corpori longitudinem negare. Cum omne corpus adeoque OMNIS COMA (ut ais) *in se longa sit.* 5. Si Poimenander indignus qui talia audiat, an ego dignus fui cui dissimulationem & callidam quidem dissimulationē impingeres, & quidem scripto quod publici juris fecisti? 6. Si tibi tanta religio ut animus tuus horreat reliqua addere quæ in dicto Christi sequuntur, censesne Christum Mat. 23. 17. 19. & Apostolum Gal. 3. v. 1. modum excessisse? Christum quidem hostes suos μωρὲς, Apostolum Galatas ἀνοήτους appellando? Distinguendum est cum Scholasticis inter convitium materiale & formale. 7. Faxit tamen Deus ut si amplius tua defendenda putes, dicti illius memor sis, ne quod proposito te refugere confido, facto admittas, & ne alienum servum judices. 8. Neminem ego *fatuum* vocavi, sed neminem ita fatuum esse dixi qui corpori longitudinem neget. Periit ergo tota hæc paratragœdiatio. Addit *Audiat interim tria verba auctoris licet à pietate Christiana alieni, doctrinæ tamen Christi hac in parte apprime consentanea. Galenum dico, qui lib. 8. de placitis Hippoc. & Plat. c. ult. Sicut, inquit, succensendum non est, si quis defendit opiniones suas esse veras, ita concedere debemus ut alii nobis contradicant. At procacis hominis est & petulantis carpere mordaciter, atque irridere quasi* STULTUM *aliquid quod venerit dogmatice in controversiam.* Resp. 1. Ni-

hil hic video quod me tangat. Nam non succenseo viro docto quod postquam à nemine Iesus opiniones suas publici juris fecisset, etiam eas sibi defendendas duxerit: quamvis, si non succensendi saltem dolendi causa fuerit, quod ita opiniones suas defendat, ut *adversariis* attribuat quæ nunquam dixere, & quæ incommodius in lib. Poim. dicta invenit ad sanguinem usque premat: & denique mihi dissimulationem & callidam dissimulationem impingnat. 2. Non negavi viro docto ut mihi contradiceret, & per me licet, ut etiam nunc mihi contradicat; sed ea lege ut & me sibi contradicentem ferat. Nam puto idem mihi in ipsum esse jus, quod ipse sibi in me esse existimavit. 3. Vtri nostrum mordacitas adscribenda sit, judicabit æquus lector. 4. Nescio quo jure (hoc enim præ se ferre videtur) mihi tribuat, quod irrideam ut *stultum* quod dogmatice venit in controversiam. Nam neminem ita fatuum esse dixi, qui corpori longitudinem negaret: adeoque *fatuitatem* nulli attribui, sed potius ab omnibus, quantum ad id de quo agebatur, removere conatus sum. 5. Si monitum hoc Galeni doctrinæ Christi consentaneum est, velim vir doctus mihi dicat quid sentiat, de ratione agendi qua usus est Elias adversus Baalitas 1. Reg. 18. item Marnixius aliique quidam ex nostris adversum pontificios: & porro ostendat, quantum *jocularis* ἀβλεψία quam objecit Poimenandro à *stulta* differat: & quid sibi velit (ut alia omittam) quod in me itonice dixit libert. pag. 100. *Nimirum hoc est sapere!*

Pergit. *Postquam submovi à significatione vocis* κομᾶν *ea quæ submovenda videbantur, sententiam meam adjeci, vestigia viri docti hactenus me sequi professus, quod ait ex circumstantiis colligendum qualis coma, qualisve longitudo hic intelligatur. Circumstantiæ autem docent, agere Paulum de coma quæ capiti pro velamento esse possit, ut muliebris est. Quid ad hæc vir doctus.* 1. *pro se loquitur, deinde adversus meam sententiam. Pro se ait. Dixi ego* κομᾶν *significare comam nutrire, comatum esse, sive omnino à tonsura abstineatur, sive aliqua aliquando admittatur. & porro ex circumstantiis textus in quo occurrit vox illa, colligendum, an notet comam intonsam servare, an prolixam (id est notabiliter longam) nutrire. Fallaciam ergo struere videtur vir doctus, quæ dicitur à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Resp. Hæc omnia totidem pene verbis thesi mea secunda reperies, (excepta parenthesi, quæ cum scriberem non-*

nondum nata erat. Quod ergo simpliciter dixerat auctor, simpliciter reculi. In quo ejus secundum quid est situm, legere non poteram ubi non exstabat. Id quod abunde à structa fallacia me absolvit. Cui culpæ magis affinem esse apparebit virum doctum, si rationem proponendæ sententiæ ipsius penitus quis inspexerit. Quomodo enim non insidiosium videbitur, primo in ponendo statu controversiæ, uti verbis generalissimis comam nutriendi sive alendi, in progressu addere prolixam, post sequi annum notabiliter prolixam; *& denique eam notabilitatem (turbato interim ordine, nam id egit sex menses antea) in eo tantum ponere, ut humeris involitet, vel tergum flagellet, imo nec in eo quidem acquiescere, sed adjicere & citra necessitatem? Quid? Hæccine omnia continentur apud Paulum unica voce κομᾶν. & hasce omnes restrictiones complectitur & nutrire, alere capillos, & comatum esse, quibus solis verbis in ponendo ac resolvendo controversiæ statu usus est? Profecto mercem minime vendibilem esse oportet, quæ tot modis interpolata,* tam diversis *temporibus in forum venit.* Resp. 1. Repetit vir doctus quæ dixerat, de vestigiis meis nihil probat. 2. Vidi thesin ejus secundam, sed non reperi hæc omnia de quibus quæstio est totidem pene verbis: nec reperiet lector si eam inspiciat. 3. & quamvis ea ibi reperirentur Thesi 3. ab iis recedis, & vestigia mea deseris. 4. Quod parenthesi inclusum est, explicatio priorum est, & quidem communi usui loquendi consentanea, mirum est ergo te virum literatum id videre non potuisse. 5. Si meum *secundum quid* est in τὸ *notabiliter* jam fallaciam, quam tibi objeci, evicta est. Nam comam prolixam nutrire in communi usu loquendi nihil aliud est quam notabiliter longam gestare. 6. Quæ dicit de insidiis meis fundamento carent, ut ostensum est. Sed revera insidiosa sunt; quæ vir doctus hic affert. Nam 1. confundit explicationem loci Apostolici cum quæstionibus occasione illius à me tractatis, ut habeat quod de statu controversiæ *verbis generalissimis* posito, objiciat. 2. Omittit non omittenda. Perinde enim loquitur, ac si cum de sensu vocis κομᾶν agerem eam non aliter quam per τὸ *nutrire*, *alere comam* explicuissem, quod falsum. Videatur disp. text. p. 2. Thes. 2. 3. 4. 5. 6. 9. & quæ supra in vindiciis Thes. xv. dicta sunt. 3. insidiose ait in progressu additum *prolixam*, nam ipsa illa disputationis parte qua ago de significatione vocis κομᾶν tria hæc conjungo, *nutrire comam*, *comatum esse*, *promisso esse capillitio.*

Ver-

Verba mea sunt Thes.6. *Ex hisce puto constare quod τὸ κομᾶν quo hic utitur Apostolus, non sit restringendum ad eam nutritionem capillorum quæ semper tonsuræ expers est, sed τὸ κομᾶν simpliciter ab ipso sumi pro nutrire comam, sive* comatum esse *vel* promisso esse capillitio *sive id aliquando, sive nunquam tonsura aliquantulum imminuatur.* Puto autem promissum capillitium esse *prolixum.* 7. quæ *de* sesquianno dicit nec vera sunt ut ex quæst. text. 1. parte 1. thes. 6. liquet, nec si essent, efficerent, me mihi consentanee non esse locutum: nisi probaverit in communi usu loquendi, *nutrire comam, comatum esse, promisso esse capillitio,* non significare capillum *notabiliter* longum habere; quod licet tentaverit libert. p. 151. nunquam tamen consequetur. 8. Falsum est me notabilitatem in eo tantum ponere ut humeris involitet vel tergum flagellet. v. Quæst. text. p. 1. Th. 1. ubi quæritur *Vtrum viris permissum sit, citra necessitatẽ capillos, ita alere, ut humeris involitent, vel tergum flagellent, aut etiã prolixiores?* & th. 6. ubi hęc quęstio negative determinatur. & porro Text. 2. Th. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. ubi reliqua trado quę capillos viriles spectant, ex quibus lector videbit, magnopere, falsum fuisse Virum doctum. 9. quod ait de turbato ordine tale est, ut si verum sit, sequatur quoties in posterioribus, quis utitur phrasi alia licet æquipollente quam in prioribus, turbari ordinem. Quod si viro docto hæc methodus allubescat me sibi consentientem non habet. 10. Si vir doctus oculis usus fuisset, me in ipsa explicatione vocis κομᾶν à limitatione illa non abstinuisse vidisset. Sic enim ajo disp. text. p. 2. Th. 5. *Vt enim recte colligitur, quoniam Apostolus ait mulieri decori esse ἴσον κομᾷ.* 1. *comata sit, licet vox κομᾶν per se non significet, capillos omnino tonsuræ expertes servare, indicasse tamen eum decori esse mulieri si capillos (ubi* NECESSITAS *contrarium non exigit) omnino intonsos servet: sic etiam* &c. Sed quid opus est testimoniis cum ipse vir doctus disput. 6. thes. 7. fateatur me casum necessitatis jam antea excepisse? Adeo ardore contradicendi abreptus fuisse videtur, ut sui oblitus fuerit. 11. Vbinam ego dixi hæc omnia contineri apud Paulum unica voce κομᾶν, aut hasce omnes quas vocat restrictiones complecti τὸ *nutrire, alere capillos,* & *comatum esse?* 12. Quod ait de usu solorum horum verborum in ponendo ac resolvendo statu controversiæ jam ante refutatum fuit. 13. Irrisio ista amarulenta de

de merce mea quam vocat minime vendibili, & ridicula est, ut patet ex præcedentibus, & pugnat cum tribus illis verbis quæ ex Galeno me nuper audire jussit vir doctus. Quocirca moneo eum ne amplius aut proferat ejusmodi *tria verba*, aut ne ea se susque deque habere ipso facto commonstret.

Pergit: *Ad meam sententiam accedens vir doctus, non nego, inquit,* Apostolum *agere de capillo qui pro velamento esse possit, sed nego illum tantum de eo agere. Alioqui enim licitus erit omnis capillus viro, qui vel minimum ab eo qui pro velamento esse possit, distabit. Sed quis credat Apostolum posuisse in re tantilla discrimen honesti, & ejus quod non nisi inhonestum esse potest, ut auctorem hunc supra disp. 3. Thes. 11. loquentem audivimus? Resp. 1. Non negat Apostolum agere de capillo qui pro velamento esse possit, bene habet. Hoc volebam. Sententia ergo mea ab ipso adversario (in bonam partem hoc vocabulum accipi volo) habet testimonium veritatis. Sed negat 2. Apostolum* tantum *de eo agere. Doceat ergo illum de alio quoque agere, idque demonstret ex circumstantiis. Hanc enim ipse legem fixit & ego observavi.* Resp. 1. Magnam scilicet laudem refert vir doctus, quod non negaverim recte ab ipso dictum, quod antequam scriberet disputationes non tantum à me assertum, sed etiam solide demonstratum fuerat disp. text. p. 2. Th. 8. 2. Argumentum hic videre se agnoscet mox vir doctus. Non ergo mihi erat injungendum, ut probarem id de quo loquitur, sed eo prætermisso examen probationis meę instituendum. 3. Quod ait de lege à me fixa, nihil nisi depravationem eorum quæ à me dicta sunt continet. Pergit. 3. *Argumentum quod adducit utraque præmissa claudicat. Non enim è mea hypothesi sequitur viro licitum esse omnem capillum qui non possit esse pro velamento, quanquam sequatur Apostolum hoc loco de illo non agere. Neque absurdum est discrimen honesti ac turpis ubi de licito agitur poni in re tantilla. Nam & res tantilla. 1. exigua erat in qua Adamus peccavit. & tamen discrimen honesti ac turpis tunc in eo erat positum. Auctor ratiocinando, imprudens incidit in pontificiorum peccatum veniale propter parvitatem rei. Imo largius peccat, nam quia res tantilla est, ideo in ea peccatum esse negat.* Resp. 1. Vir doctus dum me oppugnatum it, imprudenter in Cl. Salmasium incurrit, eumque absurdis illis quæ in me torquet, onerat. Nam Epist. De Coma pag. 29. hęc habet: *Quid enim? qui digito transver-*

so altum capillum habebit, non peccabit. An si adhuc mensuram unius digiti adjecerit, peccato erit obnoxius? Tantillo discrimine stabit rectum & pravum, ut pilus transversi digiti latitudine longus quod rectum erat in contrarium detorqueat? Quid si alius digitus, deinde alius ad longitudinem addatur, tanto magis in excessum res cadet? Infra aures descendens, an supra aures subductus capillus tantam differentiam inducet, ut hic virilis habeatur, alter censeatur muliebris? Vbi ergo illum defenderit, se me male oppugnasse fatebitur. 2. Se ipsum quoque jugulat; quoniam disp. 4. Thesi 3. tale discrimen requirit in capillo virili (puto autem id eum ex Apostolo hausturn velle, ne nobis sua placita obtrudat) *Vt* VNICUIQUE APPAREAT *non dimitti in viro capillum, ad eam mensuram ut sit aptus capiti velando muliebrem in modum.* Adeoque negat Apostolum posuisse discrimen *honesti & ejus quod non nisi inhonestum esse potest, in re tantilla,* Id est tali sectione capillorum virilium qua minimum distent ab iis qui pro velamento esse possint. Nam ut opinor, non dicet, *mox unicuique apparere, capillum virilem non esse aptum capiti velando muliebrem in modum,* ubi minimum aliquid ei deest ad longitudinê quæ requiritur ut aptus sit capiti velando muliebrem in modum. Agnoscat ergo se aut male me oppugnasse: aut defendat quæ mihi impingit absurda. 3. Exhibere debuisset utramque præmissam argumenti mei, ut constare posset lectori, utramque claudicare. Quoniam id ergo non fecit ipse faciam. Tale itaque argumentum meum erat. Si viro non est licitus capillus, qui vel minimum distat ab eo qui pro velamento esse possit, ergo Apostolus non tantum agit de capillo qui pro velamento esse possit. Sed verum prius. Ergo. Consequentiam majoris, ne eam claudicare dicat vir doctus hac ratione probo, nimirum, quia alioqui Apostolus doctrinam de decoro circa capillum virilem observando, quam tamen Corinthiis inculcabat, insufficienter tradiderit. Minorem sic probavi, Si credibile non est Apostolum statuisse discrimen honesti & ejus quod nisi inhonestum esse potest, in re TANTILLA id est minima distantia capilli qui pro velamento esse possit, sequitur non omnem capillum viro esse licitum qui vel minimum distat ab eo qui pro velamento esse possit. Sed verum prius, ergo. Probatur rursus minor ex disp. 4. thes. 3. quam vir doctus hic vindicare nititur & cujus verba quædam pau-

lo

lo ante adducta fuerunt. 4. Quod si viri docti hypothesin recte examinemus, colligendum erit non tantum viro esse licitum omnem capillum qui pro velamento esse non possit, verum etiam intonsum, nimirum ubi id *moris* est, & contra mulieri attonsum. Nam non tantum negat esse legis naturæ, inclinationis naturalis, & honestatis naturalis tonsuram virilis, & nutritionem muliebris comæ; verum etiam asserit Apostolum hic agere non de *necessario* sed de *decoro* libert. pag. 134. Decorumque ait libert. pag. 107. *æstimari ex more qui sit regula decori.* Vnde sic arguo. Quod decorum est, id licitum est. At viro comam intonsam, mulieri attonsam gestare, ubi id moris est, decorum est, nam decorum ex more æstimatur qui est regula decori. Ergo. Imo vero ex ipsius hypothesi sequetur etiam casu posito, ut ita fiat necessarium esse. Quia nulla res ratione decori moralis sive honesti quæ ei accidit (ut ait libert. p. 175. sub finē) est indifferens. Præterea si hypothesin ejus recte examinemus, etiā sequetur, Apostolum hic agere de coma quæ pro velamēto esse nō possit, Quod ut pateat velim considerari quæ thesi quam hic vindicare nititur hac de re habet, ea enim talia sunt ut clament virum doctum sibi strenue contradicere cum hic ait ex sua hypothesi sequi Apostolum nō agere de capillo qui pro velamento esse non possit. Verba theseos viri docti sunt, *Circumstantiæ autem* inquit, *docent,* AGERE PAULUM *de coma quæ capiti pro velamento esse possit, ut mulieribus est.* AGIT ERGO DE COMA MULIEBREM REFERENTE, *Quam ferrum ut Beza ait non attingit videlicet ordinarie & notabiliter. Nam si mulier (ut argumentum hoc Dematii retorqueamus) quæ prolixissimo sit capillitio, per intervalla satis longa ad digiti unius lapitudinem capillos suos præsecuerit, non desinet capillus ejus, muliebris esse, neque decoris illius quem muliebri capillitio attribuit Paulus expers erit. Quis enim credat Apostolum in re tantilla decoris ac dedecoris discrimen posuisse? Id ergo si & vir fecerit,* CAPILLUS EJUS NIHILOMINUS MULIEBREM REFERET. *Sed discrimen majus requiritur, nempe ut* UNICUIQUE APPAREAT, *non dimitti in viro capillum ad eam mensuram ut sit aptus capiti velando muliebrem in modum, quod sit cum in verticem colligitur, ut perspicue demonstravit auctor Dialogi* p. 73. 74. Hinc, enim sic arguo, qui ait Apostolum agere de coma muliebrem referente, & negat agere

Apostolum de coma quæ pro velamento esse non possit, is sibi contradicit. Atqui vir doctus id facit ergo. Probatur Major: Qui ait comam illam referre muliebrem, quę talis non est ut unicuique appareat non dimitti ad eam mensuram ut sit apta capiti velando muliebrem in modum, is cum ait, agere Apostolum de coma muliebrem referente, & negat agere Apostolum de coma quę pro velamento esse non possit, contradictoria docet: sed illud facit vir doctus, ergo. Minor perspicua est. Thesi enim dicta ait Apostolum agere de coma muliebrem referente, adserit etiam eam muliebrem referre quę non est talis ut unicuique appareat, non dimitti ad eam mensuram ut sit apta capiti velando muliebrem in modum. Hic autem negat ex sua hypothesi sequi Apostolum agere de capillo qui pro velamento esse non possit. 4. Si ex tua hypothesi nō sequitur quod sequi negas, fatere vel Corinthios satisfacturos fuisse monito Apostolico, si comis suis vel minimum quid demisissent, ne muliebrem in modum capiti velando aptæ essent, vel hypothesin tuam esse malam. 5. Quando dixi: at quis credat Apostolum in re tantilla discrimen dedecoris & ejus quod non nisi inhonestum esse potest posuisse? id ita intellexi ut non negarem, etiam minimam distantiam capilli qui prō velamento esse non possit ab eo qui esse possit, ad discrimen illud de quo loquebar pertinere; sed indicarem id non sufficere sed amplius requiri. intellexit id vir doctus thesi illa 3. & habere hoc potuit ex collatione theseos meæ 5. & 6. disp. text. p. 2. 6. Concidunt ergo absurda illa quę hic cumulat. Pergit. *Quod citat ex disp. mea 3. thes. 11. non video qui eum juvet. Dixi* illis *videlicet viris Corinthiis & quidem propter morem ibi receptum, non nisi inhonestum* 1. *Indecorum*, (*ita enim vocem ἀπλῶς me accipere novit vir doctus ex disp. 5.*) *esse posse, si caput capillis muliebrem in modum velatum haberent. Quid hinc pro discrimine honesti ac turpis, pro ut à viro docto accipitur id est liciti & illiciti potest concludi? fallit ergo vir doctus æquivoco, atque etiam quod mihi modo attribuebat, à dicto secundum quid (nempe eo quod de Corinthiis dixi) ad dictum simpliciter, cum citat mea verba, quod non nisi inhonestum esse potest, truncata voce* ILLIS *quam bis, in adducta thesi literis majusculis, ut ejus imprimis ratio haberetur expressi, addita insuper ratione cur ita egerim. Sed de hoc etiam supra actum, nam plus vice simplici in hunc lapi-*

lapidem impegit. Resp. 1. Quod dixisti de more apud Corinthios recepto refutatum dedi cap. 24. 2. Hoc habeo ex verbis tuis, te aut tibi contradicere, cum Apostolum de indecoro morali quod peccatum non sit, differere ais: aut te durissima phrasi esse usum. hactenus enim neminem theologorum exstitisse existimo qui per id *quod non nisi inhonestum esse potest*, non peccatum intelligeret: nimirum ut etiam quæ ab aliis incommode dicuntur, in meliorem partem interpreteris. 3. Si fallo, studio non fallo, sed à viro docto deceptus æquivoco, non ex communi usu loquendi desumto, sed nuper nato. Ipse ergo sibi fallaciam illam imputet. 4. Non agebatur hic de voce ὑμᾶς, nec de emphasi quam in ea constituit vir doctus: sed voce ἡμᾶς, quocirca vox ILLIS omitti potuit præsertim cum addita, nihil ipsi prosit, nec omissa noceat. Hinc ergo fallaciam extundere, est nodum in scirpo quærere. cæterum vide quæ cap. 24. & 25. dicta sunt.

CAPUT XXVIII.

Confessio tacita. repetitio mutila. Vestigia tecta. retorsio imaginaria. Mala interpretatio. Laudatio noxia. De retorsione. Latebræ. ἀπροσδιονυσον. Delicatulæ defensæ à Theologo. Contradictio. Ignoratio elenchi. omissio. abbreviatio insidiosa. Conatus irritus. apagoge. omissio. criminatio non probata. Cavillatio concludens. omissio. iniquitas. composita non componenda. dilemma. Methodus Poimenandriana. mutatio sententiæ. Simile dissimile. Ictus irritus. falsa hypothesis. insidiæ. inconsequentia. liberalitas & benevolentia. φειδαλία & asperitas. Argumenta perenallagem quæ si absit, mala. De Beza & Poimenandro. Contradictio. fundamenta ruinosa. Petitio principii. Inconstantia. fallacia divisionis & compositionis. fictio inofficiosa. Ambiguitas in voce, terminorum. De destituendo in arido. Officium humanitatis. Confessio auctoris. Victoria imaginaria. Silentium tempestivum. Gloriatio inanis. Alii ignoti. Contradictio.

THesis mea XVII. hæc erat: Quantum ad tertium: (Nimirum eorum quæ thesi 16. circa initium enumerata fuerant) Incurrit in me, Poimenandrum, & Borstium: In me his verbis: si mulier (ut hoc argumentum DEMATII retorqueamus) quę prolixissimo sit capillitio, per intervalla satis longa ad digiti nimis latitudinem capillos suos præsecuerit, non desinet capil-

„ lus ejus muliebris esse, neque decoris illius quem muliebri capil-
„ litio attribuit Paulus expers erit, quis enim credat Apostolum
„ in re tantilla decoris ac dedecoris discrimen posuisse? Id ergo
„ si & vir fecerit, capillus ejus nihilominus muliebrem referet:
„ sed discrimen majus requiritur ut unicuique appareat, non dimit-
„ ti in viro capillum, ad eam mensuram ut sit aptus capiti velando
„ muliebrem in modum, quod sit cum in verticem colligitur, ut per-
„ spicue demonstravit auctor Dialogi p. 73. 74. Resp. Syllogismus
„ hic per se & sine assumento quod ipsi attexitur, nihil adversus me
„ concludit. Nam ego nusquam dixi quod capillus viri desinat esse
„ muliebris, si per longa satis intervalla ad digiti latitudinem præse-
„ cetur. Vide disput. meam Text. p. 2. Thes. 6. & quæ dicta sunt ad
„ viri docti 4. Thes. 2. Nescio ergo quid sibi voluerit vir doctus cum
„ argumentum meum in me se retorquere ait. 2. Committitur falla-
„ cia plurium interrogationum: aliud enim est quærere num capil-
„ lus virilis qui per longa satis intervalla ad digiti latitudinem præse-
„ catur referat muliebrem nec ne, aliud vero quousque sit præsecan-
„ dus ne muliebrem referat. 3. ne quidem assumentum illud sane in-
„ tellectum, contra me facit. 4. Non inquiro nunc utrum minor hu-
„ jus syllogismi mea censeri possit: quia id necessarium non duco.
Respondet vir doctus: *Observavi in sequentibus sub qua cautione ex-*
plicatio Bezæ (cum ait agi, de coma muliebrem *referente quam ferrum*
non attingat) mihi probetur, nempe si addatur, vel subintelligatur, τὸ ordi-
narie, *& notabiliter. Rationem hujus cautionis addidi, quia coma muliebris esse non desinit, licet eam ferrum quadantenus, puta ad digiti unius latitudinem nonnunquam resecando attingat. Id ergo si & vir fecerit, capillum ejus nihilominus muliebri similem fore sed discrimen majus requiri, nempe ut* VNICUIQUE APPAREAT, *non demitti in viro capillum ad eam mensuram, ut sit aptus capiti velando muliebrem in modum &c. puto nihil clarius à me dici potuisse, & me vestigia viri docti in hoc sequi quisquis verba ejus citata mihi thes. 2. (omissa vero ab ipso in exagitatione hujusce meæ rationis) cum meis contulerit.* Resp. 1. Rectene vir doctus Bezam vel explicuerit vel emendaverit non inquisivi. Sententiam meam de loco illo Bezæ dixeram disp. text. p. 2. thes. 3. 2. Fatetur hic vir doctus (quod etiam capite præcedenti annotatum fuit) *in re tantilla* id est minima distantia capilli virilis ab

eo qui velando capiti aptus sit, non consistere discrimen honesti & inhonesti, de quo Apostolus differit: ait enim; *Id ergo si & vir fecerit capillum ejus muliebri similem fore, discrimen majus requiri, nempe* VT UNICUIQUE APPAREAT *non dimitti in viro capillum ad eam mensuram, ut sit aptus capiti velando muliebrem in modum* &c. Et tamen ipsi me propterea reprehendere libuit. 3. Ita clare sua repetit vir doctus, ut in repetitione eorum non exhibeat, id quod maxime repetitum oportebat. Nimirum *ut argumentum hoc Dematii retorqueamus.* Postea quidem se verbo *retorquendi* usum fatetur. Sed ita obscure ut vix lectori apparere possit qui thesibus ipsius aut meis destituitur, qua de re disceptetur. Quod si hoc à me admissum foret, quid non diceret? 4. Demus virum doctum in thesi de qua disceptamus vestigia mea, (de quibus videri potest disp. text. p.2. thes.5.6.) secutum, non dandum tamen quod ipse vestigia sua delere non conetur. Nam vestigia Dematii sequens, & idem cum Dematio concludens, dixit se argumentum Dematii *retorquere* velle: nunc autem (ut mox audiemus) negat se argumentum Dematii retorquere voluisse. Quia in Dematium se retorquere voluisse inficiatur. 5. Verba mea quæ exstant disp.2.th.5.& 6. si citasses integra, te argumentum Dematii nõ retorquere, sed idem cum Dematio, ex Dematio concludere, ostendissent, atque adeo retorsionem tuam quam promittebas, plane imaginariam esse. Pergit. *Ipse tamen hic duo videtur reprehendere. Primo assumentum quoddam (ut loquitur) meum, quod in sua ratiocinatione non compareat. 2. Verbum retorquendi quo usus sum, negat enim se contrarium ab eo, quod concludo dixisse. Resp. 1. Assumentum quod carpit ni fallor est quod muliebrem capillum licet pauxillulum demetatur, negavi muliebrem esse desinere. At hæc prorsus erant necessaria propter verba Bezæ, qui comam muliebrem, & comam quam ferrum non attingat, pro eodem sumit. Docui, si hæc in rigore accipiantur, non posse consistere, cum coma muliebris maneat, etiamsi eam ferrum aliquatenus attingat, Ideo verba illa non aliter quam sub cautione, quam adhibui, approbari posse. hic meus sensus fuit, satis ut arbitror perspicuus.* Resp. Repræsentasses lectori verba mea, ut cognoscere posset an duo tantum an plura reprehendã. 2. Assumentum de quo loquor non est minor ratiocinationis tuæ, (facile hoc ex disp.text.p.2.th.5. videre potuisses) sed cauda conclusionis:

& con-

& consistit in verbis *Muliebrem in modum, quod fit cum in verticem colligitur.* Hoc enim assumentum ambiguitatem habet. 3. Præterii quod laudaveris, thesi quam hic vindicare niteris quæ habet Dialogista pag. 73. 74. Quod nescio quomodo facere potueris: nam contendit ille Apostolum non loqui de coma quæ pro velamento esse possit, quod tu affirmas; ais enim: *Circumstantiæ autem docent agere Paulum de coma quæ capiti pro velamento esse* POSSIT, *ut muliebris est*, sed quæ reapse velet, hoc est de coma curata, culta, compta & ornata; quod tu nondum asseruisti; & si assereres, probare non posses, ut ostendi adversus Dialogistam, disp. text. p. 4. quem tamen juxta legem quam fixisti, quia laudasti defendere teneris. *Quod ad* retorquendi *verbum*, inquit, *attinet, licet sine jactura abesse posset, nego tamen per hoc viro docto injuriam fieri.* 1. *Quia non dixi (ut ille repetit) me in ipsum hoc retorquere, sed retorquere tantum.* 2. *Quia jure merito potest retorqueri in causam quam sibi defendendam sumsit, Poimenandri puta, is enim minimam præfectionem capillorum muliebrium damnat, & à Paulo hic damnatam asserit, ut notavimus* disp. 6. Th. 4. 10. *Cui proinde illud viri docti merito objicere possum: Quis credat Apostolum in re tantilla discrimen dedecoris & decoris posuisse?* Resp. ad primum. Si argumentum meum retorsit vir doctus (ut se facere voluisse significat, ait enim *ut argumentum hoc Dematii retorqueamus*) in me necessario retorsit, alioqui enim nulla fuerit retorsio. Tum enim saxum, telum retorqueri dicitur, cum in eum à quo missum fuerat, rejicitur aut repellitur. Notum hoc ita est ut probatione non indigeat. Ad secundum. 1. Si in causam quam defendo retorsit vir doctus argementum (quod vocat) meum, utique in me retorsit. Nisi dicere velit aliquid in causam retorqueri posse, quod in defensorem ejus non retorqueatur: aut statuat me hac in parte causam de qua loquitur, non defendere atque adeo retorsionem esse nullam. Quid ergo queritur, quod non dixerit (ut ego repeto) se in me retorquere? 2. Poimenandrum quavis occasione quove jure quave injuria protrudit, ut post enim tutus lateat. Ipse mitti debebat, tum quia indignum est virum illum satis superque thesibus viri docti vexatum amplius ludibrio mundanorum hominum objici; tum quia inglorium ejusmodi latebras quærere. Si quid ego dixi quo se me premere posse putat, hoc in me retor-

queat,

queat. Dabo operam ut aut non minori robore in virum doctum repellam, aut me sustinendo non esse, fatear. 3. Quis divinare potuisset virum doctum cum ait, *ut hoc argumentum Dematii retorqueamus*, de Poimenandro locutum, ut cujus ne meminit quidem? 4. Quæ hic habet de vel minima præfectione capillorum muliebrium à Poimenandro (ut ait) damnata, nunc prætereo. Nam id huc non pertinet, neque enim conclusio viri docti loquitur de capillo muliebri sed virili, & porro ea de re à nobis actum est, q. text. 3. Th. 4. 5. 6. 7. 8. & postea forte amplius agendum erit. hoc tantum moneo lectorem, si vir doctus approbat quod damnat Poimenander, jam delicatulas & morumq; peregrinorum studiosas invenisse fœminas, inter theologos (quod antea factum nō memini) qui contenderet tonsas ipsarum antias esse licitas, nec nō pendulos per genas cincinnos. 5. Videamus quam belle retorqueat argumentum Dematii in Poimenandrum. Sic itaq; argumentatur (nam aliud, aut melius non dabit argumentum) Si muliere secundum Dematium quę prolixissimo sit capillitio per intervalla satis longa ad digiti unius latitudinem capillum suum præfecante, non desinet capillus ejus muliebris esse, neque decoris illius quem muliebri capillitio attribuit Paulus expers erit: sequitur adversus Poimenandrum, si & vir id fecerit, quod capillus ejus nihilominus muliebrem referret, sed quod discrimen majus requiritur, nempe ut unicuique appareat, non demitti in viro capillum ad eam mensuram ut sit aptus capiti velando, muliebrem in modum, quod fit cum in verticem colligitur ut perspicue demonstravit auctor Dialogi p. 73. 74. Sed verum prius. Ergo. De minore an mea sit nunc non quæro: de consequentia an vera sit etiam non disputo: hoc tantum ajo adversus Poimenandrum nullam esse hic retorsionem. Nam nusquam docuit Poimenander capillum viri desinere esse muliebrem, qui per longa satis intervalla ad digiti unius latitudinem tondetur. Ipse vir doctus passim eum eo nomine reprehendit, quod nimium limites tonsuræ virilis coarctarit. Et tamen si credimus ipsi, retorquet argumentum meum in Poimenandrum. Quam hæc sunt *dovvvv

dinem præsecatur, referat muliebrem nec ne; aliud vero quousque sit præsecandus ne muliebrem referat: dico me ad hoc ultimum quoque respondisse iis verbis: sed discrimen majus requiritur, nempe &c. v. finem theseos nostræ tertiæ, nobis paulo ante repetitum. Quem miror viri docti oculos effugere potuisse. Resp. 1. committitur hic ignoratio elenchi. Non enim quærebatur utrum vir doctus locutus sit nec ne de mensura in coma virili observanda ne muliebrem referat: sed utrum ea de re agens & argumentum (quod vocat) meum retorquens fallaciam plurium interrogationum non commiserit ad quod hic non respondet. Quod si verba mea repræsentasset lectori integra, quod dico, per se patuisset. Omittit enim. *Committitur hic fallacia plurium interrogationum*, ut ex verbis theseos meæ initio hujus capitis repetitis constat. 2. Verba sua per &c. abbreviat: quæ si integra protulisset manifestum evasisset lectori ex pag. Dialog. 73. 74. quam citat & probat, ipsum τὸ κομᾶν quod est apud Apostolum pro coma *curata*, *culta*, *composita* & *ornata* acceptum, approbasse.

» Sequitur in eadem illa thesi mea 17. Poimenandrum invadit
» Thes. 1. 4. & 6. Et primo quidem sententiam ejus refert: Deinde
» eam impugnat, Resp. ad 1. de sententia Poimenandri supra actum
» est, videlicet ad auctoris disp. 1. de coma Thes. 2. Non repeto nunc
» quę dicta sunt: unum tantum dico, scilicet quod Poimenander
» pag. 190. indicata à viro docto, non obscure significat, primariam
» controversiam, quam sibi tractandam duxit opusculo quod Absa-
» lomi comam indigetavit, non esse de terminis quibus præcise co-
» ma coarctanda sit: sed utrum effusæ illæ, volantesque comæ, quæ
» apud multos nunc obtinent, licitæ sint nec ne? legatur ipse locus.
» Mirandum itaque est, quod vir doctus missa principali quæstione,
» in formando statu controversiæ disp. & thesi dicta, minus princi-
» palem (& quidem omissa benigniori interpretatione) arripuerit.
» Ad. 2. male impugnatur (meo judicio) Poimenander. Nam 1. Sic
» arguit vir doctus. Si valet hæc ratiocinatio judice Poimenandro,
» natura locum determinavit unde capilli oriantur: ergo ulterius
» procurrere non debent: etiam hæc valebit: natura locum deter-
» minavit, unde oriantur nervi: ergo se per totum corpus non de-
» bent diffundere, sed ibidem ubi oriuntur amputari. Sed verum

priùs,

» prius. Ergo. Minorem negabit Poimenander. Nam dicet se ali-
» ter arguere, videlicet hoc modo, capillus à Deo non est ordinatus
» ut tegat frontem, genas, collum, & humeros, sed solummodo lo-
» cum illum cui innascitur; ergo capillus ulterius (viz. notabiliter
» & ordinarie ut sententiam Bezę auctor hic mitigat disp. 4. De co-
» ma thes. 3.) procurrere non debet. Vide Poimenandrum pag. 190.
» Quod si hoc modo libitum fuisset viro docto Poimenandri argu-
» mẽtum proponere; mox patuisset simile quod adfert dissimile esse.
» Nervi enim dati sunt ut se per totum corpus diffundant, ut sen-
» sus motusque instrumenta sint. 2. Sic argumentatur: Si valet hęc
» ratiocinatio judicio Poimenandri, Natura determinavit locum un-
» de capilli oriantur: ergo ii ulterius procurrere non debent: etiam
» hæc valebit: capilli muliebres non minus quam viriles ortus sui
» certum limitem habent: ergo & illi abscindendi erunt. Sed verum
» prius. Ergo. Sed iterum negabit Poimenander minorem, & præ-
» terea consequentiam. Quoniam dicet comas muliebres pro vela-
» mine datas esse. Vide Poimen. pag. 191. Ad hæc vir doctus ait:
Thesi mea IV. V. VI. VII. *recenseo mensuram comæ virilis pro ut à Poi-
menandro, & pro ut à Borstio præscribitur. Duas hasce sententias oppo-
no, ut pote quæ discrepent ut* ναὶ καὶ ἒ. *rogo lectorem ut theses illas attente
perlegat, & videbit quod dixi vero verius esse.* Resp. Conatus est vir
doctus committere Poimenandrum cum Borstio ut ναὶ καὶ ἒ sed e-
um id non esse assecutum, videbit ut opinor lector, qui legerit
thes. 2. & 11. disp. 1. Viri docti, & præterea quæst. Text. mearum
1. p. 3. thes. 1. & 6. Nec non hujus operis cap. 1. & 2. Pergit: *Quid
ad hæc vir doctus? 1. repetit quæ dixerat ad disp. 1. Thes. 2. de contro-
versia principali & minus principali, item de benigniori interpretatione,
ad quæ ibi responsum est.* Resp. 1. Quantum valeant responsiones vi-
ri docti ex cap. 1. & 2. scripti hujus habebit lector. Pergit: 2. *Duo
absurda quæ ex argumento Poimenandri deduco, impugnat. At quid si il-
la non attulissem? An ideo Poimenander non scripsit quod scripsit? Aut
vir doctus sententiam quam improbat non approbasset?* Resp. 1. Si non
attulisset vir doctus duo illa absurda, æquius cum Poimenandro e-
gisset. Nam absurda illa ex Poimenandri sententia non fluunt. 2.
Quęstio non est an scripserit Poim. quod scripsit. sed utrum ea scri-
pserit quæ vir doctus eum scripsisse ait. 3. Quod approbavi me-

cum approbarunt Cl. collegæ mei Gisbertus Voetius & Meinardus Schotanus ὁ μακαρίτης, quos perpetuo cum de approbatione tractatus Poimenandriani loquitur vir doctus omittit. Nimirum, quia (ut opinor) credidit vix inventum iri qui existimaret sententiam Poimenandri tot tantisque absurditatibus scatere, ut ipse ait, quam doctissimi judiciosissimique illi viri approbarunt. 4. Me, (adeoque doctissimos Collegas meos, quorum jam mentionem feci) approbasse quod improbem ac proinde etiam Cl. Voetius (nam Meinardus Schotanus in vivis esse desierat) qui diatriben meam de capillis una cum Cl. Iohan. Hoornbeeck approbavit, & luculento testimonio ornavit, fortiter quidem affirmat vir doctus, sed languide probavit. Pergit: *Videamus tamen quomodo in eo se gerat. Argumentum Poimenandri sic se habet. Deus capillorum terminum delineavit circa frontem, aures, occipitium, ergo illos transire non licet. Respondeo non sequi, si Deus terminum delineavit ex quo capilli* oriuntur, *nefas esse ut illi ulterius* procurrant. *Neque enim ab* ortus *termino argumentari licet ad terminum progressus. Alioqui licebit dicere: natura locum determinavit unde oriantur nervi, ergo ii per totum corpus non debent diffundere, sed ubi oriuntur amputari. Ratio hæc tam clara est, quam solem lucere cum sudum est.* Cavillatur *tamen vir doctus & aliter arguere Poimenandrum ait, nempe hoc modo: Capillus à Deo in natura non est ordinatus ut tegat frontem, genas, collum & humeros, sed solummodo locum illum cui innascitur, ergo capillus ulterius procurrere non debet. Vide inquit Poimenandri pag. 190. Et sane agnosco illo loco hoc Poimenandri argumentum, sed addo eum multo clarius loqui quam eum loquentem facit vir doctus, nempe capillum ordinatum esse à natura ad cranium tegendum & calefaciendum,* NON *autem* ULTERIUS. *Addo etiam, illum antecedens sui argumenti p. seq. probare ex delineatis à Deo angulis circa frontem &c. ita ut manifeste procedat à termino ortus capillorum ad terminum progressus, qui dicit eum aliter arguere, nescio quid non tandem dicturus sit.* Resp. 1. Ait me vir doctus cavillari: & tamen loco à me ex lib. Poim. notato agnoscit quod affero, exstare argumentum, quod ipse omisit. 2. Occurrit ibi τὸ NON ULTERIUS. Sed jam à me responsum est (quod hic omittit, & postea loco non suo profert) id eum in modum explicandum quomodo ille sententiam Bezæ explicuit. Cum

ait;

ait: *Agit ergo de coma muliebrem referente*, quam ferrum, *ut Beza ait*, non attingit. *Videlicet* ordinarie & notabiliter. Iniquum autem est Poimenandro qui queritur sibi injuriam fieri à viro docto, benignitatem illam interpretationis denegare, quam ultro Bezæ defert. 3. Si (quod addit vir doctus) Poimenander probat antecedens argumenti sui à limitibus à Deo circa frontem &c. definitis, cur omisso Poimenandri argumento, probationem illã cum consequente connectit, atque id ceu Poimenandri argumentum lectori obtrudit? 4. Nescio quomodo sequatur: Poimenander probat ex delineatis angulis circa frontem &c. antecedens argumenti sui ergo τὸ *non ulterius* quod est in consequente præcise & (ut loquuntur) in rigore accipiendum est. 5. Aut concedit vir doctus antecedens argumenti Poimenandriani, aut negat: si concedit, ostendat ergo se improbare morem illorum qui frontem, genas, humeros, addo etiam oculos ac si inhonesta corporis membra forent (ut Polyander ὁ μακαρίτης loquitur) citra ullam necessitatem tegunt. Si negat, naturæ convenienter vivere dicat eos qui id faciunt, atque synodorum nostrarum super hac re diataxes damnet. 6. Nego Poimenandrum probare ab angulis delineatis circa frontem, antecedens argumenti sui. Anticipationem cum iis quæ statim in initio pag. 191. habentur continent. Quoniam enim judicabat Poimenander se eviciisse argumento quod exhibuimus, cujusque antecedens assumit non probat, id quod intendebat, dubium autem suboriri posse videbatur nimirum, quid ergo capillis muliebribus & virilibus faciendum esset? ait mulieres capillis caput obvolvere debere, viros vero, suos tondere, modo tonsuræ sumto ab angulis (benigniori interpretatione hic opus esse non diffiteor) delineatis circa frontem &c. Nimirum, quia, nisi id verum foret, aut censendum esset viris à natura datos esse capillos, ut iis frontem, genas, collum & humeros tegerent, quod negaverat Poimenander; aut statuendum concessos ut iis caput obvolverent, quod mulieribus proprium esse dixerat. 7. Vanum ergo est quod vir doctus dicit, mutans sententiam, (nam aliter in thesibus suis locutus est) probare Poimenandrum antecedens argumenti sui ab angulis delineatis circa frontem &c. Nec non quod inde infert: *Ita ut manifeste procedat à termino ortus ad terminum progressus, qui dicit eum a-*

liter arguere, nescio quid non tandem dicturus sit. Pergit: *Dicit porro quod proposui dissimile esse: Nervi enim, inquit dati sunt ut se per totum corpus diffundant, ut sensus motusque instrumenta sint. Resp. 1. Nego hic dissimilitudinem esse in ea re in qua sit comparatio, nempe in definito tam nervorum quam capillorum ortu, unde si argumentum duci potest, ad terminum progressus, idem utrobique valebit. At non valet respectu nervorum. Ergo nec pilorum. 2. Cur respectu pilorum non valeat rationem reddit vir doctus, atque ita minorem meam confirmat.* Resp. ad primum: Dissimilitudinem hic esse manifestum est: Nam supposito quod Poimenander ait; capillos in natura non esse ordinatos ut frontem, genas, collum, humerosque tegant: sequitur si permittantur eo usque excrescere ut frontem, genas, collum humerosque, addi potest & oculos (quod nunc quibusdam nulla cogente necessitate in more positum est) tegant, id præter ordinationem naturæ esse. At vero nervos à loco ortus sui per totum corpus diffundi ut sensus motusque instrumenta sint, quis dixerit præter ordinationem naturæ esse? Ad secundum, verum non est minorem viri docti (si loquitur de argumento suo ut à me propositum est ipso nihil contradicente) confirmari. ea enim erat, ut ex thesi mea patet: *Atqui judicio Poimenandri valet hæc ratiocinatio; natura locum determinavit unde capilli oriantur;* At ea non probatur ex eo quod dixi nervos esse datos ut sint instrumenta sensus & motus. Quod si vero loquitur de minore argumenti sui (quod opinor) paulo ante ab ipso exhibiti: videlicet; *Atqui non licebit dicere: natura locum determinavit unde oriantur nervi; ergo ii se per totum corpus non debent diffundere, sed ibidem ubi oriuntur debent amputari,* Verum est quod ait: sed id non ferit Poimenandrum, ut ex dictis liquet.

Alterum, inquit *meum argumentum erat à capillis muliebribus, qui & ipsi ortus sui certum limitem habent, unde sequetur & illos abscindendos esse, si procedet argumentum Poimenandri de virili. Et hoc negaturum Poimenandrum ait vir doctus quoniam dicet comas mulieribus pro velamine datas esse. Resp. Et hoc argumentum meum confirmat. Quod tale est. Si argumentum duci potest à definito capillorum ortu ad eorum progressum, idem valebit tam in mulieribus quam viris. ratio est quia in utrisque ortus capillorum definitus est. At non valet in mulieribus: ratio est apud Poimenandrum, quia coma pro velamine data est.* Resp. 1.

Ait

Ait vir doctus me dixisse *& hoc negaturum Poimenandrum*, sed quid istud *Hoc* sit distincte non explicat. Perinde enim quod ait sonat, ac si ego de sola consequentia argumenti ipsius locutus essem, quod verum non est. Locutus sum de minore & consequentia simul. Quod ut appareat rursus argumentum viri docti exhibebo, ut à me propositum fuerat, & recte quidem (nam ipse id diffiteri non audet) & responsionem à me datam. Argumentum itaque tale erat: *Si valet hæc ratiocinatio judicio Poimenandri: natura determinavit locum unde capilli oriantur: ergo ii ulterius procurrere non debent. etiam hæc valebit: capilli muliebres non minus quam viriles ortus sui certum limitem habent: ergo & illi abscindendi erunt. Sed verum prius. Ergo.* Responsio vero mea: *Sed iterum negabit Poimenander minorem, & præterea consequentiam.* Quod si vir doctus mea lectori repræsentare (ut debebat) voluisset, mihi hisce repetitionibus opus non fuisset. Non probo nunc recte à me negatam fuisse minorem, tum quia vir doctus eam præterit, tum quia id ex responsionibus meis ad precedens argumentum ipsius satis apertum est. 2. Procedit argumentum viri docti quod hic nobis exhibet ex falsa hypothesi: videlicet quod Poimenandri argumentum quod supra exhibitum fuit, petitum fuerit à loco ortus capillorum. Petitum fuisse à negatione finis capillorum supra ostensum, & à viro docto agnitum fuit. 3. Antecedens majoris insidiosum est. Nam citra distinctionem dicitur: *Si argumentum duci potest à definito capillorum ortu*: cum tamen Poimenander distincte de viris ageret, cum loqueretur de angulis à natura delineatis circa frontem &c. 4. Non valet consequentia ut cujus nulla est probatio. Nam rationem dare poterit Poimenander, quare, licet tam in viris quam in mulieribus ortus capillorum definitus sit, in illis tamen notabiliter à loco ortus sui procurrere non debeant; in his vero debeant. Nimirum quia viris nec dati sunt, ut iis frons, genæ, collum & humeri tegantur, nec ut iis caput obvolvatur: Mulieribus vero ut iis caput veletur. Vide Poim. pag. 190. 191.

Pergit: *Superest ut considerem id quod vir doctus Parenthesi includit. Cum enim capillos* ulterius *quam in loco cui innascuntur* procurrere non debere *ex Poimenandro attulisset, addidit de suo videlicet notabiliter & ordinarie ut sententiam Beza auctor hic mitigat disp. 4. de co-*

ma

ma theſ. 3. Innuit ergo, qui ſententiam Bezæ hoc modo mitigarim, æquum fuiſse ut idem facerem in ſententia Poimenandri. Hoc jam inveſtigemus. Et primum quidem notari velim, nihil mihi ad rem quam agebam opus fuiſse ut Bezam nominarem. Potui enim ſimpliciter ſententiam ita limitatam ut meam proponere, & argumentis quibus ibi utor munire, quæ ſuo robore conſtant, etiam omiſsa Bezæ vel alterius cujuſquam mentione. Citavi tamen eum, quia hanc ſententiam attigerat, licet imperfecte, quod in eo ſupplevi. Reſp. 1. Quod addidi de meo, exemplo viri docti feci, & id de meo eſſe ſignificavi. 2. Certe id innuo quod me innuere dicit vir doctus. 3. Si nihil ad rem de qua agebat opus erat viro docto ut Bezam nominaret, admodum liberalis fuit in Bezam, ut qui cum neceſſum non eſſet, ſententiæ ejus lucem adferre conatus eſt, & ſimul admodum benevolus, ut qui quod horridius ab ipſo dictum judicabat, mitigandum cenſuit. Imo etiam ſibi cavit, ne videlicet in Bezam incurrere putaretur. Legatur ipſa Theſis viri docti. Quod ſi ergo vir doctus tam liberalis, tam benevolus fuit in Bezam, & ſimul etiam exiſtimavit ſibi in eum incurrendum non eſſe; quid commeritus fuit Poimenander, quo minus aliquid horum à viro docto conſequeretur? 4. Quod de ARGUMENTIS ſuis ait vir doctus, per enallagen numeri dicit, niſi forte inter argumenta illa numeret quæ auctor Dialogi habet pag. 73. 74. quo nos ibidem remittit: quod tamen contra hypotheſin foret. Vide diſp. 4. Theſ. 3. 10. 5. Argumentum illud quod ibidem adducit vir doctus retorſio vocatur: cum tamen adverſarius deſit in quem retorqueatur. 6. Si Bezæ tanto viro, & qui toties opus illud ſuum ad incudem revocavit, accidere potuit, ut ſententiam aliquam ſemel imperfecte prolatam, imperfectam relinqueret, eique tamen veniam dandam immo & ſubveniendum (quod probo) judicavit vir doctus; quæ ratio fuit ipſi ut Poimenandrum ſingulis fere paginis, etiam ubi excuſatione opus non haberet, & quidem ob ſcriptum exotericum, expreſſo ipſius nomine exagitandum, ipſique IOCULAREM ἀβελτηρίαν objiciendam duxerit? Si erraſset, & quidem errorem pluſquam puerilem, (talis eſt enim quem vir doctus ei paſſim tribuit, de ſectione comæ virilis) quid ni ſuppreſſo nomine, ut viri exiſtimationi conſuleret, errorem refutare potuiſſet? 7. Si concedamus omnia hæc viro docto, an inde ſe-

sequitur, aut virum doctum sententiam Bezæ non mitigasse: aut non debuisse eum eadem æquitate uti erga Poimenandrum? Pergit: 2. *Idem ergo inquit, in Poimenandro factum oportuit. Quod nego. Bezæ enim sententiæ hanc limitationem ex æquo & bono adjicere nihil vetabat, quia is nihil uspiam dicit quod ei adversaretur: At Poimenandri sententiæ si eam adjicias, evertuntur omnia ejus fundamenta, quorum præcipua sunt, jus naturæ, & termini ab ipso Deo velut circino ac norma descripti quos transire non liceat, si quis fecerit, eum contumeliæ afficere & irridere creatorem. Quid? an hisce adjicere licet τὸ notabiliter & ordinarie? licetne ergo jus naturæ violare, terminos à Deo positos transire, Deum contumelia afficere & irridere modo id non fiat notabiliter & ordinarie? Quis Poimenandro (fingamus eum hoc malagmate uti velie) potestatem fecit jus naturæ relaxandi? terminos à Deo positos vel latum unguem resigendi?* Grandem hic quidem dicendi characterem invenio: sed tamen nihil solidi. Quod ut lector videat operam dabo. Respondeo itaque 1. Non minus dure locutum hoc loco Bezam, quam Poimenandrum, ideoque quam Bezæ præstitit æquitatem, etiam Poimenandro, exhibendam fuisse. 2. Nihil Beza uspiam dixit quod limitationi isti adversaretur: sed neque Poimenander uspiam dixit ob quod hęc ęquitas ei deneganda esset. Imo nonnihil dixit, quod juberet, ut ei hæc æquitas impenderetur. Nam ut omittam quæ pag. 34. (de quibus supra actum est) habet Poimenander, judicia nostra (nimirum Cl. Voetii & meum approbavit, libelloque suo inseruit, adeoque (nisi mente captus fuerit) quomodo quæ de limitibus capillorum virilium disputavit accipienda essent, significavit. Iudicia enim illa talia sunt, ut ipse vir doctus libert. pag. 9. sententiam Poimenandri nostræ contrariam esse scripserit, nimirum quia quod vir doctus in rigore accipit, & ad sanguinem usque premit, nos benigne (ut æquum erat, & ipse cum Beza agit) interpretati fuimus. Huc accedit quod ipse vir doctus ut probet præceptum de attondenda coma non esse juris naturę, ait Poimenandrum statuere licitum esse illud *transgredi* (quod ipsi de suo largitur vir doctus. Poimenander enim voce transgressionis nec formaliter nec æquipollenter usus est) propter *varietatem complexionum*, notata libelli Poim. pag. 337. *Propter imbecillitatem*, adscripta pag. 340. 349. 364. Vide disp. viri docti 1. thes. xi. 3. Sed

videamus quare si limitatio quam ad Bezæ sententiam adfert vir doctus, Poimenandri, si adjiciatur, fundamenta eversura sit. Fundamenta ergo sententiæ Poimenandrianæ præcipua nobis adfert. Primum illorum est *jus naturæ*. Alterum *termini ab ipso Deo descripti velut circino* &c. Quantum ad primum. Quæro ex viro docto ubi Poimenander dixerit per *jus naturæ* prohibitum, ne capillus virilis locum ortus sui excedat, ita ut limitatione quam Bezę adjiciendam sententiæ ipse censuit, mitigari nequeat? Locum illum demonstratum oportuit: qui tamen hactenus non comparuit. Quantum ad alterum: manifesta hic est petitio principii, ut ex examine geminorum viri docti argumentorum de quibus nuper actum est, cuivis patere potest. 4. Et tamen exclamat quasi res confecta esset, *Quid? An hisce adjicere licet & notabiliter & ordinarie?* cum ipse noverit, me contendere, iis quæ Poimenander dixit hæc adjici posse. 5. Sed ait *licet ne ergo jus naturæ violare?* Resp. Dixit vir doctus (quamvis falso) disp. 1. Thes. XI. statuere Poimenandrum licitum esse transgredi jus naturæ propter varietatem complexionum & imbecillitatem, & tamen hic quasi hoc alienum esset à Poimenandro, & cum Poimenandri sententia pugnaret exclamat: *licetne ergo jus naturæ violare?* Quænam hæc inconstantia? Deinde nego & pernego si *& notabiliter & ordinarie* addatur sententiæ Poimenandri ubi incommodius loqui videtur cum agit de modo tonsuræ capillorum virilium, inde sequi secundum eum violari jus naturæ. Plura non dico, quia de jure naturæ satis superque disputavimus cap. 14. & 15. 6. Addit: licetne *terminos à Deo positos transire, Deum contumelia afficere & irridere, modo id non fiat ordinarie & notabiliter?* Resp. 1. Fallacia homonomiæ est in voce *terminorum*. 2. Etiam fallacia divisionis & compositionis, hisce animadversis telum hoc imbelle sine ictu esse deprehenditur. Quod si enim *τὸ notabiliter & ordinarie* suo loco reponas, id est cum verbo *transeundi* jungas & vocem *terminorum* pro angulis à natura delineatis circa frontem, sumas, quęretur licitumne putet Poimenander quod ipse se credere licitum esse significavit, modo id ne fiat notabiliter, aut si notabiliter fiat, ne tamen id fiat ordinarie id est ne fiat citra necessitatem. Quo casu posito, Deus nullo modo contumelia afficitur aut irridetur multo minus notabiliter, aut ordinarie.

rie. 7. Addit: *Quis Poimenandro (fingamus eum hoc malagmate uti velle) potestatem fecit jus naturæ relaxandi? terminos ab ipso Deo positos vel latum unguem refigendi?* Resp. 1. Non opus est ut vir doctus hic fingat, (sibi habeat fictionem suam) jam enim ostensum est nihil à Poimenandro dictum quod limitationem de qua quæstio est respuat: imo vero esse quæ eam poscant; quod etiam patuit ex querimonia Poimenandri & porro patebit. 2. Assumit vir doctus non probat Poimenandrum sibi assumturum potestatem jus naturę relaxandi si malagmate (quod vocat) sive limitatione de qua quæstio est, uti voluerit. 3. Quos terminos intelligit vir doctus? An terminos præceptorum divinorum? An terminos ortus capillorum? An denique terminos nutritionis capillorum? Si terminos præceptorum: vim facit Poimenandro ut qui de iis non loquitur; Si terminos ortus capillorum: Non assumit sibi Poimenander si utatur hac limitatione, potestatem eos refigendi. Quia optime novit se eos refigere non posse. Si denique nutritionis capillorum, petitur rursus principium. Negabit enim Poimenander se refigere terminos nutritionis capillorum à Deo constitutos si sinantur procurrere ultra terminos ortus sui, modo id ne fiat *notabiliter*, aut si notabiliter fiat, id ne fiat *ordinarie* sed ubi necessitas poscit.

» In fine Theseos meæ 17. dixi; Borstium aggreditur vir doctus » disp. 4. Thes. 5. 6. 7. & primo quidem sententiam ejus proponit. » Deinde cum cum Poimenandro committere studet: Denique im» pugnat. Sed si quis videre velit quam recte Borstium auctor hic » cum Poimenandro committat, aut quam solide eum refutet adeat » ea quæ diximus ad disp. ejus primam de coma thes. 2. & 11. Vir » doctus vix ulla horum mentione facta, inquit, *verum age fimus* » *ita sinistre liberales de alieno (quod tamen absit) ut totum illud Poime*» *nandro largiamur, an per hoc res in vado erit? An idem sentire judica*» *bitur Borstius (quem vir doctus ægre fert à me cum Poimenandro com*» *mitti) aut etiam ipse vir doctus cum Poimenandro? minime gentium.* » *Nam illi ita notabiliter ita amplificant, ut patiantur capillos infra aures* » *descendere, cervicem tegere, scapulas* TANTUM *& tergum excludunt.* » *At Poimenander excludit ipsas aures: expressa verba sunt ad summum* » *non licere, longius descendere comam quam usque ad aures juxta cano*» *nem, concilii cujusdam* ATTONSO CAPITE, PATENTIBUS

AURIBUS. *Si sententias ità è diametro contrarias in unam urnam conflare possit*

——— *Non est quod multa loquamur,*
Nil intra est oleam, nil extra est, in nuce durum.

Resp. 1. Vt siniſtre ſit liberalis vir doctus non poſcit Poimenander, tantum petit ut quam ſponte Chriſtianam offert Bezæ charitatem & æquitatem ſibi ne neget. 2. Siniſtre hic liberalis in me & Borſtium eſt vir doctus. Ait enim nos illud & *notabiliter* ita amplificare, ut patiamur capillos infra aures deſcendere, cervicem tegere, *ſcapulas* TANTUM & *cervicem excludamus*. Me enim quod attinet, peto à viro docto ut mihi indicet locum aliquem meum ubi hoc dixerim. Non dabit, ſat ſcio, ullum. Videat lector quę à me diſputata ſunt, quæſt. text. 1. p. 1. theſ. 1. 6. & quæſt. text. 2. theſ. 2. & ſeqq. aliquot; item hujus ſcripti cap. 25. Quantum vero ad Borſtium, velim etiam mihi oſtendat, locum quo probet, ſe jure ipſe tribuere, id de quo quæſtio eſt. Adducit theſ. 5. ſententiam ejus, ſed ibi non invenio quod ipſi tribuit. Sic enim ipſe vir doctus loquitur, *At Borſtius liberalior eſt. Concedit enim ut coma tegat tempora & cervicem, quod illic tenuiſſima ſint oſſa, hic principium nervorum, qui per totum corpus ſe diffundunt & natura ſunt frigidi. ideoque de conſilio præſtantium medicorum haſce partes* VELANDAS ESSE p. 50. At nihil hic de ſcapulis & tergo TANTUM excludendo. Certe quod ſi id alibi in concione ejus reperire potuiſſet, lectori non invidiſſet, nimirum, ut diſcordiam Poimenandri & Borſtii (nam id agebat) quam optime repræſentaret. 3. Quæſtio erat num vir doctus recte Poimenandrum cum Borſtio committat nec ne; de me non agebatur, placuit tamen viro docto, nunc me binis hiſce adjicere, ſed ſiniſtra liberalitate quam tamen à ſe amoliri ſtudet. 4. Mitigatione adhibita qua vir doctus Bezæ dictum mitigavit ſententia Poimenandri cum ea quę Borſtii eſt, non video quomodo conciliari nequeat; prçſertim cum Borſtius præf. concionis ſuæ pag. 9. ita probet librum Poimenandri, ut aperte dicat, ſe nunquam cogitaſſe quod librum Poimenandri, ſive concionando ſive ſcribendo poſſit corrigere, nimirum quia (ſic loquitur) hoc eſſet Soli candelam accendere. 5. Quod ſi vir doctus plura loqui nolit, per me licet. Quod ſi tamen plura loquatur, operam dabit, ſi ita videbi-

debitur, ut adversariorum sententias quales sunt referat, ne quis Horatianum illud in ipsum retorqueat.

» Th. mea 18. erat: Secundum eorum quæ à me quęsita fuerunt cir-
» ca vocem κομᾶν, nimirum utrum notet apud Apostolum comã mo-
» re mulicbri ornare, comere & in cincinnos calamistris flectere, &
» vittis subnectere? determinat auctor hic disp. 4. Th. 9. 10. 11. & ita
» quidẽ determinat, ut celeberrimum auctorem Epistolę de coma &
» hyperaspisten ejus qui tantundem, si excipias calamistrationem, di-
» xerat, in arido destituat, & in meas partes concedat, videatur disp.
» dicta th. 9. & 10. Ad hæc vir doctus ait: *Thesi. 9. 10. consideravi significationem* κομᾶν *quoad qualitatẽ an videlicet* κόμη *significet capillos curiosius cultos, &* κομᾶν *more muliebri ornare, & comere & in cincinnos calamistris flectere. Et vittis subnectre. An vero coma tam de capillis negligenter habitis, quam curiosius cultis dicatur. Hoc ultimum quod præfert vir doctus dixi me verum arbitrari, maxime ex scopo Apostoli, & diligentiã viri docti in eo quoque considerando laudavi &c. Hic sibi lauream partam esse arbitratur vir doctus, dicit enim me auctorem Epistolæ de coma & Dialogistam in arido destituere, & in suas partes concedere.* Resp. 1. *Quasi ego vel hunc vel illum defendendum suscepcrim, ut ille Poimenandrum & Borstium. Quos revera hic in arido destituit. Nam idem sentiunt quod auctor Epistolæ & Dialogi 2. Quasi ego unquã diversarum fuerim partium, hac quidem in re, & á viro docto ab iis depulsus quod nunquam factum. 3. Multo verior mea hic est victoria, ex eo quod totam meam Thesin* x1. *silentio transmittat, in ea autem quid ex hac ejus (& mea quoque) sententia sequatur ostendo, videlicet quidquid ex S. literis vel aliunde adversus nimiam culturam capillorum, ornatum eorum ex gemmis & unionibus, crispationem, tincturam &c. hic colligitur, ab hac controversia prorsus amovendum esse. Quum de iis non agat Apostolus, eaque omnia à coma abesse possint, & in quam plurimis absint. Atque ita magna me iterum, mole rerum ad præsens negotium inutilium disputationem hanc exoneravisse. Tacet ad hæc vir doctus, atque ita Poimenandrum (ut alios mittam) qui tractatum suum pene totum hisce rebus implevit, denuo in arido destituit, &* IN MEAS PARTES CONCEDIT. Resp. 1. Nihil dixi de laurea à me parta, quamvis renitentibus auctore Epist. de coma, & hyperaspiste ejus (cujus miratur vir doctus plurima egregia inventa) quod dixi (fatente viro

docto) verum eſſ evicerim : ſed virum doctum affirmavi in arido deſtituere auctorem Epiſtolę de coma & hyperaſpiſten ejus Dialogiſtam, quod verum eſt. 2. Non eſt quod ægre ferat phraſin *in arido deſtituendi*, ut quam ab ipſo ſumſi diſp. 4. theſ. 8. 3. An vir doctus defendendos ſuſceperit nec ne, quos ſe defendendos ſuſcepiſſe negat, ex diſputationibus ejus & iis quę ſequentur lector judicabit. 4. Nemo mirabitur me in multis Poimenandrum & Borſtium defendiſſe qui noverit humanitati multo magis conſentaneum eſſe defendere fratres & ſymmiſtas, quam non meritos oppugnare. 5. Non nego me hic deferere Poimenandrum & Borſtium. quid enim æquius quam *triumphantem* (ut verbis viri docti utar) *veritatem gratulabundo animo venerari ?* 6. Si ego unquam dixiſſem in theſibus meis, quę vir doctus rejicit a loco Paulino, eo pertinere, & ſic ſilentio tranſmiſiſſem theſin ipſius XI. poſſet vir doctus hic victoriam jactare : ſed id à me nunquam factum fuit : nec fieri potuiſſe analyſis loci Paulini quam dedi abunde teſtatur. Videtur ægrè ferre quod me eorum quæ hic recte dixit pręconem non habeat ; cum tamen ipſe , etiam quæ bene à Poimenandro, Borſtio, & me dicta fuerant , reprehenderit, & exagitaverit. *Quis tulerit Gracchos* &c. 7. Taceo certe, nam non erat neceſſum me loqui, quia id de quo agebatur, nihil ad me pertinebat. 8. Tum demum probabit vir doctus me hic Poimenandrum in arido deſtituere , ubi oſtenderit eum ex voce κομᾷν *res illas* quibus totum pene dialogum (non ſine amplificatione) impleviſſe dicitur, eruere, ſed ut opinor , id nunquam faciet , verum in arido hærebit : & ſic ITERUM IN PARTES MEAS CONCEDET. 9. Neſcio quinam illi *alii* ſint quos innuit vir doctus. Aperiat ergo eorum nomina, ut videam num defendendos ſuſceperim, ut eos in arido deſtituiſſe dici poſſim. Nam juxta ipſum non deſtituitur in arido, niſi quem defendendum ſuſceperis. 10. Prætereram quod negat ſe unquam diverſarum partium fuiſſe in re de qua loquitur : quod tamen minime prætereundum fuerat. Nam diſp. 4. theſ. 3. approbat quæ habet Dialogiſta pag. 73. 74. at is ibi contendit, τὸ κομᾷν in dicto Paulino non ſignificare comam ſolutam, etiamſi vel intonſa eſſet, ſed curatam, cultam , comptam & ornatam , quia alioqui non procederet id quod voluit Paulus , comam datam eſſe mulieri pro vela-

velamento, non item viro. Hic vero negat se unquam, idem cum Dialogista hac in re sensisse. Vnde apparet aut male id negare eum, atque cum thesin illam scriberet diversarum partium fuisse, aut ardore *retorquendi* (de quo antea actum) ita abreptum fuisse, ut non videret quid approbaret, quidve PERSPICUE AUCTOREM DIALOGI DEMONSTRASSE diceret.

CAPUT XXIX.

QUerimonia injusta. Mira liberalitas. nova quæ laudanda, quæ non. citatio licentiosa, compendiaria, mutila. Plato. Aristoteles. De usu vestium muliebrium virili. De comœdis. Peccaminosum. De decoro. Aberratio. Mutilatio. Indecori gradus, eorundem exempla. Quæstio. Licentia. criminatio retusa. inconsequentia. paritas. non omnes qui in decorum peccant infames aut ignominiosi. An neglectus decori aliquis scelus esse possit. Gloriatio inanis. Citatio intempestiva. Negatio temeraria confutata. Apagoge. An licitum sit prodigere existimationem? Sylvius. An vir doctus se gesserit pro censore librorum? Pondus præteritum. clementia prætensa. Dialogistæ satyrica fictio. De ignotis.

THesi 19. mea & sequentibus agitur de tertio quod in loco Paulino vir doctus sibi considerandum duxerat; ea autem hæc est. Super est tertium de quo auctor hic disp. 1. thes. 5. se acturum promiserat, id est ἀτιμία sive dedecus. dicit autem disp. 5. De coma. 1. Vocem eam significare vel peccatum vel tantum ἀχημοσύνην sine peccato. Posteriori modo me vocem illam sumere videri. 3. concludere Dialogistam, si ἀτιμία tantum sit indecentia non esse ἁμαρτίαν; & cum eo Salmasium esse conferendum monet. 4. Me dixisse, falsum esse quod honestatem communem quis insuper habere possit qui contra legem Dei non peccet. 5. Recte censuisse Dialogistam ex voce ἀτιμίας non posse inferri peccatum. 6. De communi honestate agit. 7. De præceptis, & consiliis differit. 8. Vocem ἀτιμίας explicat. Resp. ad singula aliquid dicendum est. Quantum ergo ad primum; disp. text. p. 2. Thes. 10. Varias vocis ἀτιμίας significationes retuli ex quibus facile patere potest nihil novi auctorem hunc proferre. Ad 2. malè mentem meam assecutus est, sentio enim ego ἀτιμίαν de qua hic agit Apostolus explicite aut implicitè significare actionem peccaminosam

Adea-

» Adeatur locus ab auctore hoc indicatus. Et disp. text. p. 4. Thes. 6.
» Vt etiam quæst. text. primę p. 1. Th. 6. non procul ab initio. Ad hæc vir doctus ait: *disputatione mea quinta de voce ἀτιμίας egi. Contra quæ disserere incipit vir doctus, disp. quam adhuc in manibus habemus thes.* XIX. *& primo summa capita eorum quæ à me dicta sunt, recenset. In quibus hoc tantum moneo, distinctionem quam adduxi thes.* 1. *non satis plene ab eo repetitam, quasi dixerim. Vocem eam significare vel peccatum* tantum *vel tantum ἀχημοσύνην sine peccato, cum non* significandi, *sed* adsignificandi *vocabulo ibi ἐμφατικῶς usus sim. Hoc sensu: quod vocabulum ἀτιμίας generaliter significet ἀχημοσύνην, interdum talem quæ peccatum* adjunctum *habeat, ut Rom.* 1. 26. *interdum talem quæ peccato vacet, ut* 1. Cor. 12. 23. Resp. 1. Dum vir doctus me carpit quod loco verbi compositi usus sum simplici, id est pro *adsignificare* scripserim *significare*, mihi de suo largitur vocabulum *tantum*; quasi nimirum scripserim ipsium dixisse: *vocem eam* (nimirum *ἀτιμίας*) *significare, vel peccatum* TANTUM *vel tantum ἀχημοσύνην sine peccato.* At res aliter se habet, ut ex thesi mea apparet. Nimis ergo plene, id est cum auctario quæ à me dicta sunt recenset. 2. Vsus est verbo *adsignificandi.* sed nec ego id negavi, nec sententiam ejus corrupi, quamvis singulis quibus eam proponit syllabis usus non sum. Ajo ipsum docere: *Vocem eam* (*ἀτιμίας*) *significare vel peccatum vel* TANTUM *ἀσχημοσύνην sine peccato.* Docet autem vocula *tantum* qua utor post disjunctivam *vel*, vocem *significare* positam pro *adsignificare:* alioqui enim sufficisset dixisse, *vel ἀσχημοσύνην sine peccato.* Pergit. *Dicit vir doctus se disp. text.* p. 2. *Thes.* 10. *varias vocis significationes retulisse ex quibus facile patere posset me nihil novi proferre. Resp. Nova me allaturum non sum pollicitus, neque quam hoc in theologia laudem mereatur videre possum. Fateor virum doctum loco citato varias vocis ἀτιμίας significationes attulisse, sed licuit mihi opinor, meis non illius verbis sententiam meam proponere, cum id & brevius & clarius, & ex sola scriptura mihi facere posse viderer. Interim cum nihil novi in hac distinctione mea deprehendit, fatetur eam cum iis quæ ipse attulit convenire, atque ideo se eam pro vera habere.* Resp. 1. Liberalis ergo est vir doctus qui plus præstat quam promisit. Nam novum est *φύσιν* apud Apostolum *sexum* significare; novum est in voce *ὑμᾶς* esse *emphasin* ut ipse vir doctus agnoscit libert. pag. 140. Novum est Apostolum diffua-

dissuadere quod dissuadet non sub ratione *peccati* sed *incommodi*. 2. Non laudo novitatem qua aliquid in fide aut moribus à Deo præscriptis novatur: immo eam vehementer damno. Laudandi tamen sunt ipsorum labores, qui nova id est ab aliis non animadversa, modo vera sint adferunt, quibus verbum Dei aut melius intelligatur; aut strophæ adversariorum felicius elidantur. & certe nisi hanc novitatem laudem mereri censeat vir doctus, quid opus erat ipsum de rebus theologicis scribere. 3. Non incuso virum doctum quod sententiam suam suis verbis proposuerit, (ea de re locutus non sum) sed nec ipsum accusare me oportet, quod scripserim ipsum hic nihil novi dixisse. Id enim verum est. 4. Brevitatem & claritatem viro docto non invideo; quamvis non omnibus liceat esse tam beatis, ut brevitati claritatem socient. 5. Nescio quænam in eo laus sit, quod sic ex solis sacris literis sententiam suam (ut ait) proposuerit, cum tamen etiam aliunde petat, quæ ad explicationem loci Paulini ipsi facere videbantur. 6. Si fateor distinctionem viri docti esse veram, quid lucrabitur?

Pergit: *Majoris momenti est, quod addit; dixeram, videri virum doctum vocem ἀτιμίας accipere in secunda significatione, cum ait positam esse ἀτιμίαν pro eo quod indecorum est, atque* dedecus *accersere aptum natum. Negat me mentem suam assecutum esse. Sentio enim, inquit, ego ἀτιμίαν de qua agit Apostolus, explicite aut implicitè significare actionem peccaminosam. Adeatur locus ab auctore hoc indicatus. Resp. Loci illius tota œconomia hæc est: de voce ἀτιμίας judicandum ex opposita voce τιμῆς. Eam proprie & improprie sumi. proprie pro honore. Improprie, vel pro iis bonis quæ Arist. vocat ἐπαίνετα; Plato ἐπαινετα* (1. *ad mentem viri docti*) *in se bona, vel pro talibus quibus vel bene vel male uti possumus. Sicut ergo τιμὴ proprie vel improprie sumitur, sic etiam ἀτιμία. proprie enim significat ignominiam, dedecus, infamiam. Improprie opponitur vel τοῖς ἐπαινετοῖς* (1. *per se bonis*) *vel illis quibus vel bene vel male uti possumus* (1. *indifferentibus*) *in se se, & ex abusu tantum vel ab usu bonis vel malis. Non disputo quam appositè Platonem vel Aristotelem citaverit, sed sensum viri docti me expressisse fideliter reor, si quis dubitet, adeat ipsius textum. & cum hisce mea conferat.* Resp. 1. Cur vir doctus in citandis meis, ea ut habentur, non producit. Post verba illa *Adeatur locus ab auctore hoc indicatus*, habetur in thesi mea:

Et disp. text. p. 4. thes. 6. ut etiam quæst. text. primæ part. 1. *Thes. 6.* Recenset quidem hæc sed ita disjecta, ut qui meas theses non habet, videre vix possit quo pertineant. Quod si ego hac licentia usus fuissem quid non diceret? 2. Oeconomiã loci mei totam se adferre dicit, sed cur ipsum locum nõ attulit ut lectori liberum judicium permitteret? Ante hac audivimus ipsum quiritantem quod, cum locum quendã ipsius integrum descripsissem, nulla syllaba omissa, unicá voculam ILLIS in repetitione omiserim, quamvis ea sive abesset sive adesset ipsi non obesset aut prodesset: ipse vero satisfacere se mihi putat, œconomiam loci mei instituendo. Non ita occupatum fuisse virum doctum arbitror, quin eum integrum lectori repræsentare potuisset. Nuper ipsum longe plura tum ex aliis tum ex Iac. Laurentio describentem vidimus. 3. Oeconomia quam instituit minus plena est. Nam quod de Platone dixi, non sine formidine oppositi dixi. Verba mea erant: *sic enim sumere videtur Plato vocabulum illud, de leg.* l. 5. Ille vero quasi indubitanter dictum profert. Præterea omisit nonnulla quæ magnopere ad rem de qua agitur pertinent. Cum enim iis quorum œconomiam se instituere ait, subjecissem; me contendendum non ducere, si quispiam velit Apostolum substantivo usum esse pro adjectivo, aut nominandi casu pro accusativo cum præpositione ἐις, rationes ob quas ita affectus essem, produxi. Quarum tertia erat: *Quia sive existimes metonymiam hic esse quam dixi, sive arbitreris aut substantivum pro adjectivo, aut nominativum pro accusativo cum propositione ἐις ab Apostolo usurpatum, in sensu vix ulla erit diversitas. Quomodocunque enim sumas sensus erit, naturam docere quod τὸ κομψὸν virum* DEDECEAT, *ipsique* PROBROSUM *sit.* 4. Si non appositè Aristotelem, & Platonem citasse, vir doctus qui vel minutissima quæq; carpere solet, id non prætermisisset. Iudicabo itaq; appositè citatos, donec quid requirat ostenderit. Pergit: *Iam videamus sententiam viri docti: Hisce, inquit ita explicatis videndum restat, quomodo vox hac loco quem explicamus accipienda sit. Arbitror itaque vocem hanc improprie & metonymice esse sumendam, positamque ἀτιμίαν pro eo quod* indecorum *est, atque* dedecus *accersere aptum natum est. Quis ex hisce verbis potest colligere actionem (ut ipse loquitur)* peccaminosam? *Cur non clare dixit ἀτιμίαν hic opponi τοῖς ἐπαινετοῖς* sive ἀμεινόσιν. 1. *rebus per se bonis? Cur ei solum decorum*

sum opponit? Cur, cum ἀτιμίαν proprie significare dixisset ignominiam, dedecus, infamiam, in metonymica significatione quam amplectitur solum dedecus *posuit, duobus extremis vocabulis, tanquam scylla & charybdi tam sollicite evitatis? nimirum videbat decoro commodius opponi posse, atque ita citra actionem peccaminosam & solo decoro neglecto posse contrahi, ideo placuit ei uti hac voce ut ita in latitudine quod ajunt, ambularet. Neve iis qui coma prolixa utuntur statim ignominiam & infamiam (quæ non decori neglecti sed scelerum pœnæ sunt) inurere velle videretur. Quo ipso nostram sententiam stabilivit: suam vero illam quam hic & passim inculcat funditus evertit.* Verba quæ hic citat vir doctus pertinent ad locum cujus œconomiam ex ipso jam audivimus: videamus nunc quomodo hic se gerat. Primo itaque ait: *Quis ex hisce potest colligere per ἀτιμίαν eum intelligere actionem (ut loquitur) peccaminosam?* Resp. Omnes qui norunt nihil faciendum esse quod *indecorum* est & *dedecus accersere aptum natum est.* Quod si id non potest colligere vir doctus, agnoscat non peccare eum qui vir cum sit, in veste muliebri obambulat, imo & sic ad sacros cœtus venit, & male damnari à Theologis comœdos inter alia ob hoc quod vestibus muliebribus se spectandos præbeant. Mitto quod videatur hic fastidire vocem *peccaminosam* quamvis apud Scholasticos tritissimam. Non invideo ipsi latinitatis laudem, sufficit mihi veritas terminis etiam barbaris sed usitatis expressa. Deinde quærit *quare clarius non dixerim ἀτιμίαν hic opponi τοῖς ἐπαινετοῖς;* Resp. Quia arbitrabar, neminem fore qui id non intelligeret. Præterea rogat *cur τῇ ἀτιμίᾳ solum decorum opposuerim?* Resp. 1. Quia de solo *decoro* hic agit Apostolus. 2. Quia decorum *qua tale* est inter res per se bonas. Nisi res indifferentes, ubi ratio decori ipsis accesserit eo respectu adhuc indifferentes vocare libuerit, & ubi ratio indecori accesserit, eo etiam respectu adhuc inter indifferentes numerare, moribusque cynicis inesse peccatum negare, atque Adamitas absolvere placuerit. 3. Nescio quomodo vir doctus decorum qua tale, rebus indifferentibus annumerare possit, & ex τῶν ἐπαινετῶν censu excludat, cum decorum qua tale sit splendor quidam temperantiæ. & ipse dicat nullam rem indifferentẽ ratione decori quæ ipsi accedit esse indifferentem. Denique quęrit: *Cur cum ἀτιμίαν proprie significare dixissem* ignominiam, dedecus, infamiam *in metonymica*

mica ejus significatione, quam amplectar, solum dedecus *posuerim, duobus extremis vocabulis, tanquam scylla & charybdi evitatis?* Resp. 1. Extra oleas vagatur hic vir doctus, & à quæstione proposita declinat. Quærebatur enim utrum recte dixerim: me sensisse ἀτιμίαν de qua hic loquitur Apostolus explicite aut implicite significare actionem peccaminosam. At quid hęc quæ vir doctus magno cum strepitu verborum mihi objicit ad quęstionem illam? 2. Ait libert. pag. 65. se non teneri ad interrogata sed ad argumenta respondere; idem ergo & hic mihi dicere licet. nisi hanc interrogationem probet continere argumentum quo ostendat, me loco de quo quęstio est non sensisse ἀτιμίαν de qua loquitur Apostolus, explicite aut implicite significare actionem peccaminosam. At nunquam id faciet. 3. In metonymica significatione, posui *quod indecorum est atque dedecus accersere aptum natum est.* Mutilat ergo verba mea. 4. Voce *dedecoris* usus sum ut generaliori. Quia licet omne indecorum aptum natum sit accersere dedecus aliquod, non omne tamen aptum natum est accersere *ignominiam & infamiam.* Sunt enim indecori gradus. Verbi gratia indecorum est ut consul aut alius quis in re publica primarius, non habito respectu conditionis suæ, omnẽ gravitatem tali dignitati convenientem, in conversatione politica, non præstet. Apta nata quidem est res illa ut ipsi dedecus, id est ut vir doctus alibi loquitur quod detrimentum aliquod existimationis creet, attamen semper apta nata non est, ut ei *ignominiam* aut *infamiam* accersat. Indecorum est ut consul aut alius quis in republica primarius, popinas cum scurris frequentet, aut etiam in foro aut curia in media hominum corona, caligas solvat, corpus denudet & alvum (precor ne lector hisce offendatur, nam extorquet ejusmodi exempla viri docti importunitas) exoneret, etiam cum nulla necessitas ipsum urget; sed hæc ita indecora sunt, ut in se apta nata sint, ut non tantum qualecunque dedecus, id est aliquod detrimentum existimationis, sed etiam *ignominiam & infamiam*, accersant. Habet ergo vir doctus causam cur dedecoris, non autem ignominiæ & infamię meminerim. 5. Quandoquidem vir doctus me tam liberaliter rogat, cur hoc, cur illud fecerim, aut non fecerim: etiã ipsum interrogabo, & quidẽ tali de re quæ ab iis quæ hic quęrit aliena non est: nimirum cur, cum noverit ἀτιμίαν significare

care *ignominiam, dedecus, infamiam*, dicatque disp. 3. thes. 8. posse Apostolum quod hic dissuadet sub ratione incommodi, nimirum existimationis (ut ex precedentibus liquet) dissuadere, non explicuerit an illud incommodum de quo loquitur Apostolus sit incommodum *ignominiæ*, aut *infamiæ*, sed in generali voce *incommodi* hæserit? Pergit: *Nimirum videbat dedecus commodius decoro opponi posse, atque ita citra actionem peccaminosam & solo decoro neglecto posse contrahi, ideo placuit ei uti hac voce ut in latitudine (quod ajunt) ambularet.* Resp. 1. Si oppositio à me facta est: ea fuit inter decorum & indecorum & quod dedecus accersere aptum natum est. Mea ne refingat vir doctus pro solita sua liberalitate: *non amo* (ut verbis ipsius utar) *nimirum liberales.* 2. Cur in iis quæ dico solius *dedecoris* mentionem faciam jam rationem dedi, quam lector (nullus dubito) æquus approbabit. 3. Commodius ergo vir doctus censuit *incommodum decoro* (nam de decoro hic loqui Apostolum passim inculcat) opponi: *ut in latitudine (quod ajunt) ambularet.* 4. Quis ex iis quæ dico potest colligere me docere, *citra actionem peccaminosam* dedecus de quo loquor ex indecoro contrahi posse? Nemo ut opinor nisi vir doctus. At inquit *contrahetur ex solo decoro neglecto.* Resp. Ego hic consequentiam non video. Nam aut vult, *neglectum decori* de quo loquitur Apostolus non censendum peccaminosum. Quod falsum ut liquet ex tota argumentatione Apostoli, nullo theologorum quantum mihi quidem constat id negante. Aut *neglectum* non posse dici actionem: Sed nec in eo quid solidi est. Nam juxta Scholasticos etiam *actiones* vocantur quæ non sunt proprie actiones, qualia sunt dormire, otiari &c. 5. Addit: *Neve iis qui coma prolixa utuntur, statim ignominiam & infamiam (quæ non decori neglecti, sed scelerum pœnæ sunt) inurere velle videretur. Quo ipso nostram sententiam stabilivit, suam vero illam quam hic & passim inculcat, funditus evertit.* Resp. 1. Id si ita est ut vir doctus ait, jam pares sumus: Nam & ipse ni fallor eam ob causam voce *incommodi* non *ignominiæ* aut *infamiæ* usus est ne censeretur inurere velle *ignominiam & infamiam* iis qui dissuasionem Apostoli non admittebant. 2. Concedo rem ita se habere prout vir doctus ait. Nam non existimo omnes pro infamibus aut ignominiosis habendos qui promittunt comas; licet graviter peccare sentiam, eos qui

cum norint, hac in parte se peccare, tamen adversus conscientiam & admonitiones ministrorum (à synodis enim iis injunctum est ut qua publice qua privatim luxum illum corripiant) animum obfirmant. 3. Male distinguit vir doctus inter neglectum decori & scelera: Quasi nullus neglectus decori scelus esse possit. Quod falsum. Dari enim potest, neglectus decori qui scelus sit. Vt si quis in medio foro, aut conventu Ecclesiastico, congrediatur vel cum legitima uxore: aut nudus inter homines obambulet. Qui hæc inter scelera non reputat, nescio quid ei sint scelera. 4. Frustra jactat vir doctus me sententiam suam stabilire meam vero funditus evertere: Nam id ex iis quæ hactenus examinata sunt, nullomodo patuit: nec id unquam ratiocinando assequetur etiamsi omnes nervos intenderet. Canat ergo sibi victoriam, & sese oblectet, quamdiu volet, inani hoc triumpho; plane certus sum, nullos qui cucurbitas non lippiunt, viro docto applausuros. Pergit. *De disp. text.* p. 4. *th.* 6. *ad quam me remittit mox videbitur. Quæst. text.* 1. *p.* 1. *thes.* 6. *Neque ita loquitur ut hic est loquutus, videlicet ἀτιμίαν de qua agit Apostolus explicite aut implicite significare actionem peccaminosam sed eam aut explicite aut implicite notare id quod est inhonestum aut probrosum. Quorum vocabulorum generalitatem nemo non videt. Nam quod postea neget, hic significari posse quod est moraliter indifferens, quia Apostolus eo velut medio termino utitur &c. Nullius momenti est. Neque enim in dehortando semper medium terminum petimus ab eo quod quod (ut auctor loquitur) peccaminosum, sed & eo quod detrimentosum est. Atque hic, id ipsum fieri suo loco demonstrabitur.* Resp. 1. Loca hæc antea citata esse oportuit, ut nuper monui. 2. Locus quem citat ex quæst. Text. mearum 1. Thes. 6. ita sonat, *Deinde quia ἡ ἀτιμία apud Apostolum notat aut explicite aut implicite id, quod est inhonestum & probrosum. Patet hoc, quia si hoc non notat, significabit aliquid quod moraliter bonum aut saltem indifferens est. At hoc falsissimum est. Liquet hoc ex argumentatione Apostoli. Sic enim arguit: si natura docet viro ἀτιμίαν esse, comatum esse, mulieri δόξαν, comatam esse sequitur non virum sed fœminam orantem velatam esse oportere. At verum prius. Ergo. Quomodo autem assequeretur Apostolus id quod intendit, si medio termino à re in se bona aut indifferenti desumto uteretur?* Quando ergo ait me hoc loco non esse locutum pro ut

thesi

thesi mea 19. quam impugnat loquor, perinde facit ac si Solem ipso meridie lucere negaret. Si enim ἡ ἀτιμία loco quē recitavi explicite aut implicite dicitur notare id quod est *inhonestum* aut *probrosum*: si ἡ ἀτιμία ibidem asseritur non significare id quod est moraliter *bonum*, aut *indifferens*: si denique eodem loco dicitur Apostolum, ut evincat non virum sed fœminam orantem velatam esse OPORTERE, sumere medium terminum ἀπὸ τῆς ἀτιμίας: neque id posse assequi si inde argueret velut à re in se bona aut indifferenti; utique ibidem dicitur ἡ ἀτιμία significare actionem explicite aut implicitè *peccaminosam*. Vidisset hoc lector si totum locum vir doctus attulisset. Suffecit ei particulam ejus afferre reliquis suppressis: sed an id probandum sit, alii judicent. 3. Quod ait de verborum meorum quæ citat *generalitate*, subterfugium est. Nā etiamsi τὸ quod inhonestum & probrosum est, significare posset aliud (de quo nunc non disputo) quam id quod peccaminosum est: hic tamen non posse, tum scopus meus (precor lectorem cui Diatribe mea est ad manum totam illam thesin perlegat) tum etiam quæ ibidem sequuntur, manifeste docent. 4. Non quæritur nunc utrum bene an male probaverim loco jam allato, τὴν ἀτιμίαν significare actionem explicite aut implicite peccaminosam: sed utrum dixerim vocem illam significare aut explicite aut implicitè actionem peccaminosam: quod mihi concedit hic vir doctus contra hypothesin suam: fatetur enim me negasse voce illa significari quod *moraliter* est indifferens, (addo ego, aut quod est in se bonum est; nam id etiam loco adducto exstat) adeoque asseruisse significari quod moraliter malum, id est peccaminosum est. 5. Si id nullius momenti est quod à me dictum fuit alicujus vero quod à viro docto hic affertur; non probaverit Apostolus vers. 14. 15. debere viros Corinthios in cœtibus publicis aperto, fœminas velato capite orare aut prophetare; quod nulli interpretum (quantum mihi quidem constat) hactenus in mentem venit. Præterea licitum fuerit Corinthiis si dissuasit Apostolus, quod dissuadet, non sub ratione peccati, sed *incommodi* tantum, nimirum *existimationis* (vide disp. viri doct. 3. thes. 8.) prodigere existimationem suam. Quod falsum. Nam (ut utar verbis Sylvii quæ habet ad 2. 2. q. 66. art. 1. Concl. 7.) *non dubium est esse peccatum se ipsum absque causa infamare. Cum*

re. Cum enim prodigere pecuniam, triticum, vinum, & alia hujusmodi, de quibus certum est, quod vero & proprie cadant sub dominium nostrum, sit peccatum: multo magis peccatum est famam suam prodigere, quæ est bonum præstantius.

„ Sequitur in Thesi mea: Ad. 3. dicit Dialogista dari indecorum
„ quod peccat contra decorum & honestatem communem, quo ta-
„ men peccatum contra legem aut contra naturam non committi-
„ tur: Sed non video quomodo id probet. Immo si dictis illius fides
„ sit adhibenda perdidere oleum & operam multi præstantissimo-
„ rum Theologorum qui qua peculiaribus tractatibus, qua explica-
„ tionibus in præceptum Decalogi 7. & Zeph. 1. v. 8. 1. Timot. 3. 9.
„ aliaque loca hisce similia, docent honestatem esse servandam, nec
„ eam citra necessitatem sine peccato negligi posse, atque adeo do-
„ cent sibi laxam hanc Dialogistę Theologiam casuisticam displice-
„ re. Verba ejus (quæ vir doctus parce satis adduxit) integre prolata
„ pag. 100. sic sonant. Genus est indecori, quod tantum peccat con-
„ tra honestatē communē, ubi aliquid fit quod non decet, aut quod
„ ridiculum est, aut minus ei qui facit honestum & conveniens. Hic
„ contra decorum peccat, quia contra morem facit qui est regula de-
„ cori. Qui ἐπ' ἀριστερὰ ἀναβάλλεται: ut Græci dicunt, quando omnes ἐπὶ
„ δεξιὰ ἀναβάλλονται peccatum nullum committit, sed inepte & indece-
„ ter se vestit. Si quis in pileo cornuum instar adfixum præferret, aut
„ asininas aures, aut pinnas, ut pingitur Mercurius, aut dependu-
„ lam à tergo caudam vulpinam aut felinam gestaret, aut περιτεχνέ-
„ λιον indueret, partes anteriores retro rejiciendo, aut posteriores an-
„ te ponendo ridiculus esset. An alio genere censendus rem parum
„ decentem committere, qui unus inter capillatos omnes, detonsus
„ incedit, & inter detonsos; capillatus? Præterea si verum est quod
„ ait, videlicet peccari posse contra honestatem communem, &
„ quidem per summam animi levitatem (quid enim aliud sonant
„ verba ejus? Si quis in pileo cornuum instar adfixum præfer-
„ ret, aut asininas aures, aut pinnas, ut pingitur Mercurius, aut
„ dependulam à tergo caudam vulpinam aut felinam gestaret?)
„ *ita ut contra legem Dei non peccetur*: frustra erunt quæ scriptu-
„ ræ tradunt de modestia Christiana. Alia mens Bucero fuit quam
„ Dialogistæ. Ille enim in Zeph. 1. vers. 8. Verba: Et de omnibus

pere-

» peregrino cultu utentibus, hæc habet. Quo reliquos aulicos intel-
» lexisse creditur. Qui enim in domibus regum sunt, ut mollibus
» ita etiam exoticis vestiuntur. Sic enim venditare se stulto vulgo
» quam virtutibus malunt. Hoc malo jam passim laboratur: nus-
» quam tamen magis quam in Gallia: ita ut ipsi pridem hoc vitii de
» se notarint pictura quadam eleganti in arce Blesensi, ubi sarcina-
» tor Hispano, Italo, Germano, suas cuique vestes suo more paratas,
» profert, ut pote quorum vestitus figuram tanquam certam & per-
» petuam antea noverit. Gallo autem pannum & forcipem porri-
» git, ut ipse sibi vestem, quali velit forma paret, quandoquidem in-
» dies vestium formas ita solet mutare, ut sciri non possit quanam fi-
» gura vestem velit. Sed proh dolor! Germani hac in re ita Gallos
» imitari cœperunt, ut ferme nescias utri molliores sint. Verum ut
» hęc vanitas quoslibet dedeceat præsertim viros (pueris enim &
» mulieribus, pueris adeo non multum cordatioribus, hic nonnihil
» indultum semper est) in Christianis certe nulla est rationis (lege
» ratione) ferenda. Et postea: Quidquid aut novitatem resipit, &
» luxum aperte testatur, quamlibet publico hominum usu commen-
» detur abhorrebit ab eo animus Christianus. Quin & à frugi ho-
» minum usu in istis semper aliquid detrahere mallet, propterea
» quod caro citius quam caveri possit, soleat usu istarum rerum in-
» solescere. Vide quoque Taffinum lib. 2. de l'amendement de vie
» cap. 13. Immo vero ut alias (lege alios) nunc omittam, ipsum vi-
» rum doctum audiamus. Is enim disp. 6. de coma Thes. 15. ait:
» Concludimus: ut vestium nulla certa forma præscripta est, ita nec
» capillorum. v. Polyand. p. 41. in utrisque tamen lex humilitatis,
» modestiæ, prudentiæ spiritualis, & ædificationis proximi observan-
» da est, quam qui transgreditur, non leviter Deo displicere, consci-
» entiam lędere, fratrem infirmum, pro quo Christus mortuus est, of-
» fendere est judicādus. Certe si ita est ut ait, id est si in vestitum lex
» humilitatis, modestię, prudentię spiritualis, & ædificationis proxi-
» mi est observanda: si qui legem hanc transgreditur, non leviter
» Deo displicet, conscientiamque lædit, & fratrem infirmum offen-
» dit, pessime Dialogista quę paulo ante prolata sunt protulit. Nam
» non video quomodo vir doctus aut quilibet alius, ubi fit quod
» Dialogista commemorat, legem humilitatis, modestię, prudentię

„ ſpiritualis, ſervatam invenire poſſit. Miror itaque virum doctum
„ hæc ſine cenſura prætermiſiſſe, cum tamen aliis non parcat. Ad-
„ hæc non tantum dicit Dialogiſta dari indecorum quod peccat
„ contra decorum aut honeſtatem communem, quo tamen pecca-
„ tum contra legem aut contra naturam non committitur: verum
„ ulterius progreditur, & inquit pag. 102. Videri non eſſe aliam in-
„ decentiam quæ peccat contra legem & naturam quam quæ ſexus
„ confundit. Verba ipſius ſunt. Et præterea eſt quædam indecen-
„ tia quæ peccat contra legem Dei & contra ipſam naturam. CUR.
„ Quænam illa eſt? CÆ. An alia videatur præterea (lege præter) il-
„ lam quæ ſexus confundit, quos natura ipſa diſcriminavit? Præte-
„ rit tamen hoc vir doctus. At habent hic Theologi, habent hic E-
„ thici paradoxum, quo, ſi libet, ſe exerceant. Denique ait Dialogi-
„ ſta non poſſe conſequi quod volunt pſici (lege pſili) (quos vocat)
„ prolixum capillum in ſe nunquam vitio caruiſſe, ſi ſtatuatur ſolam
„ ἀτιμίαν indecentiam eſſe ἐν τῷ κομᾶν non ἀμαρτίαν. Sed aut non intel-
„ lexit aut pervertit eorum quos ſibi adverſarios delegit ſententiam.
„ Quis enim illorum Apoſtolum ſommavit, loqui de tali ἀτιμίᾳ quæ
„ rationem peccati non habeat? Statuunt enim Apoſtolum agere
„ de tali ἀτιμίαν (lege ἀτιμίᾳ) quæ opponitur τῷ φύσει naturali, & vel-
„ le quando doquiquem (lege quandoquidem) viro ἀτιμία eſt τὸ κομᾶν
„ id eſt pugnat cum decoro & honeſtate naturali, viro nefas eſſe, co-
„ matum eſſe. Paucula ad hæc reſpondet vir doctus ut appareat eum
Dialogiſtam hic in arido deſtituere & mea quæ contra ipſum ad-
fero ſilentio ſuo approbare. Qualia tamen illa ſint videamus.
Ait Ergo: *Theſ.* 2. *Quid ex ſententia viri docti concludat auctor dialo-
gi commemoro.* 3. *Quid ei reponat vir doctus.* 4. *uſque ad undecimam
quid nobis videatur. Ad primum theſi ſua* XIX. *reliqua tota, nihil aliud
reprehendit, quam quod non omnia quæ de hac re dixit Dialogiſta, quem
vocat referam, atque etiam cenſuram in ea ſtringam, cum aliis ut ait non
parcam. Reſp.* 1. *Quod ad rem ipſam attinet, bene habet hæc theſis.
Nihil quippe falſi in ea invenit vir doctus. Concluſionem quam auctor
dialogi nexuit, recte & ex vero propoſui. Hoc mihi ſufficit, hoc enim u-
nicum volui.* 2. *Pro cenſore librorum me non gero, neque poteſt mihi
vir doctus id muneris imponere, tantum rerum ipſarum pondera conſector,
ut veritatem pro ut captus eſt meus, Deo opitulante, eruam.* 3. *Quod*

me

me aliis non parcere ait, nollem dictum. Nihil enim adfero (sciens quidem) quod non ad eum quem dixi scopum conferat. Nucleum quæro, relinquo putamina. rosam ubicunque locorum crescat decerpo; spinas omitto. Vbi enim ego exagitavi odiosas illas comparationes, quibus qui non tondentur ad quorundam placitum conferuntur leonibus, ursis, satyris, latronibus, ipsi diabolo? Atqui hæc in libris excusis utramque pagniam faciunt, nonnulla autem quæ in pulpitis sonant, etiam atrociora sunt. Verum de hisce satis, neque afferuntur ut quemquam culpem, sed ut memet excusem. Resp. 1. Non tantum reprehendo virum doctum ob id quod hic exhibet, verum etiam absurdas Dialogistæ sententias commemoro & refuto, quia id res de qua agebatur postulabat. Nihil autem hic ad ea reponit vir doctus. Postea quidem conatur aliquid respondere sed id quale sit suo loco videbitur. 2. Male habet hæc thesis. Quia non exhibet omne verum quod exhiberi debebat, præsertim ab eo qui sibi monendum duxit populum Christianum, cujus non magis intererat scire sphalmata Poimenandri si qua essent, quam Dialogistæ. Vide libert. pag. 12. 3. Quod non gesserit se vir doctus pro censore librorum, verum est, si loquitur de Dialogista, ut cujus mordaces sarcasmos, & absurda plæraque ne attigit quidem: si vero loquitur de Poimenandro, Borstio & me nescio quomodo id negare possit. Qui enim legerit disp. ejus de coma vix aliud videbit quam Poimenandrum, Borstium, me censura notatum. 4. Ego viro docto non imposui ut se pro censore librorum (ut loquitur) gereret, per me licuisset ipsi ab omni censura abstinere. 5. Consectatur vir doctus rerum ipsarum ponderа: & tamen intactum reliquit determinationem illam Cl. Salmasii de causa præcepti Apostolici Ep. de coma p. 662. Vbi ait: Græcis præceptum fuisse, ut quoniam caput communiter tegere consuessent, in Ecclesia detegere deberent. Quo tamen posito evertitur quidquid dixit disp. 3. thes. 11. de more apud Corinthios usitato, quo nitatur præceptum Apostolicum. Item præterit absurda illa quæ jam ex Dialogista allata sunt. 5. Virum doctum aliis non peperciisse, theses ipsius abunde testantur. Idem docet Diatribe mea, & porro constabit ex hoc scripto, ut ex quo liquebit virum doctum non semel Poimenandro, Borstio, mihi attribuisse quæ nusquam invenit, & negasse è me dicta, quę tamen dicta fuerunt.

Item ad sanguinem quædam à Poimenandro prolata pressisse, quæ commoda interpretatione leniri poterant. 6. De nucleis quęsitis, de putaminibus relictis, de rosis decerptis, de spinis omissis non est quod multum glorietur vir doctus, ut ex dictis liquet. 7. Quod adfert de omissis à se *odiosis comparationibus* quæ in excusis libris *utramque paginam faciant*; & amplificationem continet, & parvi ponderis est. Nam 1. non puto exstare ejusmodi libros in quibus comparationes illæ *utramque paginam* faciant. 2. graviora his attulit, quale est Ex. g. quod dixit, Poimenandrum statuere, *virum comam submittere esse contra legem naturæ, contra supra vel præter naturalem usum quemadmodum scelera illa quæ recensentur Rom.* 1. 26. 27. Vide disp. ejus 1. thes. 6. Nec non secundum adversarios suos Poim. & Borst. disp. eadem thes. XI. *licitum esse* TRANSGREDI *præceptum de attondenda coma* quæ tamen vir doctus in libris excusis *adversariorum* non invenit. 3. Forte ii qui hisce comparationibus usi fuerunt, judicabunt se viro docto nihil quippiam debere quod eas omiserit; Nam fieri potest ut ipsi judicent, esse quidem odiosas judicio illorum qui aut ipsi sylvescere comas suas sinunt, aut si id non faciant, aliter tamen de iis quam synodi nostrates judicant: attamen appositas, ut nimirum qui vanitate illa capillari tenentur, aliquando ad se redeant. 4. Quod si forte contigerit, hic peccatum esse, (de quo nunc non disputo) magni scilicet beneficii loco habendum erit, quod vir doctus, ea omiserit, quæ *excusis libris* amarulente exagitata sunt. 5. Tutissimum fuit viro docto comparationes illas omittere. Nam licet odiosæ forte sint, paulo tamen minus odiosę sunt, quam satyrica illa, & factiosis nominibus plena fictio, qua Dialogista fere dimidium Dialogi sui implevit, cujus tamen vir doctus miratur multa egregia inventa, nec verbo indicat, num etiam inter ea fictionem illam numeret. 8. Atrociora illa quæ in pulpitis sonare ait, mihi ignota sunt, quod si promere ea ipsi libeat forte illi quos hic sugillat, aut ostendent ficta pro veris viro docto narrata esse, aut atrociora illa (quæ vocat) defendent.

CAPVT

CAPUT XXX.

Calvinus. Danæus. Beza. Hyperius. Perkinsus. an neglectus honestatis communis in casu necessitatis, neglectum legis naturæ & morum ponat? Præcepta absoluta vel hypothetica. Oratio, auditio verbi, conservatio membrorum vitæ & fortunarum. De obligatione legis ceremonialis cum vigeret. Mutatio verborum. Ignoratio elenchi. Honestas in materia indifferenti qua talis legis est. Argumentum phantasticum. Forma comæ externa. Luxus, pompa, lascivia Abbreviatio cauta. Dialogistæ sententia de honestate communi damnata à Calvino, Beza, Hyperio & viro docto. Peccatum per se. Crambe. Homicidium injustum quale peccatum? Victoria imaginaria. De voce sola. Omissio. ignoratio elenchi. An omnes voces varias significationes habeant. Victoria imaginaria. Contradictio. Scholastici. absurda. Res juris civilis viro docto quales. effugium interceptum. Contradictio. exemplum impertinens. peccatum per se. Omissio honestatis naturalis quale peccatum? Conclusio ex concessis. De rebus præcepti. Absurdum. contradictio. Petitio principii. Persuasio inanis. præteritio. assensus. præteritio. omissa suppleta. Dialogista secum male à viro docto commissus. absurda. spes evanida. res mediæ & honestatis naturalis. pugna viri docti & Dialogistæ. sententia synodorum nostratium de capillis. Quidam *ignoti.*

» ACcedo ad Thesin meam 20. quę hęc erat. Ad 4. fateor
» me dixisse, falsum esse quod quispiam honestatem com-
» munem possit insuper habere, id est nulla urgente neces-
» sitate negligere, qui tamen contra legem Dei non peccet: quia ni-
» titur (adde, id) scripturarum testimoniis, & rationibus & summo-
» rum (*omissum*, Theologorum) suffragiis. Calvinus ad 1. Pet. 3.
» v. 3. ita ait. Duo in vestitu spectanda sunt, commoditas & deco-
» rum. Partes enim decori sunt mediocritas & modestia. Proinde si
» lascive pexa & comta incedit mulier, si luxum & pompam osten-
» dat excusari non potest ejus vanitas. Danæus ad 1. Timot. 2. in-
» quit. Honestas decorum proprie est ut non tantum nostra cum
» proximo commercia regantur, rectis & æquis legibus, sed etiam
» omnis honestaque (lege honesta modestaque) conversatio inter
» nos locum habeat, etiam in rebus medius & quas indifferentes vo-
» cant, veluti in communi vestitu, victu, officio, & quatenus pro quo-
» que hominum genere & vocatione distinctio quædam officiorum
» est adhibenda. Hęc εὐταξία ordo & politica honestas magnam ędifi-

„ cationem habet, & veræ pietatis quodammodo cuſtos eſt. Vide
„ eundem Ethic. Chriſt. lib. 3. c. 4. Beza ad 1. Tim. 2. v. 2. Et hone-
„ ſtate τῇ σεμνότητι. Complectitur hoc nomen omne officii genus,
„ quod vigere in mutuis hominum commerciis debet, ut nihil tur-
„ piter aut indecore, nihil denique flagitioſe fiat. Hyperius ad Phil.
„ 4. 8. Quæcunque honeſta, Græce eſt σεμνὰ alias vertunt, caſta, ve-
„ nuſta, ſevera, gravia, honeſta. Etiam σεμνὰ aliquando dicuntur lo-
„ ca ſacrata & propter religionem inacceſſa. Itaque late patet hæc
„ honeſtas, decorum, gravitas, in omnibus actionibus, in dictis, in
„ geſtibus, in moribus, in omni corporis habitu, in omni ratione ci-
„ vilis convictus & conſuetudinis, ut quantum fieri poteſt, nihil in-
„ verecunde, leviter, indecore, inepte per nos actum dici queat. Vide
„ quoq; (ut alios præteream) Perkinſum ad præc. Decalogi ſeptimum,
„ & caſuum conſcientiæ l. 3. c. 4. in quæſtionibus quæ appetitus no-
„ ſtri moderationem in veſtium uſu reſpiciunt. Adhæc vir doctus ait.

Quid reſpondeat ad conſequentiam Dialogiſtæ vir doctus, ejuſdem verbis recenſui. Non dicit vir doctus me perperam ſuam reſponſionem propoſuiſſe, itaque theſis mea ſalva eſt. Nihil enim in ea aliud agitur. Nec erat quod eam hic conaretur defendere quod in ſequentibus commodius fiet. Hic enim tantum ſtatus controverſiæ ponitur. Duo tamen hic maxime conſideranda. Primo quod ad verba illa ſua, non poſſe quempiam honeſtatem communem inſuper habere, qui tamen contra legem Dei non peccet, τὸ inſuper habere explicet, per nulla urgente neceſſitate negligere, qua reſtrictione admiſſa, ſequetur, licere honeſtatem communem negligere urgente aliqua neceſſitate, cumque honeſtatem hanc ejus quæ legis ſunt alliget, ſequetur legem Dei, (& quidem naturæ & morum, de illa enim agitur) urgente neceſſitate poſſe negligi. Quo nihil periculoſius dici poteſt. Alterum eſt quod in iis quæ citat ex Danæo honeſtas etiam locum habere dicitur IN REBUS MEDIIS *& quas* INDIFFERENTES *vocant, velut in communi veſtitu, victu &c. Hyperius eandem ponit etiam in locis ſacratis, item geſtibus & omni corporis habitu &c. Quæ cum applicat vir doctus ad ſententiam ſuam de coma manifeſto in noſtras partes tranſit. Si enim honeſtas etiam locum habet in mediis & indifferentibus, non ergo ſolum verſatur circa illa quæ ſunt legis & quidem naturalis. Si veſtes, ſi geſtus, ſi totius corporis habitum (licet in eis reperiatur honeſtas) tamen res medias & indifferentes eſſe concedat, idem quoque*

neceſſe eſt concedat in coma, videlicet formam ejus (ut veſtium &c.) eſſe rem indifferentem, licet in ea aut & in illis luxus, pompa, laſcivia &c. quæ ſola auctores illi abominantur, eſſe poſſit. Non eſt ergo hic (quod Pomeranndro videbatur) peccatum per ſe contra naturam &c. Quale inter res indifferentes recenſeri aut urgente aliqua neceſſitate excuſari nemo ſanus dixerit, ſed ex accidenti. 1. *ratione circumſtantiarum hic peccari poteſt, quæ conſtans noſtra ſententia eſt.* v. *concl. diſp. noſtra ult. Sed videamus ſequentia.* Reſp. Quæ de theſi ſua ſalva; & defenſione mea dicit frivola ſunt. Nam ego non negavi theſin ejus veram eſſe: nec mihi vitio verti poteſt, ſi ubi ſe primum occaſio offert quæ dixi adverſus Dialogiſtam defendam, nimirum ne lectoris minus ſeduli, animus præoccupetur. Miſſa itaque hæc facio, & confero me ad

DUO ILLA MAXIME NOTANDA, quæ vir doctus hic oſtentat. Primum illorum eſt ex meis ſequi, legem Dei (& quidem naturæ & morum) urgente neceſſitate poſſe negligi, quo nihil periculoſius dici poſſit. Reſp. 1. At quomodo probat id vir doctus? Hoc ſcilicet ſyllogiſmo; alium enim aut meliorem verba ejus non dabunt. Qui dicit licitum eſſe honeſtatem communem negligere urgente aliqua neceſſitate, ex ejus dictis ſequitur legem Dei (& quidem naturæ & morum) urgente neceſſitate negligi poſſe. Atqui adverſarius dicit licitum eſſe honeſtatem communem negligere urgente neceſſitate aliqua. Ergo Reſp. Neg. Major. Confirmat eam vir doctus hoc modo. Qui honeſtatem hanc eis quæ legis ſunt alligat: is cum dicit licitum eſſe honeſtatem hanc negligere urgente neceſſitate aliqua, ſtatuit id ex quo ſequitur legem Dei (& quidem naturæ & morum) urgente neceſſitate poſſe negligi. Atqui adverſarius honeſtatem hanc eis quæ legis ſunt alligat. Ergo. Reſp. 1. Solutio petenda eſt ex iis quæ de præceptis abſolutis & hypotheticis à me dicta ſunt. 2. Si valet hic ſyllogiſmus adverſum me judicio viri docti, ſimili ratione concludere poterit adverſus quoſvis Theologos, eos ſtatuere, poſſe negligi legem & quidem naturæ & morum. Docent enim, licitum eſſe negligere iis eſt omittere (ſic enim vocem negligendi ſumo) multa quæ iis quæ ſunt legis alligant, iis enim quæ legis ſunt alligant, non tantum orationem mentalem ſed etiam externam, item auditionem verbi. præterea etiam conſervationem membrorum corporis ſui, & de-

ni-

nique ut alia omittam, conservationem vitæ fortunarumque proximi. At iidem theologi docent licitum esse omittere orationem saltem quoad opus externum auditionemque verbi in casu aliquo urgentis necessitatis; id est ubi necessarium opus justitiæ vel misericordiæ implendum est. Item conservationem membri alicujus, ubi id sine pernicie totius retineri nequit. Et denique etiam conservationem vitæ fortunarumque proximi, nimirum cum aliquis ipse versatur in gravissimo periculo, aut de fortunis suis periclitatur, nec proximo adesse potest, nisi ipse perire, aut fortunas suas sibi interire velit. Verbi gratia, si quis naufragium passus, in summo periculo submersionis versetur, non tenetur alteri in eodem periculo versanti subvenire, aut tabulam quam forte nactus est, si duos non ferat concedere, ut alter emergat, ipse vero pereat. Item si ædes meæ & proximi ardeant, non teneor meas negligere, ut proximi servem, sexcenta ejusmodi proferre possem. 2. quæ hic habet de lege naturæ & morum: cum ait: *& quidem naturæ & morum* non capio. Quod si velit, legem naturæ & morum prorsus eandem esse: oppono ipsi præceptum decalogi quartum, & distinctionem inter præcepta decalogi quæ sunt, juris naturæ, & positivi. Quod si autem velit, non esse quidem licitum negligere legem naturæ & morum, licitum autem fuisse ceremonialem urgente necessitate aliqua negligere multum errat. Nam ut illa sic & hæc servanda erat. Negligere tamen ceremonias in certo casu necessitatis (ut exemplum Davidis docet) licitum fuit. Sed neglectus earum illo casu non erat neglectus legis, quia posito eo lex non obligabat. 3. Statuit ni fallor vir doctus honestatis esse, ut inter homines vestiti compareamus: nec non lege Dei sive naturæ sive morum (nam alterutrum mihi sufficit) hanc honestatem esse præceptam: statuit idem vir doctus casu necessitatis posito, nudis licitum fugere videlibert. p. 58. Ac proinde si valet ipsius ratiocinatio statuit, urgente aliqua necessitate legem Dei sive naturæ sive morum negligi posse. Alterum maxime notandum erat: quod manifesto in ipsius partes transeam. Quia Danæus quem cito, dicit honestatem locum habere in rebus mediis & indifferentibus ut in communi vestitu, victu &c. & Hyperius (quem etiam adduco) ait eandem poni in locis sacratis, item gestibus, & omni corporis habitum &c. Resp.

Mu-

Mutat vir doctus verba Danæi & Hyperii, & minus dicit quam illi, ut ex inspectione locorum à me ex illis citatorum patet. Sed audiamus quibus argumentis vir doctus me manifesto in suas partes concedere colligat. Primum tale est: *Si honestas etiam locum habeat in rebus mediis & indifferentibus non ergo solum versatur circa illa quæ sunt legis & quidem naturalis. Sed verum prius ergo.* Resp. Hoc perquam inane est. Nusquam enim ego dixi honestatem versari solum circa ea quæ sunt legis, hoc est quę à lege Dei præcepta sunt. Sententia mea est, ut paulo post videbitur, honestatem etiam locum habere in rebus in se indifferentibus: Honestatem tamen ipsam quæ in rebus illis in se indifferentibus locum habet, qua talem, non esse indifferentem. eadem sententia est eorum quos cito. Alterum hoc est: *Si vestes, si gestus, si totius corporis habitum (licet in eis reperiatur honestas) tamen res medias & indifferentes esse concedat, idem quoque necesse est concedat in coma, videlicet formam ejus ut vestium &c.) esse rem mediam & indifferentem. Licet in ea (ut & in illis) luxus, pompa, lascivia &c. quæ sola auctores illi abominantur, esse possit. Atqui verum prius. Ergo.* Resp. 1. Non argumentatur ex verbis Hyperii ut videri vult. Is enim inquit: *Servanda est hæc honestas, decorum, gravitas, in omnibus actionibus, in dictis, in gestibus, in moribus, in omni corporis habitu, in omni ratione civilis convictus, & consuetudinis, ut quantum fieri potest, nihil inverecunde, leviter, indecore, inepte per nos actum dici queat.* Nusquam autem dicit Hyperius omnes actiones, dicta, gestus, mores, omnem corporis habitum, omnem rationem civilis convictus & conversationis esse indifferentem. Nam quomodo hoc potuisset? cum actiones, gestus, mores, habitusque corporis dentur, qui non sint indifferentes ut cuilibet notum est. Cadit ergo assumtio viri docti: 2. Quantum ad consequens majoris concedo formam comæ de qua loquitur esse rem mediam & indifferentem, nimirum in genere non autem in specie, multo minus in individuo. 3. Vnde *luxus, pompa lascivia* &c. in rebus de quibus differit vir doctus? an non ex violatione honestatis sive naturalis sive politicæ. Nam hæc Calvinus (unde petita sunt) decoro opponit. 4. Provide cavit sibi vir doctus per ⁊ &c. Nam si omnia quę auctores quos adduco dicunt expressisset, Dialogistæ sententiam damnatam invenisset. Calvinus oppositum de-

cori vocat *vanitatem quæ excusari non potest*. Danæus εὐταξίαν, *ordinē, & politicam honestatem magnam ædificationem habere, & veræ pietatis quodammodo custodem esse ait*. Beza *Honestatem, complecti* dicit *omne officii genus quod vigere in mutuis hominum commerciis* DEBET *ut nihil turpiter aut*, INDECORE *nihil denique flagitiose fiat*. Hyperius *Servandam* docet *honestatem, decorum, gravitatem in omnibus actionibus* &c. *Ut quantum fieri potest nihil inverecunde leviter*, INDECORE, INEPTE *per nos actum dici queat*. At Dialogista ut ostensum thes. 20. & quilibet videre potest Dial. pag. 100. statuit genus quoddam indecori esse, contra quod si faciat quis, INEPTE, & INDECENTER quidem faciat, & ridiculus sit, attamen contra legem Dei non peccet. Si vir doctus existimet se hasce tam pugnantes auctorum illorum & Dialogistæ sententias in unam conflare posse.

——— Non est quod multa loquamur,
Nil intra est oleam, nil extra est, in nuce durum.

5. Immo vero si hæc adduxisset vir doctus, mox patuisset, quam male dicat dari aliquid *quod non nisi inhonestum esse potest*, quod tamen peccatum adjunctum non habeat. Concludit ex argumentis jam examinatis vir doctus *Non est ergo hic* &c. Verba non repeto quia antea recitata fuerunt. Breviter tantum dico, 1. conclusionem hanc nullam esse, ut ex dictis patet. 2. Nescio an uspiam dixerit Poim. in coma esse peccatum *per se*: si dixit id non æquipollet τῷ *intrinsece*, sed τῷ *ex objecto & fine*. 3. τὸ *Contra naturam* sæpius examinatum est, ideoque hic prætereo. 4. Eadem ratione concludere poterit vir doctus homicidium in deteriorem partem sumtum tantum esse peccatum ex accidenti id est ratione circumstantiarum, quia occidere hominem in genere est indifferens.

„ Sequitur in eadē illa thesi mea 20. Ad 5. Id nihil ad rem facit. Ne-
„ que enim unquam dixi ex sola voce ἀτιμίας posse concludi ἁμαρτίαν.
„ Nam quomodo hoc potuissem dicere, qui ipse docui vocem illam
„ varias admittere significationes? Vide disp. t. p. 2. th. 10. Sed ex se-
„ rie & scopo textus Apostolici ostendi, ut cum auctore hoc loqua-
„ mur concludi ἁμαρτίαν. Vide disp. text. p. 4. th. 6. & q. tex. 1. p. 1. th. 6.
„ ἀπροδιόνυσα ergo sunt loca 1. Cor. 12. v. 23. Matt. 13. v. 57. Ioan. 4.
„ 44. Vt ex inspectione illorum liquebit nec pluris est quod τὸ πρέπον

sive

» sive decorum cui in loco Paulino ut liquet ex v. 13. ἀτιμία opponi-
» tur, non tantum in rebus per se bonis & lege præceptis, verum et-
» iam indifferentibus esse dicitur: atque inde colligit idem verum es-
» se in ἀτιμίᾳ ei oppositа. Nam 1. Quamvis totum quod dicitur ve-
» rum esset quid auctor hic lucraretur? videlicet non posse ex sola
» voce ἀτιμίας concludi ἁμαρτίαν. At hoc nihil contra me facit ut ex
» ante dictis liquet. 2. Concedo τὸ πρέπον non tantum esse in rebus
» per se bonis, sed etiam indifferentibus: immo vero specialiter dici
» de indifferentibus, ubi habita ratione circumstantiarum moraliter
» conducentis sive honesti rationem induunt: Sed nego res indiffe-
» rentes ubi ratio decori moralis sive honesti ipsis accessit secundum
» hoc amplius esse indifferentes. 3. Si opponitur ἡ ἀτιμία τῷ πρέποντι
» de quo loquitur Apostolus v. 13. jam evictum (lege erit) naturam
» vetare Corinthios alere comam sub ratione peccati vel illiciti: &
» non tantum sub ratione incommodi: atque adeo male id ab aucto-
» re hoc in dubium vocatum fuisse disp. 3. de coma Th. 8. Nam non
» puto virum doctum dicturum licitum esse, τὸ πρέπον, sive naturale si-
» ve politicum præsertim ubi nulla gravis necessitas urget, lusq; deq;
» habere. Certe Apostolus id licitum esse negat. Quorsum enim di-
» ceret Corinthiis: Apud vos ipsos judicate num decorum est mulie-
» rem non velatam Deum orare? nisi propositum haberet ostendere,
» fœminis apud eos aperto capite in cœtibus Ecclesiasticis compare-
» re illicitum esse? Quorsum quoq; præciperet ut omnia decenter &
ordine fiant? Resp. vir doctus: *Th.* 14. *Iudicium meum circa ea quæ tum ab auctore Dialogi, tum à viro docto allata sunt appono. His verbis: Rectè censuit auctor Dialogi, ex voce ἀτιμίας non posse concludi ἁμαρτίαν. Cum ea vox usurpetur ubi nulla peccati habetur ratio, ut patuit ex* 1. Cor. 12. 23. *Neque enim Deus συνεκέρασε τὸ σῶμα ex aliis membris peccato infectis, aliis vero peccato carentibus. Ita enim Deus esset auctor peccati. Et Christus quoque eo argumento peccator esset, quia erat ἄτιμος ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ* Matt. 13. 57. Ioan. 4. 44. *Quid ad hæc vir doctus? Negat id ad rem facere. Neque enim inquit ego unquam dixi ex sola voce ἀτιμίας posse concludi ἁμαρτίαν. Nam quomodo hoc potuissem dicere qui ipse docui vocem illam varias admittere significationes. v. disp. text. p. 2. thes. 10. sed ex serie & scopo textus Apostolici ostendi, ut cum auctore hoc loquamur, concludi ἁμαρτίαν* v. *disp. text. p. 4. thes. 6. & quæst. text. 1. p. 1. thes. 6.*

ἀναγκαίως ergo sunt loca 1. Cor. 12. 23. Matt. 13. 57. Ioh. 4. 44. Vt ex inspectione illorum liquebit. Resp. Vt superiores duas theses prorsus inconcussas reliquit, ita & hanc. Nam responsio hæc thesi mea non est opposita. Negavi ex voce ἀτιμίας posse concludi ἁμαρτίαν. Respondet, ex Sola illa voce se eam non concludere. Id quod cum thesi mea optime consistere potest. In qua vox SOLA non comparet. 2. Non concluisse eum ex SOLA voce ἀτιμίας duplicem sensum habere potest. Vel quod nunquam aliunde argumentum petivit, (quod ad rem non facit, scimus enim & à voce naturæ argumentum petivisse) vel quod in nullo argumento eam solitariam adhibuerit. Quod falsum. Nam dixit Paulum ea velut medio termino usum esse, idque in rem suam transferens, concluisse eam non significare rem indifferentem sed peccaminosam ut loquitur. Vsus ergo & ipse ea est pro medio termino & quidem sola, si recte argumentari voluit, quia medius terminus in uno syllogismo tantum unus esse debet. Resp. ad primum quam vir doctus victoriam reportarit in duabus suis præcedentibus thesibus earumque defensione, judicabit lector. Quantum ad hanc, si responsio mea non est illi opposita, quomodo aut Dialogistam adversus me defenderit aut me oppugnaverit, videre non possum. Ipsum enim alterutrum voluisse liquet ex thesi 2. 3. collata cum 4. quam hic propugnare nititur. Ad secundum 1. fieri potest ut mihi oratio aliqua ambigua excidat, nam mox audiemus virum doctum asserentem *nullam esse vocem quæ non* VARIAS *significationes habeat*, sed nescio an ea qua usus sum, si referatur ad verba viri docti quæ examinabam, ambigua censeri possit. Verum ne in re non necessaria diutius hæream, dico me vocem *sola* pro *solitaria* accepisse, mentemque meam, (ut facile ex verbis meis quę hic exagitat vir doctus cuivis constare potest) fuisse, quod nunquam dixerim vocem ἀτιμίας solam sive per se sumtam sufficere ut ex ea concludatur ἁμαρτία. Nam alioqui incidissem in sphalma illud quod Poimenandro vir doctus (licet falso ut antea ostensum fuit) libert. pag. 27. attribuit; ubi ait eum *ut comam prolixam contra legem naturæ esse doceat, passim vocem naturæ à Paulo usurpatam, pro argumento adducere, idque tam secure, & nulla addita ratione cur alterum ex altero sequatur, ac si duo hæc vocabula essent prorsus æquipollentia.* 2. Non monstrat mihi vir doctus (quod tamen ipsi faciendum fuerat) ubi dixerim Apostolum voce hac *sola* velut medio termino

mino usum esse. Exspectabo ergo donec id mihi significet. Interim moneo me non de ratione concludendi qua usus sit Apostolus locutum esse verbis theseos meæ quam hic sugillat, sed voluisse, me non dixisse quod ex vocabulo *solo* ἀτιμίας, concludi queat Apostolum per ἀτιμίαν intellexisse ἁμαρτίαν. Id enim poscebat thesis viri quam examinabam. Progreditur. 3. *Quod neget se hoc potuisse dicere, quia ipse docuerit vocem illam admittere varias significationes perquam inane est. Neque enim vox illa in loco Paulino de quo quæstio est varias habet significationes, nisi plures scripturæ sensus literales cum pontificiis comminiscatur. Ergo licet alibi alia significet, ex hoc loco solitaria poterit adhiberi in argumentatione. Alioqui nihil erit in rerum natura quod pro argumento tertio adhiberi possit, neque solum neque cum aliis, quia nulla vox est, quæ non varias significationes habeat. Quod ergo loca à me citata ἀνεγκλήτως esse dicit, de eo ut & de reliquis omnibus prudens lector judicabit.* Tertium hoc perquam inane est. Nam sic argumentatur vir doctus. Quæ vox in loco Paulino non admittit varias significationes licet alibi alia significet, ea sola potest adhiberi in argumentatione pro argumento tertio. Sed talis est vox ἀτιμίας. Ergo. Resp. 1. Committitur ignoratio elenchi. Nam non quærebatur utrum à sola voce ἀτιμίας in dicto Paulino unam tantum significationem habente argumentum tertium peti possit. Sed utrum ego dicere potuerim ex sola voce ἀτιμίας, quam ipse docueram ambiguam esse, concludi posse ἁμαρτίαν? Hoc debuisset vir doctus impugnare, si mihi sese opponere voluisset: sed sibi hoc tentandum non duxit. nam hoc si feciisset ipse suam thesin evertisset, qua ait recte censuisse auctorē dialogi ex voce ἀτιμίας non posse concludi ἁμαρτίαν, quia vox ea etiam usurpetur ubi nulla peccati ratio habetur: & præterea modum argumentandi quem libert. pag. 27. (sed falso) tribuit, approbasset. 2. Ex hisce & iis quæ paulo ante dicta sunt quod de *pluribus sensibus literalibus pontificiorum*, mihi objicit, sponte corruit. 3. Non inquiro nunc an nulla vox sit quæ varias non habeat significationes, tantum dico virum doctum difficilem hic thesin defendendam suscipere. 4. Iudicium prudentis lectoris, ad quod vir doctus provocat, de locis ab ipso allatis, meaque de illis sententia ut & de reliquis omnibus, non refugio.

Pergit: *Thesis mea quinta* inquit, itahabet: *Neque τὸ πρέπον sive decorum, cui in loco Paulino ἀπρέπεια opponitur ut liquet v. 13. tantummodo est in rebus per se bonis verum etiam indifferentibus. Idem ergo verum est in ἀδιαφορίᾳ ei opposita. Quid ad hæc vir doctus?* 1. *ait quamvis totum quod dicitur verum esset, quid hic lucraretur? videlicet non posse ex sola voce ἀδιαφορίας concludi ἁμαρτίαν. At hoc nihil contra me facit.* Resp. *Nos contrarium ostendimus, itaque non est quod huic rationi immoremur.* Resp. Virum doctum contarium ostendisse NON LIQUET. Pergit. 2. *ait concedo τὸ πρέπον non tantum esse in rebus per se bonis, sed etiam indifferentibus, imo vero specialiter dici de indifferentibus ubi habita ratione circumstantiarum moraliter conducentis sive honesti rationem induunt: sed nego res indifferentes ubi ratio decori ipsis accessit secundū hoc amplius esse indifferentes.* Resp. *Plus concedit quam petieram, adeoq; totam thesin meam approbat atq; ita hactenus in tota hac disputatione ὑπερνικῶ.* Resp. Non sum is qui concedere nolim quod ratio dictat concedendum esse, sed tamen nō video quomodo vir doctus hic se plus quam victorem esse dicat. Nam si victor est adversarium habuit. Edisserat ergo nobis quis nam ille sit. Nam ego non negavi τὸ πρέπον, aut ἀπρέπειαν etiam inveniri in rebus indifferentibus. Vmbram sine dubio suam se oppugnasse ostendit, cum ὑπερνικῶ, exclamat. Sequitur. 2. *Quæ adjicit sententiam nostram exponunt, tantum abest ut infirment. Nempe nullam rem ratione decori moralis sive honesti quæ ipsi accidit esse indifferentem, manere tamen in se indifferentem etiam tum cum habita ratione circumstantiarum honesti rationem induit. Coma ergo quocunque modo tondeatur res est in se indifferens, sed possunt ejusmodi incidere circumstantiæ, quæ eam ex accidenti vel honestent vel dehonestent. idque utrinque accidere posse ajebat auctor Dialogi sive quis unus inter capillatos omnes detonsus incedat sive inter detonsos capillatus ut citatum nobis thes. 2. & à viro docto minime impugnatum. Sed quomodo hæc cohærent cum dogmate Poimenandri de jure naturæ, civili, divino, peccato contra naturam &c. Quæ profecto inter res in se indifferentes, & ratione tantum circumstantiarum bonas aut malas numerari haud quaquam debent.* Resp. Si quæ adjicio viri docti sententiam tantum exponunt non infirmant, mutatam esse oportet. Nam disp. 3. thes. 8. affirmavit dici posse, dissuaderi τὸ κομψόν Corinthiis non sub ratione *peccati* vel *illiciti* cum tamen dissuadeatur sub ratione contrarii τῷ πρέ-

πρέπον, hoc est sub ratione indecori, secundum quod τὸ κεφαλῆν Corinthiis satente id hic viro docto indifferens esse non poterat, adeoque malum erat. Item dixit eadem disp. thes. 11. Quia inter imperii insignia censeretur apud Corinthios caput integumento liberum *hinc sequi non nisi* INHONESTUM ILLIS *esse posse* si id capillis *muliebrem in modum velatum haberent*; at libert. pag. 138. queritur quod ex eo quod Corinthiis *non nisi inhonestum* posse esse dixerat, *peccatum* intulerim, quia videlicet *inhonestum* sive (ut ibi se exponit) *indecorum* non semper peccatum conjunctum habeat. Vnde sic arguo, qui negat ex inhonesto sive indecoro de quo in dicto Paulino agitur, peccatum recte inferri, item, indecorum non semper peccatum conjunctum habere ait; & postea affirmat, nullam rem decori moralis sive honesti ratione quæ ipsi accidit, esse indifferentem, ac proinde etiam nullam rem ratione indecori moralis sive inhonesti quæ ipsi accidit esse adiaphoram, is sententiam mutat, sed hoc facit vir doctus. Ergo. Probatur majoris consequentia quia alioqui dicendum erit viro docto ex inhonesto sive indecoro de quo Paulus agit, peccatum inferri non posse, & indecoro tali non semper peccatum esse conjunctum; & tamen inhonestum sive indecorum illud, secundum quod tale est, non esse indifferens, sed malum, adeoque ex eo peccatum inferri posse, atque peccatum semper habere conjunctum. Quod absurdum est; sententiæ enim hæ ita pugnantes sunt (viri docti formula utar) ut in unam urnam conflari nequeant. 2. *Manere rem in se indifferentem etiam cum habita ratione circumstantiarum honesti rationem induit à me non est assertum.* Novi quid hac de re Scholastici sentiant, & plærosq; eorum à viro docto dissentire scio, sed non libet nunc in novum certamen descendere. 3. Negatur quod coma quocunq; modo tondeatur sit res in se indifferens, ut sunt res quæ ex solis circumstantiis æstimantur. nam si coma quocunque modo tondeatur sit res in se indifferens licitum erit viris si scandalum inde non sequatur vel ad lumbos eam dimittere, modo minimum quid illi aliquando dematur. Item si coma res est in se indifferens quomodocunque tondeatur, etiam res in se indifferens erit nutritio comarum: adeoque viris etiam intonsos licitum erit gestare capillos, modo scandalum absit. Adhæc etiam licitum erit viris capillis obvol-

volvere caput, ubi id moris est, & contra mulieribus caput radere. 4. Falsum à me minime oppugnatum quod habet thes. 2. ex Dialogista. Vide quæst. text. 2. thes. 8. & thesin disputationis quam hic defendo 21. 5. quæ de Poimenandro hic narrat, sæpius refutata fuerunt, quocirca necessum non est iis immorari; unum tamen verbo attingendum est, (ut quod novum) nimirum quod res juris civilis & quidem nulla limitatione addita, inter res de se non indifferentes collocat. Considerent quibus otium est, mihi certe id non placet, nec puto ulli placiturum quia absurdissimum.

Progreditur 3. *Ait si opponitur ἡ ἀτιμία τῷ πρέποντι de quo loquitur Apostolus* v. 13. *jam evictum erit, naturam vetare Corinthios alere comam sub ratione peccati vel illiciti: & non tantum sub ratione incommodi: atque adeo male id ab auctore hoc in dubium vocatum fuisse disp. 3. de coma thesi 8. Nam non puto virum doctum dicturum, licitum esse τὸ πρέπον sive naturale sive politicum, præsertim ubi nulla gravis necessitas urget susque deque habere. Certe Apostolus illud licitum esse negat. Quorsum enim diceret Corinthiis apud vos ipsos judicate, num decorum est non velatam Deum orare? nisi propositum haberet, ostendere fœminis apud eos aperto capite in cœtibus Ecclesiasticis comparere illicitum esse? Resp. Ego hic nullam consequentiam video. nam incommodum ibi non opposui ei quod ex accidente potest illicitum reddi, sed quod ex sua natura tale est.* v. g. *Paulus dissuadet matrimonium sub ratione incommodi tantum non etiam illiciti quod omnes orthodoxi fatentur, an ideo matrimonium aliquod per accidens non poterat illicitum fieri? ut si quis in magna ecclesiarum afflictione, nulla cogente necessitate se uxore & liberis gravaret, qui ecclesiæ oneri essent &c. Verum quod hic illicitum est non hæret in ipso matrimonio (alioqui enim dissolvendum foret) sed in adjuncta illa temeritate, ita quoque de coma judicandum est.* Resp. 1. Sic arguebam: Si opponitur ἡ ἀτιμία τῷ πρέποντι sive *decoro* evictum est naturam vetare Corinthios alere comam sub ratione *peccati* vel *illiciti*, & non *tantum* sub ratione *incommodi*: atque adeo id male id ab auctore hoc in dubium vocatum fuisse disp. 3. de coma thes. 8. Sed verum prius ex hypothesi viri docti, disp. 5. de coma thes. 5. ubi ait τῷ πρέποντι sive *decoro* in loco Paulino opponi τὴν ἀτιμίαν. ergo & posterius. Probabã consequentiam quia licitum non est τὸ πρέπον sive naturale sive politicum, præsertim ubi nulla gravis urget necessi-

ceſſitas, ſuſque deque habere. Quod etiam concedit vir doctus cum ait libert. pagina 175. *Nullam rem ratione decori moralis ſive honeſti* (quod non negabit Apoſtolum notione πρέποντος intellexiſſe) *quæ ipſi accedit eſse indifferentem.* Hæccine conſequentia ita obſcura eſt ut videri nequeat? Negat tamen vir doctus ſe eam videre, nimirum *quia incommodum ibi* videlicet diſp. 3. theſ. 8. *non oppoſuerit ei quod ex accidenti poteſt illicitum reddi, ſed quod ex ſua natura tale eſt.* Verum hoc perquam inane eſt. Nam diſtinctio hæc diſp. 3. theſ. 8. non comparet; nec locum habere poteſt. Abſolute ibi negat ex loco Paulino inferri poſſe peccatum. Sic enim ait, *his ita diſtinctis non ſequitur, ratio recta (ſumamus ita naturam) dictat Corinthiis non eſſe viro alendam comam, ergo vetat id* SUB RATIONE PECCATI VEL ILLICITI, *cum id diſſuadere poſſit* SUB RATIONE INCOMMODI *quod quomodo hic locum habere poſſit, videbitur in ſeqq. Peccat ergo argumentum* A NON DISTRIBUTO AD DISTRIBUTUM SIVE A GENERE AD SPECIEM AFFIRMATIVE. Omnis hic elabendi via viro docto præcluſa eſt, niſi *peccatum* quod actioni in ſe mediæ ratione indecori quod ipſi accedit, inhæret, *peccatum* vel *illicitum* eſſe negare velit, & pontificiorum peccato veniali levius (ut quod ipſi ſaltem analogice peccatum eſſe fatentur) eſſe ſtatuat. Huc accedit quod cum ID QUOD NON NISI ILLIS videlicet Corinthiis, diſp. 3. theſes 11. INHONESTUM ESSE POSSE dixerat *peccatum* interpretatus eſſem, me verba ſua *in alium ſenſum detorquere* queſtus eſt, dicens *ſe non intellexiſſe* PECCATUM, adeoque ſignificans ſe ſentire Apoſtolum non prohibere Corinthiis τὸ κομᾶν ſub ratione peccati cujuſcunque ſed incommodi tantum quod *peccatum* non ſit. Cum tamen fateatur nunc Apoſtolum prohibere id ſub ratione ἀτιμίας quæ opponitur τῷ πρέποντι, adeoque ejus quod peccatum eſt, ipſo id conſitente eo quod dixit libert. pagina 175. Videt nunc ni fallor vir doctus conſequentiam; aut ſi ipſe non videt prudens lector videbit. 2. Exemplum de matrimonio quod huc affert huic loco non quadrat. Ratio eſt, quia ipſe ait Apoſtolum diſſuadere matrimonium ſub ratione incommodi TANTUM, cum ipſe fateatur loco de quo quæſtio eſt

opponi τῷ πρέποντι (quod ipse fatetur quà tale est, indifferens non esse, ut patuit ex *libert.* pag. 175.) τὴν ἀτιμίαν, & propterea concedere debeat Ἐκκλησίᾳ Corinthiis dissuaderi sub ratione peccati sive illiciti, ac proinde non sub ratione *incommodi tantum.* Quoniam itaque exemplum hoc ad rem præsentem non pertinet, ea quæ porro in eo consideranda forent missa facio, præsertim cum in sequentibus similia sese oblatura sint. Pergit. 2. *Ejusdem commatis est, quod de decoro sive naturali sive politico non sine gravi necessitate susque deque habendo adjicit. Nam si crederet auctor omissionem hujusmodi decori per se peccatum esse, non loqueretur de eo susque deque habendo, quod contemtum sonat, atque ita aliquid accessorium, quo illa omissio illicita fit, neque addidisset illud sine gravi necessitate quo innuit, si talis necessitas adsit, licite tale decorum omitti, id quod de rebus quæ sunt præcepti divini moralis dici nullo modo potest.* Resp. Pergit vir doctus in distinctione peccati *per se* & *per accidens*, adeoque respondet quod hic dat, cum eo quod præcessit ejusdem commatis est. 2. Nego decorum sive naturale sive politicum susque deque habere licitum esse, nisi ubi gravis necessitas urget, videlicet quia tum formale decori cessat; & tantundem dicturum virum doctum me putare dico. 3. *Susque deque* semper contemtum significare non credo. 4. Per peccatum per se hic intelligit vir doctus actionem quæ intrinseca malitia laborat, non aliam quæ honestari potest. Sed male. Nam alioqui injuste alicui suum eripere, hominem injuste occidere, atque alia similia non erunt peccata per se. Monstret vir doctus quinam theologi ita locuti sint. 5. Fateor honestatem naturalē & decorum politicum ubi gravis necessitas est, posse omitti. Et quid ni fatear, quoniam non tantum Franciscus Iunius, quem vir doctus frustra oppugnare conatus est, sed etiam sana ratio, ut ostensum est, pro me militat: sed nego inde sequi, omissionem honestatis naturalis indebitam non esse peccatum per se, modo τὸ per se latius sumatur, (ut sumendum est) quam vir doctus illud sumit. De omissione decori politici indebita, quod non est ejusdem rationis cum honestate naturali, nunc non contendo; quia id necessum non est. Nam sufficit mihi omissionem talem à viro docto agnosci esse peccatum. Hinc enim habeo sententiam ejus esse falsam de dicto Apostoli, etiam dato ἐκ συγχωρήσεως quod de-

decoro tantum politico agat. 6. Gravis necessitas etiam facit licitam mutilationem sui, nimirum ubi aliter totum conservari nequit, nec non occisionem proximi, ut in defensione cum moderamine inculpatæ tutelæ, ubi quis à latronibus circumventus aliter vitam tueri nequit. Et tamen prohibitio mutilationis sui, atque occisionis proximi injustæ, est legis moralis & quidem naturalis. 7. Si res positis tantum ponendis nobis observandæ, non sunt legis moralis cujus tandem legis sunt? Edisserat id nobis vir doctus? Progreditur: 3. *Quod addit de fœminis quibus ex dicto Apostolico indecorum atque illicitum fuerit aperto capite in cœtibus ecclesiasticis comparere, ejusdem cum superioribus naturæ est. Neque enim ex se res illa erat illicita sed ex circumstantiis loci, ubi tegmen capitis erat symbolum subjectionis, quam ejerare videretur mulier, quæ contrario modo & quidem cum maximo scandalo in Ecclesia ipsa se gereret. Nec dubito quin vir doctus ita sentiat. Eccur enim alioqui tam solicite inculcaret, Paulum dicere.* Corinthiis fœminis APUD EOS *aperto capite comparere illicitum esse, si crederet id juris esse divini atque omnium* GENTIUM? R. 1. Si quod de fœminis Corinthiacis dixi, ejusdem cum superioribus naturę est, etiam id ostendit, quod distinctio illa viri docti de peccato per se & per accidens, emplastrum sit, quod vulnus placitis ejus inflictum non modo non sanet sed ne tegat quidem. 2. Sumamus ἐκ συγχωρήσεως, mulieribus Corinthiis ex circumstantia loci, ut vult vir doctus, indecorum atque illicitum fuisse aperto capite in cœtibus Ecclesiasticis comparere; nihilominus inde sequetur, Apostolum id quod dissuadet Corinthiis, sub ratione illiciti sive peccati dissuadere, quod tamen ut sæpe dictum negavit disp. 3. Th. 8. 3. Fortiter quidem affirmat, sed languide probat vir doctus (ut vidimus cap. 24.) mulieribus Corinthiis, aperto capite in cœtibus ecclesiasticis, comparere ex circumstantia loci ubi tegmem capitis symbolum fuerit subjectionis &c. indecorum atque illicitum fuisse. 4. Fallitur vir doctus in eo de quo non *dubitat*. Nam propterea tam solicite *Corinthiorum* mentionem factio, ut obtineam, male ab eo in controversiam vocatum fuisse, num quod dissuadebat natura *Corinthiis*, id dissuaderet sub ratione *peccati* vel *illiciti*; Neq; enim hic mihi quærendum duxi (quia id antea factum erat) utrum præceptum Apostoli ad alios quam Corinthios pertineret.

» Pergo ad reliqua Theſeos meæ 20. verba. Ea ergo hęc ſunt. 6.
» Ad (lege ad 6.) Ait vir doctus communem honeſtatem, per quã (ut
» ait) auctor Dialogi intelligit morem communiter receptum & ap-
» probatum circa res indifferentes, confundendum non eſſe cum ju-
» re divino, eo prætextu, quod Deus in genere juſſit ejus rationem
» haberi: quia eo argumento omnia edicta prætoris & omnes cano-
» nes eſſent juris divini. Reſpondeo. 1. Non opus fuit hac admo-
» nitione; nam novi per Dei gratiam magnum eſſe diſcrimen
» inter jus divinum & conſuetudinem circa res indifferentes, com-
» muniter in gente aliqua receptam & approbatam, & quaſvis
» hominum conſtitutiones circa res indifferentes. Aliamque ob-
» ligationem eſſe circa res quæ juris divini ſunt, aliam vero
» quæ naſcitur aut ex conſuetudine, aut quacunque conſtitu-
» tione humana ſive politica ſive Eccleſiaſtica (adde circa) res
» indifferentes. Eę enim quę juris divini ſunt per ſe & immediate
» nos obligant; at vero quę aut conſuetudine aut conſtitutione hu-
» mana aliqua nituntur ex ſe nullam obligandi vim habent, ut quæ
» in ſe ſpectatæ indifferentes eſſe ſupponuntur: ſed omnis obligatio,
» qua ad obſervationem illarum adſtringimur, ex jure divino fluit
» & mediata eſt ut recte docet Beza Epiſt. 24. Verba ejus ſunt: In
» genere coercetur rerum iſtarum mediarum uſus per legem chari-
» tatis, quæ univerſalis eſt, id eſt ad omnes & ad omnia ſpectans, &
» diſerte cavens nequid etiam alioqui medium ac licitum fiat quo
» proximus deſtruatur, vel omittatur quo ædificetur. Et paulo poſt,
» In ſpecie vero coercetur earum rerum uſus ex conſtitutione poli-
» tica vel eccleſiaſtica. Etſi enim conſcientias proprie ſolus Deus li-
» gat, tamen, quatenus vel magiſtratus qui Dei miniſter eſt, indicat
» intereſſe Reip. ut quippiam alioqui per ſe licitum non fiat: vel
» Eccleſia ordinis & decori atque adeo ædificationis rationem ha-
» bens leges aliquas de rebus mediis rite condit: ejuſmodi leges piis
» rite ſunt obſervandæ, & eatenus conſcientias ligant, ut nemo ſci-
» ens & prudens rebellandi animo, poſſit abſquę peccato vel facere
» quę ita prohibentur, vel omittere quæ ſic præcipiuntur. Et poſtea.
» Conſtitutiones iſtæ eccleſiaſticæ, ob certas circumſtantias legiti-
» mæ factę (ordinis videlicet & publicæ utilitatis cauſa, non autem
» quaſi in iis ſit cultus Dei poſitus) non tantum ſunt catholicæ & u-

ni-

» niversales, verum etiam particulares interdum propter multipli-
» cem circumstantiarum varietatem. ac proinde peccant tum qui ca-
» tholicas temere immutant, tum qui easdem, etiamsi certa mutatio-
» nis necessitas incumbat, pertinaciter potius quam constanter reti-
» nent, tum maxime qui siniſtro judicio particulares quibusvis ob-
» trudunt. Vide quoque Calvinum Instit. lib. 4. c. 10. §. 30. 31. & A-
» mes. Medullę lib. 2. c. 14. §. 20. & seq. aliquot. 2. Auctori Dialogi
» de notione honestatis communis litem non moveo: sed hoc da-
» mno, quod statuit, peccari posse in honestatem communem, & qui-
» dem per summam levitatem (ut liquet ex iis quę de cornibus, de
» asininis auribus, pinnis, adde cauda vulpina & felina habet) ut ta-
» men legi divinæ injuria non fiat. 3. Si verum est quod Deus in
» genere jusserit honestatis communis haberi rationem, jam ha-
» beo quod volo honestatem communem non posse citra pecca-
» tum insuper haberi id est ex supina negligentia, aut protervia,
» aut contemtu violari. Adhæc vir doctus ait. *Thes.* VI. & VII.
*Honestatem communem à jure divino distinguendam docui, tum argu-
mentis è scriptura petitis, tum more loquendi ipsis legum conditori-
bus usitato, qui cum se honestatis causa aliquid prohibere dicunt, ea ipsa
adjectione se de eo legem divinam non habere profitentur. Vir doctus neu-
tram thesin impugnat, septimam ne tangit quidem, sextam ex senten-
tia theologorum nostrorum quæ & mea est, exponit. Agunt enim au-
ctores quos citat (atque ipse vir doctus) de rebus mediis & indifferenti-
bus licitis, circa quæ si ordinis decori, ædificationis, publicæ utilitatis cau-
sa, non autem quasi in iis sit cultus Dei positus vel Magistratus, vel ec-
clesiæ aliquid rite statuerit, negant licere eas temere, rebellandi animo, per
summam levitatem, ex supina negligentia, protervia, contemtu, vio-
lare. Ex altera vero parte peccare eas ecclesias ajunt, quæ siniſtro ju-
dicio particulares circa res medias constitutiones quibusvis obtrudunt.
Quæ si recte dicta sunt (rectissime autem dicta agnosco) nihil est cau-
sæ quin adversus opiniones Poimenandrianas jungamus dexteras, ne-
gotium capillare indifferens, ut revera est, relinquamus, levitatem tamen
circa id, negligentiam, protervam, magistratus aut ecclesiæ (si rite, si le-
gitime quid de eo statuerit) contemtum insectemur. Interim & in hac &
in illo laudemus, quod siniſtro judicio particulares circa rem in se licitam
constitutiones quibusvis non obtrudant, licet ad id nimio quorundam*

fervore qui hic meros conscientiarum laqueos nectunt, per summam imprudentiam incitentur. Resp. 1. Dixit vir doctus libertatis pag. 107. honestatem *in communi* consideratam nihil aliud esse quam decentiam, *eamque æstimari ex more qui est regula decori*, affirmatq; ita sentire Dialogistam, indicata disp. suæ 5. thes. 5. & addit me id non damnare thes. hac 20. Existimaveram autem ego virum doctum, ubi perventum esset ad thesin meam quam indicabat, quod sine ulla hæsitatione asseruerat, & me profiteri dixerat, probaturum: sed me deceptum sentio. Nam plane hoc silentio præterit. Colligo itaque nihil invenisse ipsum (ut revera tota illa thesi nihil est quod ipsi faveat) quo quod dixerat confirmaret. 2. Approbat hic vir doctus quæ differui de obligatione quæ est circa res quæ juris sunt divini (inter quas etiam sentio numerandam tonsuram virilem, nutritionem comarum muliebrium ut capiti tegumento sint, quia ad honestatem naturalem pertinent) & quæ nascitur aut ex consuetudine aut quacunque constitutione humana sive politica sive ecclesiastica circa res indifferentes, atque adeo hic mihi dicere impromptu foret quod ipse alibi in me jacit, *solidiora hæc fuisse quam ut iis dentem infigeret.* 3. Nihil reponit ad id quod à me adversus Dialogistã allatum, & quidem verbis ipsius confirmatum fuit; ac proinde possem hic inquirere in causas silentii viri docti, aut etiam victoriam (vestigia ipsius secutus) meam prædicare, nisi mallem de hisce lectori judicium committere. 4. Ait me neutram Thesium quarum meminit impugnare, immo septimam ne quidem tangere, sed 1. nescio quid laudis ex eo venetur. Nam esto, bene locutus sit vir doctus: an id mirandum? Annon ipse Poimenandrum, quem tamen in quamplurimis carpit, aliquando bene esse locutum fatebitur? 2. Concedit me sextam ex sententia theologorum nostrorum exponere, addere potuisset si voluisset, me quod ab ipso omissum fuerat, addidisse. Ostendi enim diversitatem obligationis eorum quæ sunt juris divini, & quę sunt consuetudinis, aut constitutione humana sive politica sive ecclesiastica nituntur, adductis eum in finem Clariss. Theologorum testimoniis: quod ab ipso omissum fuerat. 3. Quod si cum theses scriberem, scivissem Dialogistam, aut ipsum per honestatem communem intellige-re, *honestatem in communi consideratam*, quod me docuit libert. pag. 107.

107. *eamque ex more æstimandam*, & Dialogistę de notione honestatis communis litem moviſſem, eumque ſecum commiſiſſem, & viri docti Theſin 6. adeoque & 7. redarguiſſem. Nam Dialogiſtam quod attinet; is decentiam, decorum, honeſtatem in duas ſpecies diſpeſcit. Primam illarum apud ipſum conſtituit decorum ſive honeſtas communis quam more qui ſit regula decori definiri ait: contra quam ſi quis peccet nec in legem Dei nec in naturam peccet. Alteram vero decentia ſive honeſtas quæ lege Dei præſcripta eſt, adeoque cujus violatio legis divinæ eſt infractio. Vide eum Dialogi pag. 100. 101. 102. At quam belle hæc conſiſtunt ſi viro docto credendum eſt? Nam. 1. ſi honeſtas communis, eſt honeſtas in communi conſiderata, ſpecies honeſtatis in communi conſideratę eſſe nequit, quod tamen aſſerit Dialogiſta ut qui honeſtati communi aliam honeſtatis ſpeciem opponit. 2. Si honeſtas communis de qua Dialogiſta loquitur eſt honeſtas in communi conſiderata, & more ut regula decori definitur, utique omnem honeſtatem more ut regula decori definiri neceſſum eſt, nam quod generis eſt, etiam ſpeciei ſit neceſſe eſt. Attamen ipſe ſtatuit eſſe quandam honeſtatem, quæ lege Dei & natura definiatur: adeoque more non definiatur. Non exiſtimo Dialogiſtam ita rudem fuiſſe omnis logicę, ut talia portenta opinionem lectori obtrudere voluerit. Arbitror itaque mentem ejus me recte aſſecutum theſi quam hic oppugnat vir doctus: hoc eſt, decorum quod non fluit ex lege per modum concluſionis, ſed per modum determinationis, per interventum conſuetudinis aut conſtitutionis alicujus humanæ circa res alioqui indifferentes, ab ipſo honeſtatem communem appellari. Atq; hinc factum eſt ut ipſi litem de notione honeſtatis communis movere noluerim: faciles enim nos eſſe cõvenit circa terminos, quamvis nec in re ipſa recte ſenſerit Dialogiſta ut à me oſtenſum eſt diſp. Text. p. 4. theſ. 6. Quantum ad virum doctum ſi quidem ita eſt ut ait libert. pag. 107. paulo ante indicata, graviter errat cum ſententiam Dialogiſtæ approbat. Nam 1. ſeſe induit in abſurditates illas quas in Dialogiſta paulo ante notavimus; nimirum ſi intelligatur juxta mentem viri docti. 2. Omne decorum ſive honeſtatem naturalem peſſumdabit. Si enim honeſtas in communi conſiderata ex *more* eſt *qui* ſit *regula decori*, prout loquitur libert.

pag.

pag. 107. Nulla jam erit honestas quæ talis sit ex instinctu naturæ, quod hactenus à nullo theologorum assertum fuit. 3. Male definierit honestatem Dialogistæ communem. Nam definitio quam affert, speciem tantum honestatis in communi consideratæ complectitur: nimirum eam quæ non per modum conclusionis, sed per modum determinationis ex lege aut natura fluit & more nititur. 4. Probationes ejus omnes ridiculæ erunt. Nam perinde se geret ac si quis probaturus omne animal esse rationale, ex eo quod homo rationalis est id evincere tentaret. Glorietur nunc porro vir doctus me non impugnare thesin suam 6. & 7. imo ne quidem tangere septimam. Spem mihi fecerat vir doctus libert. pag. 107. se cum ventum foret ad disp. 5. thesin 2. uberius ostensurum quod honestas in communi considerata, ex more qui sit regula decori æstimanda sit. Ait enim. 2. *Honestas in communi considerata, nihil aliud est quam* DECENTIA, *ut modo vidimus, ea autem æstimatur ex* more qui est regula decori *ut ex Dialogista* videbimus *disp. 5. thes. 2. quod non damnat vir doctus, ut ipse profitetur* thes. 20. *Vide jam quid sequatur: nempe sensum Apostoli, è communi more petendum* &c. Sed spem meam fefellit. Nam libert. pag. 170. & 171. ubi agit de disp. 5. thes. 2. ne gry quidem de honestate in communi considerata, invenire potui nec lector inveniet. 4. Ajunt certe auctores illi Beza, Calvinus, Amesius *de rebus mediis, indifferentibus, licitis* &c. Sed non agunt de honestate naturali: quę non est collocanda in censu rerum mediarum, indifferentium &c. de quibus loquuntur; nisi vir doctus more qui sit regula decori, quæ vocantur honestatis naturalis, constare velit: atque adeo asserere, ubi mos obtinet, ut viri capillum promittant, capitique suo inde velamen conficiant, fœminæ vero suum attondeant; item ubi mares fœminæque nudi incedunt, & depositio omni pudore in propatulo coeunt, (ut inter barbaros quosdam fieri, literis proditum est) id decori rationem habere: ac proinde peccare eos qui contrarium morem introducere conantur, quemadmodum fecit Rev. Iurnius Pastor Delphensis, qui viros insulæ formosę MAGNO MOLIMINE ad muliebrem comam ponendam adducere conatus est. Vide viri docti disp. 2. thes. 9. & libert. pag. 97. & cap. hujus operis 18. 5. Ajunt etiam peccare eas ecclesias auctores illi, quæ sinistro ju-

judicio particulares circa res medias constitutiones quibusvis obtrudunt. Sed ut dictum non ponunt in censu illarum quæ sunt honestatis naturalis, inter hæc enim & illas longum discrimen est. Nam non quidquid aliquo modo puta in genere consideratum mediæ naturæ est, ut occidere hominem, mox in rerum mediarum de quibus illi loquuntur numero ponendum est. 6. Quæ cum ita sint, nihil est causæ cur quæ à Poimenandro recte dicta sunt non defendam; & simul diataxes Synodorum nostratium, adversus virum doctum & alios quoscunque defendere non pergam: Nam quod ait negotium capillare in sc indifferens esse, captiosum est: Nam non est ex numero indifferentium quæ talia sunt in specie; sed in genere. Deinde etiam Dialogistæ contrarium; nam quamvis alibi νόμων τὴν χάριν sequendam moneat, non tamen adeo negotium capillare rerum indifferentium (quas vocant) numero includit, quin dicat virum qui more muliebri caput comit, & non solum crines intonsos gerit, sed etiam quod inde necessario consequitur, eos in capite ita componit, ut iis caput velatum habeat, quomodo solent mulieres, in legem & naturam peccare. Verba Dialogistæ adscribam, ut mirentur lectores, theologum doctum & veteranum, laxius incedere quam Dialogistam quem in theologia casuistica non admodum versatum esse existimo, quamvis alioqui eruditionis laudem ipsi derogare nolim. Sic ergo loquitur. *Et præterea est quædam indecentia quæ peccat contra legem Dei & contra ipsam naturam.* CUR. *Quænam illa est?* CÆ. *An alia videatur præter illam quæ sexus confundit quos natura ipsa discriminavit? Vt si quis muliebribus vir indutus in publico versetur, & mulier virilibus? Præterea hoc Deus ipse in lege prohibuit, & maledictionem pronunciavit contra eos qui id facerent.* CUR. *Hoc verum est.* CÆ. *An minus peccat & contra legem Dei & contra naturam ipsam, quæ sexus discrevit, qui non solum hanc confusionem in vestitu usurpat corporis, sed etiam in oris ipsius habitu?* CUR. *Non aliter certe peccare videtur sed nec minus. Enimvero vel muliebrem sic habitum sumere vir omnino videtur qui more muliebri caput comit, & non solum crines intonsos nutrit, sed etiam quod inde necessario consequitur, eos in capite ita componit, ut iis caput velatum habeat, quomodo solent mulieres.* CÆ. *Gaudeo te jam rem ipsam sicut à nobis explicata est intelligere.* Vide Dial. p. 102. & 130.

& 103. Certe qui ita loquitur, aliquid saltem in negotio capillari agnoscit, quod ad indifferentium naturam de quibus agit non pertinet. 7. Et in Magistratu & in Ecclesia laudandum fateor, quod siniſtro judicio particulares circa rem in se licitam constitutiones quibusvis non obtrudant; sed nondum mihi videre contigit illas constitutiones aut Magistratuum aut Ecclesiarum nostrarum quibus tonsura muliebris, citra necessitatem instituta, aut nutritio capillorum virilium, ad capitis integumentum idoneorum, rebus mediis de quibus auctores supra citati loquuntur annumeretur. Si quis quid sentiant de hisce Synodi nostrates videre velit, adeat disp. textual. 1. parte 1. thesi x. 8. Nescio quinam ii sint quibus à viro docto nimius fervor, & summa imprudentia tribuitur, adscribiturque quod meros conscientiarum laqueos nectant. Forte designavit Synodos nostrates ut quæ vanitates capillares quas inter nostros invaluisse ajunt, quasque Poimenander exemplo illarum reprehendit, adeo detestantur, ut dicant eas cum honestate & pietate Christiana consistere non posse, ac per eas horrendam Dei iram accendi pronuncient, & illos qui inter nostrates, si ecclesiæ membra sint, eas sectantur, nec moniti resipiscere volunt ab usu sacrę cœnæ suspendendos decernant. Vide disp. textual. 1. pag. 1. thes. x. paulo ante indicatam. Quod si erro, nominet vir doctus eos quos hic notat: Cur enim pateretur errare quem inviam revocare potest? Sin minus, profiteatur quod sentit; ut Synodi aut sua defendant, aut retractent.

CAPUT XXXI.

CAutio inofficiosa. Salvum non salvum. mutilatio. Confusio honestatis naturalis & politicæ. materia honestatis politicæ, & naturalis mutabilis, sed diversimode. De longitudine & brevitate capillorum, an materia sint præcepti de honestate communi? Petitio principii. Crambe recocta. Mutatio verborum. Moderamen circa capillos quo pertineat. Liberalitatis alienæ abusus. Absurda. Series disputationis inter Dialogistam & auctorem de voce ἀνιμίας. ἀνροσδιόνυσον. Mutatio terminorum. De consiliis prudentiæ divinis viri docti. De iis judicium Franc. Junii. Idem defensus. Dictum Platonis explicatum. Cicero. Τύραννος quid? actiones divinæ cum actionibus impiorum secundum quid collatæ. Actio imprudens qualis? Actio in genere vel specie indifferens,

ferens, per consilia Dei restringitur. Criminatio castigata. Calliditas quale vitium. An monita prudentiæ divina secundum virum doctum in individuo obligent? De actione in individuo error. Contradictio. De loco Prov. 6. 1. Mutatio status controversiæ. σοφὸν φάρμακον. Circumstantiæ vitiosæ quid faciant? Non visa visa. Poimenander. Concordia discors. Consensus auctoris cum Poimenandro in summa rei. Cavillationes insolubiles. De loco Prov. 6. 1. An monitum non præceptum contineat? Junius, Cartwrichtus, interpretes Belgici. Perkinsus. Jansenius Gaudavensis. Estius. Corn. à Lapide. Monita à præceptis divinis an & quo criterio distingui possint? Silentium viri docti de multis. Ignoratio elenchi. De verbis imperativi modi. Effugia intercepta. De loco Gen. 43. 9. & Philem. 1. 19. Absurda ratiocinatio. De homicidio & sponsione. De loco 2. Reg. 9. an monitum quod non obliget contineat? Effugium interceptum. Labor irritus. Officium neglectum.

HActenus vindicavi thesin meam 20. progredior ad vindicias 21. Ibi autem ajo: Ad 7. (nimirum eorum quæ thesi 19. ex viro docto commemoraveram) dixerat Dialogista posse peccari in decorum & honestatem communem, & quidem ex mera animi levitate & petulantia ut exempla ab ipso adducta, & à me recitata docent, citra violationem legis divinæ. Negavi hoc recte ab ipso dictum. Quia alioqui scripturas, quę nobis præcipiunt ut honesti rationem habeamus, alia ab iis quę legis sunt pręcepta, aut consilia quędam euangelica tradere comminisci oportebit, quod absurdum esset. Zeph. 1. 8. Phil. 4. 8. Hinc vir doctus occasionem de pręceptis & consiliis differendi arripit Thes. 8. disp. 5. & primo generatim inquit: Non minus prudenter accipiendum quod additur de pręceptis & consiliis. Resp. Nulli errandi occasionem objeci cum de violatione honestatis communis agerem, sed consentanee Scripturis & Theologorum nostrorum præstantissimis locutus sum: nec quippiam invenio in verbis meis quæ sugillantur, quod aliquem in errorem adducere possit. Ad hæc vir doctus repetita thesi sua 8. de qua hic agitur, sic ait. 1. *Nullum vir doctus in hac mea observatione errorem taxat, itaque salva est etiam tota thesis mea.* Resp. 1. Si salva est ab errore, at non est salva ab inofficiosa cautione. Nam si etiam ab hac salva est, ostende ubi dixerim, (nam me à te peti ipsa thesis clamat) quod ejusmodi cautionem posceret. At hic taces. Quamvis ut verba theseos meæ aperte docent, provocatus fueris ut cautionis tuæ necessita-

sitatem defenderes. 2. Quomodo totam tuam thesin salvam esse dicere potuisti cum & in ea *consiliorum* mentionem facias, & noveris me hic à te dissentire?

„ Sequitur in thesi mea. Deinde speciatim agit. 1. De præceptis 2.
„ De consiliis. Præcepta quod attinet, Ait thes. 8. eadem, præcipi in-
„ terdum, quæ in specie tantum ad homines certi temporis, aut loci
„ spectant licet ratio communis ad omnes pertineat. Atque huc re-
„ fert quod de lotione pedum Ioh. 13.14. & de osculo sancto Rom.
„ 16.v.16. dicitur. Resp. Nihil à me dictum fuit, quod ejusmodi ob-
„ servationem posceret. Nam à me nec dictum, nec ullo modo signi-
„ ficatum fuit materiam præcepti de honestate communi esse im-
„ mutabilem, sed tantum sine peccato honestatem communem non
„ posse insuper haberi. Respondet vir doctus: 2. *Agnoscit materiam præcepti de honestate esse mutabilem.* 1. *Variare posse, tam secundum tempora quam secundum loca. Hæc enim conjunxeram, nec vir doctus id improbavit, nec ut opinor improbaturus est. At inquam longitudo & brevitas capillorum apud Paulum, sunt materia præcepti de honestate: possunt ergo temporibus & locis variare, nec sequitur si Corinthiis, & illo quidem tempore, hoc vel illud circa illas honestum, aut inhonestum fuit, idem ubique & semper obtinere: quod profecto dicendum esset, si in iis de lege naturæ & gentium ac de tali peccato, quale fugillatur* Rom. 1.26. *ageretur. Ita hoc suo axiomate opinionem Poimenandri vir doctus evertit.* Resp. Nihil hic sani est. Nam 1. Loquor ego de honestate *communi*, (ut verba theseos meæ indicant & porro patet ex disp. text. p.4.thes.6.) quam Dialogista honestati naturali opponit, ut speciem speciei sub eodem genere contentæ. Ipse autem expuncta voce *communi* ait me asserere *materiam præcepti de honestate esse mutabilem.* Vnde patet (quod & antea apparuit) virum doctum confundere honestatem naturalem, & eam quæ est aut ex consuetudine aut ex institutione aliqua politica sive ecclesiastica 2. fateor mutari materiam honestatis *communis* de qua loquor, secundum tempora & loca; sed an inde sequitur materiam honestatis naturalis etiam mutari secundum tempora & loca, id est (ut explicationem explicatione compensem) secundum morem, qui diversis temporibus & locis diversus est? Minime gentium. Nam non pendet ea ex more sive consuetudine recepta, sed ex instinctu naturæ, ut si quando mu-

mutatio incidit materiæ illius, mutatio illa non sit arcessenda à more qui non omni tempore & loco idem est, sed à necessitate gravi. 3. Conjunxerat vir doctus tẽpora locis: sed aut loquebatur de honestate communi de qua ego agebam adversus Dialogistam, aut sine adversario ut ipse alibi loquitur bellacem se ostendebat. 4. Omnino improbo, quod honestatem citra ullam distinctionem, pro temporibus & locis diversam facit vir doctus. Nam hoc dato, non peccabit qui nudus inter nudos Americanos discurrerit: Qui inter populos ubi id moris est vivens, in propatulo, omnibus spectantibus cum uxore sua rem habuerit. Qui cum viris Formosanis comã muliebrem gesserit, & capillis, ubi id moris est, caput obvolverit. 5. Longitudo & brevitas, capillorum nõ sunt materia prȩcepti de honestate, quã auctor Dialogi communem vocat, adcoq; nõ sequitur conclusio. 6. Nó probat vir doctus id quod prȩcipit Apostolus, Corinthiis, & quidem illo tempore proprium fuisse. 7. Quȩ habet hic de lege naturȩ & gentium ac tali peccato quale fugillatur Rom. 1. 26. supra abundè excussa fuerunt. Cadit ergo quod ait de eversa à me opinione Poimenandri. Pergit. 3. *Cũ negat se de ea re locutum esse, sed tantũ de honestate communi quæ sine peccato non possit insuper haberi, manifesto profitetur, se præcepti quidem de honestate communi, circa capillos rationem semper haberi velle, sed materiam illius præcepti, 1. ipsam capillorum sive longitudinem sive brevitatem liberã relinquere, prout hoc illove tempore aut loco mos communiter receptus est. Ita enim honestatem communem definiverat auctor Dialogi, cui in eo vir doctus assensus est thes.* 20. *Auctori inquit Dialogi de notione honestatis communis litem non moveo. Quæ cum ita sint, quam apertè causam Poimenandri deserat & re ipsa in nostras partes transeat, attento lectori judicandum relinquo.* Resp. 1. Mutat verba mea vir doctus & ex claris ambigua facit, nam vocula *quæ* in verbis *quæ sine peccato non possit insuper haberi* perinde accipi posset ac si statuerem duplicem esse honestatem communem nimirum unam quȩ sine peccato insuper haberi possit, alteram quæ non possit; quod alienum à mente mea esse, verba theseos meæ supra adducta docent: & porro liquet ex disp. Text. p. 4. thes. 6. 2. Non significo quod ait vir doctus me significare. nam moderamen quod circa brevitatem & longitudinem capillorum observandum est, non refero ad eam speciem ho-

neſtatis quam Dialogiſta honeſtatem communē appellavit & *more qui ſit regula decori* definivit: ſed ad eam quam cum doctiſſimis Theologis honeſtatem naturalem appellavi, quam nec ipſe Dialogiſta diffitetur; nec more, ſed lege Dei & natura definit. 3. Certe dixi me non movere litem auctori Dialogi de *notione honeſtatis communis* theſ. 20. ſed an inde ſequitur me ſtatuiſſe, ad honeſtatem communem (quam vocat Dialogiſta) pertinere moderamen circa capillorum brevitatem aut longitudinem obſervandum? Qui legit quæ à me diſputata ſunt de capillis, nullam hanc conſequentiam eſſe agnoſcet. Nolui movere litem Dialogiſtæ, (quod tamen facere, ſi libuiſſet, potuiſſem,) de eo quod genus illud decori quod more nititur, *honeſtatem communem* appellet, minime tamen conceſſi moderamen circa brevitatem & longitudinem capillorum ad genus illud decori pertinere. 4. Vir doctus, cum colligit ex eo quod dixi me auctori Dialogi non movere litem de honeſtate communi, me ad honeſtatem illam communem referre decorum quod circa brevitatem & prolixitatem capillorum eſt obſervandum; nullam aliam hic (ut etiam antea) agnoſcere ſe oſtendit honeſtatem quam eam quam Dialogiſta *communem* vocat & more definit: quod eſt contra ipſum Dialogiſtam vide dialogi pag. 102. & ſimul abſurdiſſimum ut antea oſtenſum fuit: vel perinde argumentatur ac ſi quis nominato homine, equum ſubintelligi diceret. Quę cum ita ſint, quam nullo modo cauſam Poimenandri deſeram, & non tranſeam in partes viri docti, (qui ut paſſim, ſic & hic, docet, decorum quod in capillis obſervandum, *ex more qui ſit regula decori*, pendere, adeoque ſi mos tulerit, viris decorum futurum ut comas intonſas gerant, iiſque caput obvolvant, mulieribus ut eas attondeant, aut utriſque ut indiſcriminatim tonſo vel intonſo ſint capite) attento lectori judicandum relinquo.

„ Sequitur in eadem illa Theſi mea 21. 2. Quantum ad conſilia; „ inquit Theſ. 9. conſilia ſive præcepta prudentiæ in Scriptura ex- „ ſtare circa res per ſe indifferentes. Atque huc adducis (lege addu- „ cit) Prov. 6. 1. & 11. 15. dicitque Salomonem iis locis dehortari „ ne fide jubeamus pro amico vel pro extraneo; non quod hoc in ſe „ ſit illicitum Gen. 43. 9. Philem. verſ. 19. ſed quod damnoſum niſi „ magna cum circumſpectione fiat. R. 1. & hoc ἀπροσδιόνυσον (lege ἀ- „ προσδιόνυσον) eſt. Nam inter me & Dialogiſtam non diſputabatur de com-

commodo & incommodo: sed de decoro & indecoro, de hone- „
sto & inhonesto. 2. Consilia Dei (qualia sine dubio sunt de qui- „
bus hic auctor loquitur) mandata sunt ut ait Iunius animad- „
vers. in Bell. controv. 5. lib. 2. cap. 7. Vir doctus repetitis quæ „
thesi nona dixerat respondet ad 1. *Disputatur inter te & Dialogistam de voce ἀτιμίας. eam tu dicis esse ἁμαρτίαν vel implicitè, vel explicitè, Dialogista hoc negat, & ατιμίαν etiam in transgressione decori esse ait quæ sine peccato fieri potest. talem ἀτιμίαν detrimentum esse ostendo* thesi XI. *Vides ergo* indecorum *& inhonestum in hoc posteriori genere recte referri ad damnosum. Atque addo non quod ego hic attuli, sed quod tu reposuisti ἀπροσδιόνυσον esse.* Resp. Nullam hic consequentiam video: sed commissuras sine calce. Vere me id dicere ut liqueat, paucis series disputationis inter me & Dialogistam de voce ἀτιμίας aperienda est. Res ita se habet: Dialogista vellicans explicationem vocis ἀτιμίας loco de quo quæstio est à me datam disp. text. p. 2. th. 10. improperabat mihi quod post multas ambages eo tandem devenirem ut pro eo quod est *indecorum* τὴν ἀτιμίαν censerem esse intelligendam. Deinde ipse distinguit, inter genus indecori quod tantum peccat contra decorum & honestatem communem ubi aliquid fit quod non decet, aut quod ridiculum est, aut minus ei qui facit, honestum & conveniens, quia contra morem facit, qui sit regula decori; & atque in eo nullum peccatum contra legem aut naturam agnoscit: & inter genus indecori quod peccat contra legem Dei & ipsam naturam; quod aliud ipsi non videbatur præter illud quod sexus confundit quos natura discriminavit. Vide Dialog. p. 100. 101. 102. Hisce me opposui disp. t. p. 4. th. 6. atque inter alia oppugnavi 1. quod diceret in transgressione honestatis communis nullum esse peccatum. 2. Quod affirmaret aliud non esse indecorum quod peccet contra legem Dei & naturam præter illud quod sexus confundit. Disputatum itaque constat inter Dialogistam & me de decoro & indecoro, de honesto & inhonesto & quidem solo, non autem de commodo & incommodo ut cujus nec ego nec Dialogista meminit; adeoque consequitur ἀπροσδιόνυσον esse monitionem viri docti de præceptis & consiliis quorum meminit, ut quæ nulla occasione nititur. At probat vir doctus inter me & Dialogistā de commodo & incommodo disputatum

tatum fuisse, quia Dialogista dixit ἀτιμίαν esse in trãsgressione decori quæ sine peccato fieri potest, & ipse vir doctus Th. x1. talem ἀτιμίαν detrimentum esse ostendit. R. 1. Dialogista non dicit esse ἀτιμίαν, in transgressione decori, quasi ἀτιμία distinctum quid sit à transgressione decori, sed ipsam transgressionem decori, hoc est indecorum vocat ἀτιμίαν. 2. Dialogista non dicit transgressionẽ decori posse esse sine peccato, sed indecorum quod est cõtra honestatẽ cõmunem esse sine peccato. Mutat itaq; terminos videlicet esse in posse. 3. Non potuit vir doctus ostendere ἀτιμίαν apud Dialogistam detrimẽtum esse, quia per ἀτιμίαν illã Dialogista non effectum indecori, sed ipsum indecorum intelligit. Quidquid ergo ostenderit, ad rem de qua agitur nõ pertinet. 4. Litem movi Dialogistæ quod assereret in honestatem communem (quam vir doctus libert. p. 107. & alibi confundit contra mentem Dialogistæ cum honestate in communi considerata) & quidem per summam levitatem peccari, ut tamen legi divinæ injuria non fiat. Hic defendat Dialogistam vir doctus; aut fateatur se quæ dicit de *detrimento* frustra attulisse, & supervacaneam fuisse suam admonitionem de præceptis & consiliis. Prius facere nequit nisi sibi ipsi contradicere velit, nam asseruit libert. pag. 175. nullam rem ratione decori moralis quæ ipsi accedit esse indifferentem: posterius ergo faciat necesse est. 5. Concludit vir doctus ex iis quæ audivimus non suum quod attulit, sed quod ego dico esse ἀπροσδιόνυσον, sed æquus lector judicabit quam legitima sit hæc conclusio: ut quæ ex tam ruinosis præmissis infertur. Ad secundum hæc habet: *Resp. Consilia quæ in S. literis reperiuntur circa res per se indifferentes, facere ut eæ res in se sint illicitæ, nec verum est, nec id Iunius nos voluit credere. Nam dictum suum munit testimonio* Apoc. 3. 18. *Consilium do tibi ut emas à me aurum igni exploratum ut dives fias. Hoc autem consilium non est circa rem indifferentem, sed ad salutem prorsus necessariam. Quod autem addit ex Platone,* ὅτι τῶν τυράννων δόξεις ἀναγκαίως *id recte consideratum pro me facit. Neq; enim id sensum habet quasi quidquid tyranni rogant vim præcepti habeat, ita ut ad id subditi lege adstricti sint, sed consultum esse subditis ne eis temere tale quid negent, ne in præsens periculum atque adeo detrimentum se præcipitent. Exemplum est in Nabotho* 1. Reg. 21. *Quam oppositè porro tyrannorum mores Deo & divinis actionibus applicentur lectoris esto judicium.* Resp.

Con-

Consilia prudentiæ (quæ vocat vir doctus) *de re indifferenti ac libera*, non relinquere rem *talem*, *esseque de iis quæ legis sunt, non autem de commodo vel incommodo* tantum quod rationem peccati non habeat, (quidquid in contrarium dicat disp. 5. thes. 9. & 10.) & verum est, & Iunius id nos credere vult. Iunium autem hoc nos velle credere verba ejus manifeste testantur. Nam ait ad *non mandatum sed commendatum* quomodo pontificii sua consilia euangelica describunt, *Nos vero ullum hujusmodi consilium Christi negamus esse: quin etiam si (quod dicebat Plato)* ἀι τῶν τύραννων δήσεις ἀναγκαίτεραι *longe æquius statuimus consilia Dei mandata esse; ut cum dicit Christus Apocal.* 13. 20. *Consilium do tibi* &c. Quid clarius dici potuit, ut significaretur nihil à Deo commendatum esse quod non etiam mandatum sit? adeoque nulla esse consilia prudentiæ qualia vir doctus propius ad pontificios accedens nobis obtrudit? Nam quid aliud intelligit per consilia illa sua prudentiæ quam quod commendatur quidem, non autem mandatur? Nec prosunt ei quę ex Iunio adfert, ut probet eum non velle nos credere, quod revera nos credere vult. Nam 1. si quid ea ipsi prosint, non probavit Iunius quod probandum susceperat, videlicet nihil consulere Christum, quod non etiam mandet. 2. Locus ille Apoc. 3. v. 18. Ostendit *notionem* consilii Dei, ubi de officio nostro agitur, præceptum notare. Rectè autem adductum à Iunio tantum abest ut vir doctus diffiteatur, ut etiá confirmet. Ait enim consilium illud nõ esse circa rem indifferentem, sed ad salutem prorsus necessariam. 3. Dictum Platonis quod attinet, 1. si id pro viro docto facit, à Iunio male adductum fuit, ut eo probaret, nihil à Christo nobis commendatum quod non etiam mandatum sit. Hoc scilicet est defendere viros de ecclesia Dei optime meritos adversus hostes veritatis! 2. Nullo modo dictum illud Platonis viro docto favet. Nam sensus ejus non est quem ille existimat: nimirum consultum esse subditis ne tyrannis temere quid negent, ne in præsens periculum atque adeo *detrimentum* se præcipitent; verum tyrannos cum precantur, quod petunt non relinquere subditorum arbitrio, sed preces ipsorum coactiones esse, hoc est quod Cicero dixit βιαιοανάγκην. 4. Offendit virum doctum quod Iunius tyrannorum mores Deo & divinis actionibus applicet: sed 1. ea offensio (nisi admodum fallor)

prodit, hoc loco Iunii castigari viri docti sententiam de consiliis & monitis prudentiæ. 2. Non erat cur vir doctus offenderetur dicto illo Platonis à Iunio adducto. 1. Quia vox τύραννος vox mediæ est significationis. 2. Quia Deus ipse nonnunquam actiones suas, (sed secundum quid) actionibus hominum impiorum confert. Vide Ps. 78. v. 65. Luc. 18. 2. & seqq. aliquot. Matt. 24. 43. Apoc. 19. 15. 3. Quia procedit argumentum Iunii à comparatis impariбus, videlicet hoc modo: Si preces τῶν τυράννων qui homines tantum sunt necessitates sint, id est coactiones, longe æquus est, ut consilia Dei mandata esse statuamus. Non video autem quid in hac argumentatione sit quod quenquam ostendere possit.

Verum esse quod *consilia* Dei res circa quas versantur dissuadeant non tantum sub rationi *damni* sed etiam *peccati* sive *illiciti* manifestum est: Quia alioqui liberum relinquetur creaturæ agere contra prudentiam: adeoq; ectio peccato carere poterit quæ sit imprudens. Quod est contra omnium ethicorum placita, etiam contra sacras literas Eph. 5. v. 15. Item licitum erit consilium Dei repudiare. Nec refert quod ait consilia versari circa res in se indifferentes, quia indifferentia illa per consilia illa quæ vocat vir doctus contrahitur, ita ut quod in genere indifferens erat, in specie indifferens non sit, & quod in specie indifferens erat, in individuo indifferens non sit, sed in se, ut vir doctus loquitur, hoc est vere, si consulitur, bonum; si dissuadetur, malum. Progredior ad alia quæ in
» thesi mea 21. sequuntur. 3. Consilia & monita prudentiæ quæ tamen positis ponendis, & in individuo non obligent male probat
» auctor hic ex loco Prov. 6. v. 1. & 11. v. 15. Vt quę præcepta continent. 1. Quia iis agitur de sponsionibus temerariis evitandis; quæ
» certe illicitæ sunt. Illicitum quippe est dona Dei abjicere, se suosque in lites præcipitare, sibique & suis pauperiem accersere, & sibi ipsi media indigentibus benefaciendi eripere. Vide Ioan. 6. v.
» 12. Gal. 6. v. 10. 1. Timot. 5. v. 8. Consule quoque Iunium, Cartwrichtum, notasque novæ versioni Belgicæ additas ad Prov. 6. v. 1.
» Item Perkinsum ad 8. præceptum. Et denique inter pontificios
» Iansenium Gandavensem, Estium, & Cornelium à Lapide ad Prov.
» 6. 1. 2. 2. Quia si locus Prov. 6. 1. 2. præceptum non continet, lon-
» ge difficillimum erit cognitu tradaturne præceptum nec ne. Inquit enim

» enim Spiritus Dei fac istud: eripe te, subjice te, interpella, eripe te » ut caprea. Nec juvant auctorem loca Gen. 43. 9. & Philem. vers. 19. » quæ pro se adducit: quia ea agunt non de qualicunque sponsio- » ne, sed honesta & necessaria. Perinde ratiocinatur auctor hic, ac si » contenderet præceptum quo vetatur homicidium non præceptum » sed consilium & monitum prudētiæ tantum continere, quia magi- » stratus in sontes licite animadvertit, eosque morte plectit. 4. Ipse » auctor Prov. 6. 1. & 11. 15. dehortationem contineri ait: verba » ejus sunt: Exemplo sit Salomo Prov. 6. 1. &c. & 11. 15. ubi de- » hortatur ne fide jubeamus vel pro amico vel pro extraneo. At ha- » ctenus non puto inventum fuisse inter Theologos præsertim refor. » matos, qui inter dehortationem Dei & præceptum ejus negativum » distingueret. Respondet vir doctus: *Quam callide hic status quæ- stionis invertitur! Quæritur an monita sive consilia circa* RES IN- DIFFERENTES *faciant ut illa res* IN SE *sint* ILLICITÆ. *Ne- gavi hoc at vir doctus fingit me dixisse monitum aliquod* POSITIS PONENDIS & IN INDIVIDUO *non obligare. Quod quid sit jam exponendum. Ponenda illa quæ vir doctus nominat sunt circumstantiæ*, quæ rei per se indifferenti *accidunt.* v. g. *accidit sponsioni (ut ipse lo- quitur) temeritas, donorum Dei abjectio accersita pauperies, præcipita- tio sui suorumque in lites* &c. *Ita* IN INDIVIDUO *notat personam hanc vel illam quæ rem per se indifferentem facit; quatenus eam per ejusmodi temeritatem* &c. *vitiose facit. Et hoc sensu dicunt Philosophi (ad quo- rum effatum hic respicit vir doctus) nullam actionem esse indifferentem in individuo. Verum* 1. *Nihil hæc ad me faciunt, cui ne per somnium qui- dem unquam in mentem venit dicere, actionem illam positis circumstan- tiis vitiosis, & quidem talis individui indifferentem esse. Nam illis posi- tis non solum actiones de se indifferentes, verum etiam sua natura bonæ, per accidens malæ fiunt. Et ne frustra disceptando otium perdamus, dixi & dico, comæ (de ea enim agitur) vel tonsuram strictiorem vel incremen- tum paulo prolixius, licet in se sit indifferens, tamen si similes iis quas su- pra habuimus accedant circumstantiæ*, v. g. *lascivia, superbia aut etiam superstitio, hypocrisis (nam utrumque & utroque modo hic peccari potest) in tali individuo cui hæc insunt, non amplius indifferentem sed vitiosam esse. Nec video quid aliud vir doctus dicat. Verum hoc non dicit Poi- menander. Dicit comam in viris paulo prolixiorem esse contra legem na-*

turæ, gentium, divinam; imo esse peccatum contra naturam ex eorum genere quæ Paulus in gentibus abominatur Rom. 1. 26. *Quod si ita habet, non jam positis ponendis nec in hoc vel illo individuo ea vitiosa erit, sed per se & respectu omnium.* Respondeo. 1. Si callidatem (quam antea etiam objecit) mihi jure tribuit quia (ut ait) statum quæstionis muto; sæpissime mihi licitum fuisset ipsi calliditatem objicere, ut qui sæpius deprehensus fuit statum quæstionis mutasse. Videatur inter alia c. 30. hujus operis. Sed injuria mihi facit. Nam si mutavi statum quæstionis (quod non concedo) id factum, errore mentis, non voluntatis vitio. Impingat mihi vir doctus tarditatem ingenii, stupiditatem, & stoliditatem, si ita ei libitum fuerit, calliditatem vero nequaquam: eam enim odi ut qui maxime. Quod si tamen in posterum pergat, ejusmodi emblematis, scripta sua exornare, nanciscetur forsan qui non ea animi moderatione, qua ego, convitia talia laturi sint. Recognoscat vir doctus pratragœdiationem suam quam dedit pag. 153. & 154. 2. Frustra queritur statum controversiæ à me mutatum esse, ratione addita, videlicet quia ut ait, quæritur an monita sive consilia circa res indifferentes, faciant ut illæ res in se sint illicitæ, quod ipse negaverit; ego autem fingo (ut ait) ipsum dixisse monitum aliquod positis ponendis & individuo non obligare. Nam 1. ait thesi x. monita illa de rebus indifferentibus & liberis esse, easque etiam cum posita sunt, relinquere *tales*. Si autem relinquant monita illa res tales, quomodo positis ponendis id est commodis & incommodis qualiacunq; sint, ob quæ monita illa fiunt, & in individuo obligare possunt? Nam si aliquo modo obligant, res indifferentes & liberas, circa quas versantur *tales* non relinquunt. 2. Ait libert. pag. 175. nullam rem ratione decori moralis sive honesti quæ ipsi accedit esse indifferentem, manere tamen IN SE INDIFFERENTEM etiam tum cum habita ratione CIRCUMSTANTIARUM rationem HONESTI INDUIT. Quod si ratio decori non potest naturam actionis in se indifferentis immutare sed eam *in se* indifferentem relinquit, quocunque modo consideratam, an monitum, quod non est de decoro sive honesto morali sed de commodo & incommodo, actionem sive consideretur in genere, sive in specie sive in individuo, ex indifferenti differentē faciet. 3. Ait monita sua non

esse de iis quæ legis sunt thes. 10. Si autem ita est; quomodo fieri potest, ut monita illa, sive ponantur commoda aut incommoda illa, sive absint, sive res ipsis subjectæ considerentur in genere sive in specie sive in individuo, obligent? Neque enim obligatio est ubi non est lex. Fieri quidem potest, ut, posita sententia viri docti de consiliis sive monitis prudentiæ, actio circa res consilio subjectas in individuo bona aut mala ex accidenti evadat: at ut talis evadat ex vi consilii nullo modo fieri potest, ut quod secundum virum doctum, rem relinquit indifferentem & liberam, neque est de iis quæ legis sunt. 4. Vir doctus posita circumstantia incontinentiæ 1. Cor. 7.9. statuit nihilominus matrimonium in se manere liberum v. Thesin ipsius x. Quod si autem etiam posita incontinentia matrimonium in se liberum manet, quomodo tandem monita viri docti in individuo obligabunt? 5. Si consilia & monita viri docti contra quam ipsum sentire dixi, positis commodis & incommodis & in individuo obligant, & ex actione libera non liberam faciant, jam cum præceptis coincidēt. Nihil enim obligandi vim habet quod præceptum nō est. Sed falsum est posterius secundum virum doctum. Nā ait consilia sua non esse de iis quæ legis sunt thesi. 10. item non esse proprie dicta præcepta thes. 11. adeoque nullo modo obligare. Nam nihil obligat conscientiam quod non sit proprie dictum præceptum, sive per naturam manifestatum sive in verbo Dei revelatum. Eat nunc vir doctus & statum quæstionis me CALLIDE mutasse queratur. 3. Retractet vir doctus sententiam suam de monitis prudentiæ, aut agnoscat *temeritatem, donorum Dei abjectionem* &c. ob quę Salomo dissuadet sponsionem, neglectum moniti non facere illicitum. 4. Absurdum est quod ait videlicet quod *ἐν in individuo* notet personam hanc vel illam quę rem per se indifferentem facit &c. Locutus sum more Scholasticorum, qui cum loquuntur de actionibus *in individuo*, id intelligunt, *de individuo actionis*, non *personæ*. Patet quia contradistinguitur actio *in individuo*, actioni *in specie*. Dic ergo, si *ἐν in individuo* notat *individuum personæ*, *& in specie* notare *speciem personæ* Non amo ejusmodi interpretationes. 5. Ait vir doctus ne sibi per somnium quidem in mentem venisse ut diceret, actionem ullam positis circumstantiis vitiosis & respectu talis individui indifferentem esse. Resp.

Dixisti thesi decima disp. 5. monita esse de re indifferenti ac libera, quam talem scriptura esse ac manere velit, etiam post omnia monita; neque proinde esse de iis quæ legis sunt, id est (ut loqueris) in se licita vel illicita, sed de commodo vel incommodo; ac proinde asseruisti, monita quibuscunque causis nitantur, quibuscunque circumstantiis rem quam suadent aut dissuadent vestitam considerent, eam tamen indifferentem relinquere, adeo ut illa iis quæ legis sunt, accenseri nequeat, etiam in individuo considerata, nisi (quod absurdum foret) tibi libeat, monita illa tantum esse de actionibus aut omissionibus in genere aut in specie, non in individuo consideratis. Adhæc cum inter circumstantias (ut more tuo loquar) rei quam monita illa dissuadent vitiosæ compareant (dissuadet enim Salomo Prov. 6. 1. quo monitum contineri dixisti, non præceptum, sponsionem non necessariam, quia conjunctam habet temeritatem, donorum Dei abjectionem, atque alia de quibus thesis mea loquitur) statuendum est, te dicere monita illa etiam positis circumstantiis vitiosis, rem quam dissuadent indifferentem relinquere, & quidem in tali individuo uti loqueris. Dices forte etiam necessariam Salomonem dissuadere sponsionem. At id non admittam. Quia non dissuadet Salomo officium hominis Christiani; nec nos in charitatem & prudentiam peccare vult. Fieri potest, ut hæc cum de monitis prudentiæ in thesibus tuis ageres non videris; attamen hæc ex iis quæ dixisti, sequi manifestum est. 6. Quod addit, *De respectu talis individui* paulo ante rejectum fuit. 7. Non perdimus frustra disceptando otium: interest enim ecclesiæ, ut noscat, num consilia & monita prudentiæ sacrarum literarum quæ tamen non obligent, admittenda sint nec ne. 8. Non disceptamus nunc de coma, sed de consiliis & monitis prudentiæ viri docti, de quibus ipse sibi agendum duxit occasione sumta à concertatione mea cum Dialogista de honestate communi, quam citra peccatum ipse violari posse, & quidem per summam levitatem, statuit, ego vero nego: 9. Non tantum dixit vir doctus (quidquid nunc dicat) comæ vel tonsuram strictiorem vel incrementum PAULO prolixius, in se indifferens esse, vitiari tamen per circumstantias de quibus loquitur. Nam nos præterea docuit honestatem communem imo honestatem in communi consideratam *more qui fit regula deco-*

decori definiri, adeoque etiam viros, si id moris sit, intonsos, imo & capiti circumvolutos posse gerere capillos: mulieres vero attonsos. Vide libert. pag. 107. Vide quoque pag. 180. & 181. 10. Circumstantię hæ si accedant, peccatum quod admittitur adversus decorum in capillis servandum, aggravant: non solæ constituunt. 11. Quandoquidem legit vir doctus quęst. meas textuales; vidit quid amplius dicam. 12. Sententia quam tuetur Poimenander, adhibita benigniori interpretatione quam vir doctus ultro ad Bezæ verba attulit, abunde (ut opinor) à viri docti objectionibus vindicata fuit. 13. Injuriam hic rursus facit vir doctus Poimenandro cum ait eum dicere comas in viris paulo prolixiores esse peccatum *contra naturam* ex eorum genere de quibus Paulus agit Rom. 1. 26. Ostendimus hoc suo loco videlicet hujus operis cap. 4. Pergit: *hæc vera, theologica, sana sunt, nec puto ullum Theologum esse ne ipsum quidem auctorem quicum mihi res est, qui ea negare possit. Ut mirum sit cum in re sit consensus inter utrumque nostrum, & dissensus à Poimenandro, eum ut illum quovis modo defendat cavillari & argutari non desinere.* Resp. 1. Quam vera, theologica & sana sint de quibus vir doctus loquitur modo ostendimus. 2. Quid approbem quid negem eorum, ut sępius, sic etiam paulo ante indicavi. 3. Licet in quibusdam de quibus vir doctus loquitur conveniat inter nos, sunt tamen inter illa, & præterea etiam alia in quibus non convenimus. 4. Si in re inter nos sit consensus, quid me prior thesibus tuis lascessivisti, necessitatemque mea defendendi mihi imposuisti? & nunc iterum, postquam me defendi adversus theses tuas, impetis? 5. In summa rei mihi cum Poimenandro convenit, ejusque defendendi necessitatem imponere mihi voluisti, ut qui dixisti me approbatione mea (quę & Cl. Voetii & Schotani p. m. est) quæ Poimenandri sunt mea fecisse. 6. Cavillari me dicis & argutari: sed aliter (puto) sentiunt ii qui mea legerunt, & præjudicio occupati non sunt. 7. Vbi tu desines mea impugnare, tibi molestus non ero. Prior incępisti, prior desine. Neque enim causam video quare te mea carpente immerito, & quidem sæpius expresso nomine meo, quasi me ad respondendum provocares, mihi mea vindicare sit illicitum. Mallem in alio scribendi genere versari, sed per te mihi non licet esse tam beato. Pegit vir doctus: v. g. *Dicis*

cit Salomon eripe te, subjice te, interpella, eripe te ut caprea, quasi omnia verba quæ grammatice sint imperativi modi, imperium re ipsa contineant, ac non sæpe vel monita, vel etiam preces. Item quasi dicat Salomo, eripe te à crimine, quod spondendo perpetrasti, & non à damno, quod tibi imminet. Item cum monitum de non spondendo cum præcepto de homicidio confert, quasi homicidium usquam inter res de se indifferentes referatur, inter quas manifeste est sponsio. Item cum dehortationem semper idem cum præcepto negativo ait. Quasi cum dehortaretur Elisæ regem Israelis, dicendo. Cavi tibi ne transeas per locum illum, nam ibi Syri insidiantur. 2. Reg. 6. 9. eum dehortatus sit à scelere perpetrando, & non à periculo per imprudentiam adeundo. Quod addit, consule quoque Iunium, Cartwrichtum, & nescio quos alios, id certe consilii arbitror esse, non præcepti. Neque enim leges disputationis me adigunt, ut ad nutum adversarii auctores evolvam: ipse, si videtur ex illis, aut etiam aliis, quæ pro se facere putat colliget, quæ quanti sint postea à nobis despicietur. Resp. ajebat vir doctus me cavillari: sed cavillationes eę quantum video ipsi tales visæ sunt ut sibi consultum judicaverit, ut à nonnullis earum abstineret; solidiores sine dubio eas judicans quam ut iis dentem (ut ipse alibi loquitur) infigeret. Nam 1. probabam loca Prov. 6. v. 1. & 11. v. 15. præcepta continere 1. quia iis agitur de sponsionibus temerariis evitandis: quæ illicitæ sunt ratione addita, quia illicitum est dona Dei abjicere, se suosque in lites præcipitare, sibique & suis pauperiem accersere, & sibi media pauperibus benefaciendi eripere, atque huc adduxi Ioan. 6. v. 12. Gal. 6. 10. 1. Tim. 5. 8. explicationem meam locorum de quibus agebam, etiam confirmavi præstantium virorum auctoritatibus. Adduxi enim Iunium, Cartwrichtum, notas novæ versioni Belgicę additas, (quas antehac cum sibi utiles esse crederet, licet alia in materia, magna cum ostentatione mihi objecit) ad Pro. 6. 1. Perkinsum ad 8. præceptum & deniq; inter pontificios Iansenium Gaudavensem, Estium Corn. à Lapide ad Prov. 6. v. 1. 2. 2. Addebam quod si locus Prov. 6. v. 1. præceptum non continet, longe difficillimum fore cognitu tradaturne præceptum nec ne. Quia inquit Spiritus Dei per Salomonem *fac istud: eripe te, subjice te, interpella, eripe te ut caprea.* At quid ad hæc vir doctus? partim tacet, partim ita respondet, ut φυκοφάγῳ similimus sit. Nam quantum ad primam rationem præ-

præterit silentio quod à me objectum fuit, nimirum Prov. 6. 1. & 11. 15. agi de sponsionibus temerariis, quæ illicitæ sint. Nec non quod dixi de donis Dei non abjiciendis &c. Auctoritates doctorum quos attuli (ut postea videbitur) plane refugit. An non hic exclamare possem ut ipse alibi facit ὑπερφυῶς? Secundum quod attinet, ne verbo quidem attingit quod à me dictum fuit, nimirum difficillimum cognitu fore, si locus Prov. 6. 1. præceptum non continet, tradaturne in scripturis præceptum nec ne: & merito quidem hic tacet. Nam si hic nō traditur præceptum sed consilium sive monitum aliquod prudētiæ quod nō obliget (cum tamen Deus per Salamonē, rē eandē toties inculcet, & sponsionē de qua agit omni ratione fugiendā doceat) quodnam criterium nobis dabit vir doctus unde discernere possimus præcepta divina à consiliis sive monitis prudentię? Sine dubio ęque hic se perplexum inveniet, ac pontificii cum in specie de peccatis suis venialibus & mortalibus agunt. Experiatur vir doctus vires suas, ut nobis (si erramus) viam monstret: cur enim nos errare pateretur quos in viam reducere potest? Vide libert. pag. 119. Ait tamen quasi post naufragium tabulas colligens, 1. Non omnia verba quæ grammatice sunt imperativi modi, imperium re ipsa continere: sed sæpe etiam monita vel etiam preces. Verum hoc non quærebatur: sed si hic locus ubi Deus ait: *fac istud*: *eripe te, subjice te, interpella, eripe te ut caprea* præceptum non continet, quomodo quis dignoscere possit, quando Deus alibi imperandi modo utitur, & quidem non ea multiplicatione imperativorum, utrum præceptum tradatur an monitum prudentiæ? 2. Quandoquidem certum est verbis quæ sunt imperativi modi, plærumque in sacris literis ubi Deus homines alloquitur, imperium notari, quomodo probabit quod asserit, verbis hisce monitum sive consilium prudentiæ quod non obliget, tradi? Quod si dicat se inde id colligere, quia dissuadetur hic sponsio sub ratione detrimenti, non vero illiciti, quęram 1. an omnis sponsio hic dissuadeatur, an vero aliqua tantum? si prius dixerit concedendum ipsi erit Apostolum cum spopondit Philem. v. 19. contra consilium & monitum prudentiæ egisse, & cum Apostolo quotquot spondent, etiamsi sponsio fiat ad liberationem fidelis qui præter omne meritum suum ab infidelibus in servitutem calamitosissimam abductus est.

Si posterius, quæram quænam tandem illa sit sponsio quæ hic dissuadeatur sub ratione incommodi tantum? non dicet utique eam esse necessariam sed temerariam. Nam si necessariam se intelligere dicat, etiam concedendum ipsi erit: charitatis esse aliquando imprudenter agere. Monita enim illa viri docti, PRUDENTIÆ SUNT. Dicendum itaque est, sponsionem illam non aliam esse quam temerariam, adeoque ipsi concedendum erit sponsionem temerariam non dissuaderi sub ratione illiciti vel peccati, ac proinde licitum esse, dona Dei abjicere, se suosque in lites præcipitare, sibi suisque pauperiem accersere, & sibi media indigentibus bene faciendi eripere. 2. Quæram unde habeat quod dissuadetur à Deo sub ratione detrimenti non dissuaderi sub ratione illiciti? Putabam ego quod quidquid dissuadet Deus ut detrimentosum, etiam dissuadeat ut illicitum, quia Deus vult ut secundum prudentiam & charitatem incedamus Matt. 22.39. Eph.5. v. 15. 29. Inquit Salomonem non dicere eripe te à crimine quod spondendo perpetrasti, sed à damno quod tibi imminet: Resp. 1. Cum Salomo inquit eripe te &c. peccatum temere spondendo admissum esse ostendit, & cavendum monet, ne socordia nostra negligentes damnum quod ex sponsione temeraria imminet, novum peccatum priori addamus. Qui enim cum potest, & licitum est, fortunis suis non consulit, peccat. Ioan.6.12. Gal.6.10.1.Tim.5.8.2. Ad loca Gen.43. 9.& Philem. 19. quæ pro se adduxerat respondi ea agere de sponsione honesta non temeraria. Quid hic vir doctus? iterum tacet. An ergo si ipsum sequi vellem, exclamare non possem ὑστερικῶς? 3. Addidi perinde ratiocinari virum doctum, ac si contenderet præceptum quo vetatur homicidium, non præceptum sed consilium & monitum prudentiæ tantum continere, quia magistratus in sontes licite animadvertit, eosque morte plectit. Quid hic vir doctus? Ait homicidium nusquam inter res indifferentes referri inter quas manifeste sit sponsio. Resp. Vt homicidium non est res indifferens, sic neque sponsio temeraria. At ut occisio hominis in genere considerata est res indifferens, sic etiam sponsio. Quodsi ergo vir doctus existimat monitum prudentiæ non præceptum contineri Prov. 6. 1. & 11.15. ubi, ut ostensum, dissuadetur sponsio temerara, non sponsio in genere considerata: an non etiam ipsi dicendum erit tale mo-

le monitum prudentiæ esse præceptum quo vetatur homicidium? Quia ut sponsio sic & occisio hominis aliquando bene fieri potest. Sic enim argumentandum erit viro docto: nulla actio quam aliquãdo honestari cõtingit, ubi dissuadetur, sub ratione illiciti dissuadetur: adeoq; dissuasio illa monitum sive cõsilium prudentiæ tãtum continet. Atqui sponsio talis est actio. Ergo. Quod si autẽ valet viri docti major, subsumam ego: Atqui occisio hominis talis est actio. Et concludam; ergo cum occisio hominis, dissuadetur, nõ dissuadetur sub ratione illiciti, sed talis dissuasio consilium sive monitum tantum prudentiæ continet, ac proinde tale monitum sive consilium erit præceptum quo vetatur homicidium. 4. Dixi ipsum virum doctum affirmare Prov. 6. 1. & 11. 15. dehortationem contineri, addidiq; me putare hactenus non inventum fuisse inter Theologos præsertim reformatos qui inter dehortationem Dei & præceptum ejus negativum distingueret? Quid hic vir doctus? plane silet, ac proinde silentio suo fatetur, se hic prorsus novam viam calcare, & aliis monstrare. videat ergo quam laudem hic mereatur. Nam lib. 1. rt. pag. 167. *Nova* (inquit) *me allaturum non sum pollicitus, neque quum hoc in Theologia laudem mereatur videre possum.* Negat tantum dehortationem semper idem esse cum præcepto negativo. At qua quæso ratione. Quia Elisa 2. Reg. 6. 9. dicens ad regem Israëlis: cave tibi ne transeas per locum illum; nam ibi Syri insidiantur, eum dehortatus non est à scelere perpetrando, sed à periculo per imprudentiam adeundo. Resp. 1. Semper dehortationes divinæ de quibus agimus idem sunt cum præcepto negativo. 2. Si dehortatio illa Elisæ tantum monitum sive consilium prudentiæ quod non obligaret, continebat; non autem præceptum negativum, utique licitum fuisset regi Israëlis, locum indicatum adire, se exercitumq; suum in periculum præcipitare, & Deum tẽtare. Prophetæ ergo cum Regem dehortatur ab adeundo loco illo propter periculum quod suberat, conscientiã ejus obligat, adeo ut sine peccato, contrarium facere non posset. 3. Quasi vero inter peccatum & scelus nulla sit differẽtia? 4. Quasi scelus nõ sit, si Rex exercitum suum adeoq; & Remp. licet monitus fuerit, in certã pernicie præcipitet?. 5. Tandẽ à quarta mea ratione ad primam recurrit & primo præsidium aliquod causæ suæ quærit ex eo quod dixi *consule*

quoque Iunium, Carthvvrichtum neſcio inquit *quot alios.* Aitque id eſſe *conſilii* non *præcepti*, quia leges diſputationis (ut inquit) ipſum non adigunt, ut ad nutum adverſarii auctores evolvat. Reſp. 1. Quid hoc ad rhombum? Nam 1. ſic non probat Prov. 6. 1. & 11. 15. non agi de ſponſionibus temerariis contra quam auctores à me adducti docent. Item, non oſtendit, facile cognitu eſſe ſi locus Prov. 6. v. 1. non continet præceptum, quando præcepta, quando conſilia det Deus, nec aliquid eorum quæ à me dicta ſunt enervat. Forte voluit confirmatum dare non omnia verba quæ grammatice ſunt imperativi modi, imperium continere re ipſa ſed ſæpe vel monita vel preces. Sed id neceſſum non erat. Nemo enim ei ea de re litem movit. Imo etiam alios præterea habere uſus verba imperativi modi ultro concedo. 2. Ego mihi non arrogo *poteſtatem* viro docto *præcipiendi* ut adeat auctores à me pro ſententia mea adductos, (quamvis id ſine magna moleſtia facere potuiſſet, loca enim quibus quod volui dicunt, indicaveram.) æquitas tamen poſtulabat, ut eos inſpiceret, ut aut ſe diverſum ab auctoribus illis ſentire fateretur, aut male à me citatos doceret. Præſertim quandoquidem id non omiſit, libert. p. 106. cum male à me citatum Cornelium à Lapide putaret; licet res ipſi feliciter non ſucceſſerit. Me quod attinet; nolim ita ſubterfugere moleſtiam reſpondi, quemadmodum vir doctus hic facit. Sed quid ego hoc urgeo? cum ne quidem viro docto integrum fuerit, rationum mearum momenta quibus hoc commate theſeos meæ 21. uſus ſum lectori repreſentare, nedum ut eas, κατὰ πόδα refutare conaretur.

CAPUT XXXII.

DE loco ad Corinth. 7. Subterfugium interceptum pervium. Contradictio. Vox ἀσχημονεῖν an pariat monita non obligantia. De charitate. In dubiis quid ſequendum? De dictamine conſcientiæ, Beza de voce ἀσχημονεῖν. Interpretes Belgici. Commodum & decorum an & quomodo ſubordinata? Jus auctoris. Impoſſibile. Criminatio retuſa. Conſilia & monita viri docti an in particulari ſecundum ipſum obligent? Contradictiones. Omnes actiones humanæ legis ſunt. Contradictiones. Admonitio intempeſtiva. Injuria. Diſcrimen ſententiæ viri docti & auctoris de coma. Conſilia & monita divina quæ non obligent eliſa, Spanhemius. Rivetus. Davenantius. Pareus. Concordia diſcors. Si-

len-

lentium viri docti. Davenantius. Vox dehortationis an consiliis viri docti conveniat? de Dialogista. Criminatio de insidiis retusa. Mutatio terminorum. An vir doctus & Dialogista se non præcipitent in consilia perfectionis? Querimonia retusa. Æquitas neglecta. Contradictio. Dialogista quomodo consideret honestatem, quam vocat communem. Consilia. Scabies pontificia vel sociniana. Spanhemius. Distinctio neglecta. De matrimonio. Consilia præcepto contraria secundum virum doctum. Tonsura & nutritio comarum. Junius Pastor Delphensis. Dissensus Dialogistæ & viri docti. Contradictio. Fœnum & palea γνώμη. Pareus. Beza impugnatus à viro docto. Erasmus. Proprietas verborum. Scabies pontificia. Junius. Rivetus. Aristoteles. Versio Belgica. γνώμην δίδωμι. Suidas. Phavorimus. Glossaria. Henr. Stephanus. νομίζω. Æmilius Portus. Henr. Stephanus, γνωμοδοτέω. Beza. Gnomæ divinæ de commodo & incommodo. Ut ab humanis differant. Periphrasis Gallica Bezæ. Diodatus. ejus à viro docto dissensus. Oecumenius. Contradictio. Rhetores. Reprehensio injusta. Conditio æqua. Officium viri docti. Contra naturam. Nutritio capillorum virilium contra naturam & quomodo. Dialogista male defensus. Ignoratio elenchi. ἀκυρολογία. Actio vitiosa in sensu diviso honestabilis an contra naturam esse possit. 1. Somnium. Lusus. ἀβλεψία. tenebræ pulsæ. δᾶρον ἄδωρον. Judicium de effato quodam Dialogistæ. Gloriatio repressa. Absurda. Debitum indebitum. Hadrianus Junius. Erasmus qualis. Testis qualis. Gloriatio inanis.

PRogredior ad defensionem eorum quæ occasione th. x. disp. 5. Viri docti ad locum 1. Cor. 7. à me disputata fuerunt thesi eadem 21. ubi sic loquor: Deinde confert se ad 1. Cor. 7. atq; inde quod dixit de consiliis & monitis prudentiæ non obligantibus se probaturum confidit: Sed & hic frustra est. Nam 1. Apostolus ut ipse ait differit de commodo. At inter Dialogistam & me controversia erat, de decoro & indecoro, de honesto & inhonesto. 2. Non probatur inde quod intenditur. Tractat enim Apostolus eo loco de matrimonio usuq; ejusdem, de cælibatu, viduitate & virginitate, eaque in genere considerata indifferentia esse docet, at minime talia esse dicit respectu hujus aut illius particularis personæ, cum circumstantiis suis consideratæ. Quin imo manifeste docet, iis qui donum continentiæ non habent matrimonium esse contrahendum v. 9. Neutiquam ergo dicendum est Apostolum docere iis quæ dicit, obligandi vim non inesse respectu particularium personarum cum circumstantiis suis consideratarum, licet matrimonium, usum ejus, cælibatum, virginitatemque ut in genere considerantur, inter indifferentia collocet. Nam si contra-

„rium ſtatuatur & dicatur Apoſtolum velle eum qui habet donum „continentiæ, nec ulla alia neceſſitate conſtringitur, poſſe li„cite matrimonium contrahere, atque adeo τὴν γνώμην Apoſtoli ne„gligere; ſtatuendum erit Apoſtolum docere licitum eſſe rectæ ra„tioni obniti. Suadet enim ea ne nos citra cauſam difficultatibus, „quas magnas ſecum trahere matrimonium docet Apoſtolus in„duamus. Vir doctus repetita ſententia theſeos ſuæ x. ubi de loco Apoſtoli 1. Cor. 7. agit, reſpondet ad primum 1. id ſubterfugium eſſe quod interceptum mihi ſit ad Theſin IX. Nec operæ pretium eſse ut quæ ibi dicta ſint repetantur. Reſpondeo 1. Subterfugium id non eſſe, nec interceptum, oſtendi cap. 31. 2. Certe non eſt operæ pretium ut quæ vir doctus attulit repetantur, quoniam nullam ſoliditatem habent. 2. Reſpondet: *hoc tantum addo, de ejuſmodi incommodo ibi agere Apoſtolum, quod non ſolum conſiſtat* ἐν τῇ ἐνεστώσῃ ἀνάγκῃ v. 26. θλίψει v. 28. μερίμνῃ v. 32. *ſed &* ἐν τῷ ἀσχημονεῖν v. 36. *indecoro, ut ipſe Beza vertit. Unde patet non eſſe iſta opponenda, quod vir doctus facit, ſed ſubordinanda.* Reſp. 1. Quandoquidem id nunc primum excogitavit vir doctus antea ad id reſpondere non potui. 2. Vult vir doctus ad monita ſive conſilia prudentiæ quę non obligant etiam ea quę de decoro & indecoro ſunt pertinere. Quod eſt contra id quod dixit pag. 175. *Nempe nullam rem ratione decori moralis quæ ipſi accedit eſſe indifferentem.* Non obligamur ergo ad decorum ſecundum virum doctum, & tamen ſecundum eum ad idem decorum obligamur. Conciliet hæc qui poteſt. 3. Neſcio quomodo vir doctus ex voce ἀσχημονεῖν qua utitur Apoſtolus, etiam decorum & indecorum ad conſilia ſive monita prudentiæ quæ non obligent pertinere colligat, cum nec vox per ſe id det, nec ex textu erui poſſit. Non dat id vox per ſe ut quæ etiã Rom. 1. 27. ubi de fædiſſimo peccato ſermo eſt, uſurpatur. Nec ex textu erui poteſt. Nã nõ dicit Apoſtolus eum qui ἀσχημονεῖν ἐπὶ τὴν παρθένον ἁμαρτάνει ſi eam nõ elocet, & ſic fieri debet, non peccare, ſi id non faciat. Et quo modo id quæſo diceret? Quandoquidem ipſe ait ejuſdem Epiſt. c. 13. v. 15. charitatem οὐκ ἀσχημονεῖν. Nec poteſt hic excipi ἀσχημοσύνη de qua hic loquitur Apoſtolus tantum eſſe putativam, quandoquidem (licet ita eſſet) etiam ἀσχημοσύνη, in rebus alioqui mediis, quam quis ſibi imaginatur, fugienda eſt.

Quia

Quia in rebus dubiis pars tutior sequenda est: & is qui judicat esse ἀσχημοσύνην in re quam facit, saltem interpretative contra charitatem quæ οὐκ ἀσχημονεῖ agit, & dictamini conscientiæ quæ docet ἀσχημοσύνην non esse committendam, (quia contra charitatem est) obluctatur; adeoque & præcepto Dei, ut quo nititur dictamen conscientiæ. 4. Vertit Beza τὸ ἀσχημονεῖν per *aliquid indecorum committere*: Sed 1. propterea non sensit Beza per indecorum illud constitui consilia sive monita prudentiæ scripturarum quę vir doctus nobis propinat. Si erro ostendat id vir doctus: cur enim me errare pateretur quem in viam reducere potest? 2. Nunquam probabit vir doctus licitum esse contra decorum agere: & si id niteretur probare thesin suam (v. libert. p. 175.) everteret. 5. Nescio quid sibi velit vocula IPSE cum ait ut IPSE Beza vertit. Suspicor virum doctum voluisse significare, Bezam à consiliis & monitis illis prudentiæ alienum esse. 6. Non possum hic præterire quod interpretes Belgici quos magno cum strepitu verborum vir doctus libert. pag. 147. mihi objecit τὸ ἀσχημονεῖν in notis ad locum illum explicuerint per id id quod decens aut consultum non est, nimirum si quis virginem suam contra naturam aut inclinationē ejus impediret nubere: vel etiam contra requisita *constitutionis familiæ suæ*. Verba ipsorum sunt. **D. niet wel betamelijck of bedachtelijck / soo hy sijne maegt tegen haere nature ende genegenheyt soude beletten te trouwen: ofte oock wel teghen den epsch vande gelegenheydt sijner familie.** Hæc enim talia sunt, ut tollant præsidium quod hinc quærit vir doctus consiliis & monitis suis prudentiæ. Nam nemo opinor dicet patri licitum esse filiam suam ad virginitatis statum damnare, cum natura & inclinatio ejus ad matrimonium fertur. Aut filiæ nuptias impedire (modo in domino nubere possit, & velit) ubi ejus nuptias paternæ familię ratio & constitutio poscit. 7. Si incommodum & indecorum sint subordinata, explicet mihi vir doctus utrum utri subordinetur: id est an indecorum sub ordinetur incommodo, an vero subordinetur incommodum indecoro: item de qua subordinationis specie loquatur. Nam subordinationum diversæ sunt species. Et denique, quid intendat per hanc subordinationem de qua loquitur, ut videam quid mihi respondendum sit. Quum enim vir doctus

ctus paulo ante negaverit se per leges disputationis teneri ut evolvat auctores quos ego pro me citaveram, licet eorum loca indicassem, multo minus ego per leges disputationis obligor, ut conjectando assequar quæ ipse aperire aut non potuit aut non voluit. Dico tamen nunquam ipsum assecuturum per subordinationem de qua loquitur, ut probet se thesi x. de decoro, de quo ego disputabam cum Dialogista esse locutium: aut decorum & indecorum pertinere ad consilia & monita prudentię quæ non obligent, qualia ille nobis obtrudere nititur. Pergit: *Recte autem me dixisse Apostolum differere de commodo licet è præcedentibus satis clarum sit, eo tamen etiam illustratur quod* v.28. *ait,* ἐγὼ δὲ ὑμῶν φείδομαι. & v.35. τοῦτο δὲ πρὸς τὸ ὑμῶν σύμφορον λέγω. R. An ego negavi Apostolum 1. Cor. 7. de *commodo* & *incommodo* agere? mutat ergo vir doctus (quod mihi nuper objecit) statum quæstionis. *Callide id ipsum feciſſe*, non dicam tamen. Ad secundum ait: *Nihil hic quod non è re mea sit reperio*, & paulo post: *Sed de duobus monendus est.* 1. *Injuriam mihi ab eo, per imprudentiam haud dubio, fieri, quod aliud* à me INTENDI *dicat, nempe ea quæ Apostolus dicit obligandi vim non habere* RESPECTU PARTICULARIUM PERSONARUM, *cum circumstantiis suis consideratarum. Vbi enim ista dixi? hoc unum inculcavi, non agere Apostolum de iis quæ* LEGIS *sunt id est* IN SE LICITA VEL ILLICITA. *Quæ explicatio me ab illo sensu quem mihi affingit vir doctus absolvit. Aliud enim est rem illicitam esse* IN SE, *aliud respectu hujus vel illius personæ, cum his & illis circumstantiis, quæ ad rem ipsam per accidens se habent.* R. 1. Sentiet mox vir doctus an quæ dixi pro se faciant. 2. Longe mitius hic loquitur (quod laudandum) cum mihi imprudentiâ tribuit: (nam ea mihi cum aliis multis, etiâ optimis communis est) quam cum nuper calliditatem mihi impingeret. 3. Injuriam me viro docto non facere & dixisse ipsum quod se dixisse negat, sic probo. Qui contendit consilia & monita prudētię versari circa matrimonium, usum ejusdem, cælibatum, viduitatem, virginitatem pro ut res sunt indifferentes & negat per monita constitui in esse aut boni aut illiciti; item negat ea præcepta proprie dicta esse: is quoque negat iis quæ dicit Apostolus, id est consiliis Apostolicis (nam hæc sunt ut vult vir doctus de quibus loquitur Apostolus) de rebus istis vim inesse obligandi respectu par-

particularium personarum cum circumstãtiis suis consideratarum. Sed prius facit vir doctus. Ergo. Probatur major: 1. Quia si ea non valet, coincidet consilium cum præcepto hypothetico, quod positis ponendis obligat, & veri nominis est præceptum, quale est præceptum de non mutilando se, de non occidendo altero. At hoc est cõtra hypothesin viri docti qui negat consilia esse præcepta proprie dicta. Probatur minor ex th. 10. Vbi ait, *Ita* quæcunque *differit Paulus* 1. Cor. 7. *De muliere non tangenda* v. 1. *Intermissione usus conjugii*, v. 5. *Cælibatu & viduitate* v. 8. *Virginitate* v. 25. *certum est esse de* RE INDIFFERENTI *ac* LIBERA, *quamque* TALEM *esse ac* MANERE *Paulus expresse vult, etiam* POST OMNIA SUA MONITA. v. 6. 9. 25. 26. 28. 35. *Neque proinde esse de iis* QUÆ LEGIS *sunt* 1. *in se licita vel* ILLICITA, *sed de* COMMODO *vel* INCOMMODO *eorum ad quos scribebatur*. & thesi XI. *vidimus ex ἀπρεπείας voce non sequi ἁμαρτίαν, nec ex opposito ejus decoro sive communi honestate præceptum* PROPRIE *dictum*. Conferat hæc lector cum disp. 3. th. 8. & videbit idem objectum statui moniti Paulini 1. Cor. 11. cum eo circa quod cõsilia occupari vult: nimirum non *rem legis* uti loquitur, sed *commodum* & *incommodum*. Item quod habet thes. XII. disp. hujus 5. quam hic vindicare nititur. 2. Si consilia viri docti respectu particularium personarum cum circumstantiis suis consideratarum obligant: id faciunt aut qua consilia: aut qua præcepta. Non qua consilia: Quia statuit vir doctus versari consilia circa res indifferentes quas tales relinquant. Non qua præcepta: Quia *consilia* seu monita *prudentiæ* diversa facit à præceptis. 4. Si hoc unum inculcavit vir doctus, non agere illic Apostolum de iis *quæ legis* sunt id est in se *licita* vel *illicita*: Necessum est ut egerit de bonis, adeoque non indifferentibus. Nam agit ibi de actionibus humanis. omnes autem actiones humanæ quæ nec licitæ, nec illicitæ sunt, necessario bonæ sunt; ac proinde non indifferentes, quod est contra hypothesin viri docti. Errorem esse judicabam mentis ad alia intentæ, cum id legerem primum disp. 5. th. 10. sed video id hic à viro docto repetitum nec correctum. 5. Voluit vir doctus, tradere Apostolum consilia sive monita prudentiæ de commodo & incommodo quæ non obligent, sed rem indifferentem relinquant. Qualia nego ex capite illo extundi posse. Hinc patet quomodo viri docti

hæc explicatio ipsum absolvat. 6. Omnes actiones humanæ legis sunt : nec ulla actio datur quæ legi non subjiciatur. Nam omnis actio humana vi legis constituitur aut bona, aut indifferens, aut mala. 7. τὸ *in se* frustra additur. Nam si consilia illa non simpliciter rem liberam relinquant, non sunt consilia non obligantia, sed præcepta proprie dicta; quod est contra viri docti hypothesin. 8. Illa quæ respectu consiliorum *per accidens* se habent, non sunt ullo modo de ratione consiliorum de quibus vir doctus loquitur. Atque adeo vi illorum consilia obligare nequeunt. Vnde rursus sequitur virum doctum dicere quod se dixisse negat, nimirum consilia sive monita prudentię *positis ponendis & in individuo* non obligare. v. libert. pag. 183. Pergit : *Alterum de quo eum moneri opportunum arbitramur, est quod per hanc suam sententiam, (quæ verissima est) Poimenandrum non defendat, sed mecum oppugnet. Ita ut Deo & invictæ veritati gratias immortales debeam, quod eum qui videbatur adversarius mihi adjutorem dederit. Quid enim? An Poimenander dicit comam virilem prolixiorem in genere esse* INDIFFERENTEM, *illicitam autem tantum respectu particularium personarum cum his vel illis circumstantiis consideratarum? Qui hoc potest, cum ea statuat committi* PECCATUM *contra* NATURAM? *est ne hoc peccatum contra naturam in genere* INDIFFERENS? *reliqua non addo, nam res ipsa clamat quantopere hoc sit falsum & δύσφημον. Discrepat ergo immane quantum, sententia viri docti, quæ & mea est, ab opinione Poimenandri.* Resp. Admonitio hæc admodum intempestiva est. Nam 1. Disputatur hic num Apostolus agat 1. Cor. 7. de consiliis sive monitis prudentiæ quæ non obligent : inter quæ non comparet consilium sive monitum aliquod de coma. 2. Male probat vir doctus Poimenandrum non statuere comam in genere esse indifferentem, nam sępius jam negavi, ipsum asserere coma committi peccatum *contra naturam*, pro ut vir doctus phrasin hanc passim accipit. Vide quæ hujus operis cap. 4. à me disputata sunt. Adeoque tota hęc admonitio à re de qua agitur non tantum aliena est, sed etiam injuriam Poimenandro facit, ac proinde injusta est. 3. Discrimen esse inter sententiam meam & viri docti de coma inter alia vel hoc docet, quod ego more qui sit regula decori comæ brevitatem vel prolixitatem definiendam negem, ipse vero affirmet. Adeo ut mirum

rum sit ipsum jam iterum dicere inter nos consensum esse. Præter hæc quæ jam expensa sunt, vir doctus ad verba theseos mea 21. initio hujus capitis allata, nihil affert: ac proinde, quod in fine illorum dixi, videlicet, absurdum esse si quis statuat Apostolum docere licitum esse rectæ rationi obniti, concedit, ut quod attingere ausus non fuit. Hinc autem consequitur quotquot in sacris literis exstant consilia vel monita prudentiæ (ut loquitur vir doctus) totidem esse veri nominis præcepta. Nam monita illa prudentiæ de commodo & incommodo cum suadent commodum sequendum non aliter suadent illud quam quatenus rectę rationi est consentaneum: & cum dissuadent incommodum, non aliter dissuadent, quam quatenus illud rectæ rationi repugnat. Si ergo illicitum est, rectæ rationi obniti, illicitum quoque erit commodum quod suadent negligere, & incurrere incommodum quod dissuadent. Occubuere ergo consilia sive monita illa prudentiæ quæ non obligĕt, & alterius naturæ sint quam præcepta. Origo erroris viri docti est, quod non distinguit inter præcepta absoluta & hypothetica, universalia & particularia. Libet hic adscribere sententiam Clar. Viri Fred. Spanhemii de cōsiliis. is ergo dub. Euang. p. 2. dub. 94. p. 647. & 648. sic ait: *Fundus mali consistit in fabrica nova consiliorum euangelicorum, materia, subjecto, forma, fine diversorum à præceptis. Consilia expedientiæ dari possunt, perfectionis non item, prudentiæ non meriti, in adiaphoris non necessariis nec tam in rebus quam in circumstantiis rerum, Hominum etiam suasiones, consilia sunt,* DEI, PRÆCEPTA. *Nos superiorum, æqualium etiam quandoque consilia, præcepta vocamus, & nobis Dei consilia inferiori loco erunt?* NIHIL DEUS CONSULIT, QUOD NON BONUM, JUSTUM, SANCTUM: NIHIL TALE QUOD NON PRÆCEPTUM. *Sub perfecta Dei & proximi dilectione omnia comprehensa. Homo debet utramque* ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς, ἐξ ὅλης τῆς καρδίας, ἐξ ὅλης τῆς συνέσεως, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος. *Marc.* 12. 13. *supra hoc hominem aliquid quid posse ἀκατάληπτον, nec credibile nisi illis qui omnem rationis usum sibi ultro interdixere, & revera cœcam & brutam obedientiam ductoribus suis vovere.* Nihil clarius hisce pro me, aut contra virum doctum dici potuit: adeo ut nihil mirandum sit viros illos qui theses viri docti de coma approbavere, eas tantum *quoad substantiam* approbasse. Progredior ad auctoritates quasdam quas contra virum doctum & pro

me thesi mea 21. in cujus vindiciis hic versor, attuli, nec non ad ea quæ ad auctoritatem Parei quam mihi objicit reposui. Ea autem „ hæc sunt: Videatur hac de re doctiss. Rivetus Cathol. Orthod. „ tract. 4. quæst. 11. Vbi §. 4. inter alia hæc habet. Sed non omni- „ bus consuluit, ut in cœlibatu viverent, qui vellent, Imo è contra- „ rio non solum consulit, sed etiam imperat, VT QUI SE NON „ CONTINENT NUBANT. Et alibi VOLO inquit IUNIORES „ NUBERE, FILIOS PROCREARE, MATRESFAMILIAS „ ESSE &c. Quod vero spectat ad eos qui dono & vocatione divi- „ na prediti sunt ut in cœlibatu vivant, non simpliciter consilium dat, „ sed mandatum. VNICUIQUE vocavit DOMINUS (quod scri- „ bendum, VT UNICUIQUE inquit DONUM PARTITUS EST „ DEUS, VT UNUMQUEMQUE VOCAVIT DOMINUS) ita „ & incedat. Videatur quoque Davenantius determ. quæst. Theol. „ 32. Vbi inter alia hæc habet. Ad singula jam descendamus; ac pri- „ mo quod attinet ad cœlibatum, seu virginitatis statum, agnosco „ non exstare commune aliquod præceptum, quod ex æquo omnes „ solet obligare, atque hoc respectu, vitam ducere virginalem res „ CONSILII est, non PRÆCEPTI. Sed illud jam appono: cum „ ad hanc vel illam particularem personam descenditur, particularis „ vocatio Dei, impulsio Spiritus Sancti, conscientia accepti doni effi- „ ciunt ut illud HIC & NUNC ab hac individua persona, non pos- „ sit omitti sine peccato quod universe relinquitur sub arbitrio. „ Nam Apostolus qui non habet præceptum de virginitate, præcipit „ tamen: ut unicuique donum partitus est Deus ut unumquemque „ vocavit dominus sic incedat. Vide quoque quæ sequuntur. Præ- „ terea mitigare videtur auctor vocem Consiliorum qua usus est „ cum ait: sive ea voces consilia (ut vocem γνώμης expressit vulgata) „ sive alio apto nomine, nihil interest, ut agnoscit Pareus modo ne „ consilia perfectionis cudamus. Sed 1. aptum non est nomen de- „ hortationis quo utitur thes. 9. 2. Pareus iis quæ tradit Apostolus 1. „ Cor. 7. aliquam obligandi vim positis videlicet ponendis, inesse „ credidit. Verba ejus sunt ad v. 26; Inde hoc vulgo pro consilio A- „ postolico jactatur, quod quidem facile concedimus, modo faceßat „ perfectionis & meriti opinio, quę hinc de virginitate invaluit. Pro- „ prie γνώμη non est CONSILIUM sed MENTIS SENTEN-

TIA.

» TIA. Beza itaque DO VOBIS QUOD SENTIO. Ne vero hoc sive » consilium sive judicium putetur leve, aut à carne dictatum, quod » facile cuivis repudiare liceat, ad fidem suam & domini misericor- » diam provocat: se non ut hominem, sed ut fidelem domini Apo- » stolum, quem singulari gratia dominus dignatus sit, eis communi- » care. An autem hoc sit è re auctoris quocum agimus alii judicent. Respondet vir doctus pag. 187. *Nihil hic quod non è re mea sit reperio, imo aperte profiteor, me hac in parte cum clarissimis illis viris atque etiam cum viro docto sentire, & vehementer mihi de hoc consensu gratulari.* Resp. 1. Miror quomodo vir doctus dicat quod nihil hic reperiat nisi quod sit è re sua, & quod aperte profiteatur se hac in parte cum clarissimis illis, quorum testimonia adduxi, viris sentire. Nam viri illi clarissimi contra virum doctum testimonium dicunt. Omnes enim statuunt monita Apostoli obligare, at vir doctus id negavit, ut ex dictis manifestum est. 2. Nescio quoque quomodo dicat se mecum idem sentire. Nam ego cum clarissimis illis viris plane statuo, monitis Pauli præceptum proprie dictum sed hypotheticum, contineri: at vir doctus id negavit ut theses ipsius manifestum faciunt. Patuit hoc ex iis quæ præcessere; & porro patebit si integrè legantur. Thesis ergo 9. sic sonat: *Consilia porro, sive documenta prudentiæ in scriptura extare circa res per se indifferentes, exemplo sit Salomo* Prov. 6. 1. *&c.* & 11. 15. *Vbi dehortatur ne fide jubeamus vel pro amico, vel pro extraneo. Non quod hoc in se sit illicitum v. Gen.* 43. 9. *Philem.* v. 19. *sed quod damnosum, nisi cum magna circumspectione fiat.* Thesis vero 10. ita loquitur. *Ita quæcunque differit Paulus* 1. *Cor.* 7. *De muliere non tangenda.* v. 1. *Intermissione usus conjugii* v. 5. *Cœlibatu & viduitate* v. 8. *Virginitate.* v. 25. *certum est esse de re indifferenti ac libera, quamque talem esse ac manere Paulus expresse vult, etiam post omnia sua monita;* v. 6. 9. 25. 26. 27. 28. 35. *Neque proinde esse de iis* QUÆ LEGIS *sunt.* 1. *in se licita vel illicita, sed de* COMMODO *vel incommodo eorum ad quos scribebatur. sive jam ea voces* CONSILIA (*ut vocem γνώμης expressit vulgata*) *sive alio apto nomine, nihil interest* (*ut agnoscit ad illum locum Pareus*) *modo ne consilia* PERFECTIONIS *ex iis cudamus, quæ ex sententia Dialogistæ non sequuntur.* Thesis vero 11. initio (nam reliqua huc non pertinent) hęc habet. *Vidimus ex ἀτιμίας voce non se-*

qui ἀμαρτίαν, nec ex ejus opposito, decoro, *sive* communi honestate, *præceptum proprie dictum*. Verum quidem est ipsum uti terminis *per se* semel thes. 9. *in se* bis. Semel quidem thes. 9. iterum thes. 10. Sed cujus pretii id sit jam antea visum; & porro eos etiam omittit thes. 10. cum ait; *Certum est esse de re indifferenti ac libera* &c. Ex hisce judicet lector, an vir doctus cum viris illis clarissimis & mecum idem senserit. Non nego tamen quod nunc eadem ipsi sit sententia cum ea quę clarissimorum illorum virorum & mea est. Fieri enim potest ut sententiam mutarit.

Postea pag. 188. in cujus refutatione versabar ait *vocem consilii qua usus eram me mitigare dicit (verba mea habes in superioribus) ipse autem nihil contra eam affert. Imo Pareo qui ea libere usus est, adjungit Davenantius, qui* vitam inquit *ducere virginalem in genere* RES CONSILII *est non* PRÆCEPTI. *Repetit autem vir doctus vocem* dehortationis *hic aptam non esse, sed nulla allata ratione. Rem ipsam consideravimus ad thesin* 9. *Interim ipse nullam aptiorem nobis suppeditat. Detur ergo circa verba quorum sæpe penuria laboramus, moderata libertas, modo in re ipsa non sit error.* Resp. 1. Non opus erat ut quidquam contra vocem *consilii* adferrem, quandoquidem rem ipsam à viro docto per illam significatam profligaveram. 2. Pareum concessi uti voce *consilii*, sed negavi eum stare à tuis partibus quoad rem ipsam: quia negat *consilium* facile cuivis repudiare licere: cum tu dicas, consilia quæ nobis propinas rem relinquere INDIFFERENTEM & LIBERAM: atque adeo facile cuivis ea repudiare licere. Nam quod tale est ut rem indifferentẽ & liberam relinquit nec ullo modo necessariam facit, id cuivis facile repudiare LICET. Alioqui enim aliquo modo res illa necessaria foret. At ad hoc nihil respondes. 3. Davenant. utitur voce *consilii* sed an is tecum sentit? Nullo modo, ut antea ostensum est. Non ostentandum Daven. voce *consilii* uti, (quod & ipse significaverã) sed cõsensus inter te & ipsum in re probandus fuerat, ut aliquid accederet consiliis sive monitis tuis prudentiæ de commodo & incommodo. nõ dixit Davenantius nec dicere potuit si sibi cõsentanee loqui voluit, Deum post monita sua, rem nobis indifferentem & liberam relinquere. 4. Vocem *dehortationis consiliis* tuis non convenire dixi. Quia *consilia* vis rem liberam & indifferentem relinquere; quod non facit dehortatio divina, ut

quæ

quæ bona, justa, sancta est, adeoq; sequenda. 5. Hac ipsa thesi attuli rationẽ quare vox *dehortationis* hic apta non sit: nimirum quia *non puto hactenus inventũ fuisse inter Theologos præsertim reformatos qui inter* dehortationem *Dei* & præceptum ejus negativum *distingueret*: quod tamẽ cum consilia quædam tua de quibus loqueris, dehortationes vocas, facis. 6. Quam feliciter rem ipsam consideraveris, suo loco ostensum fuit. 7. Ego nunquam litigabo de vocibus; modo in re non sit error. Sed nego errore carere quæ de consiliis Dei rem *indifferentem* & *liberam* relinquentibus differuisti.

» Sequitur in eadem thesi mea 21. Denique absolvit Dialogistam, » à consilio perfectionis. Resp. 1. Quid sentiat Dialogista de consi- » liis perfectionis non inquiro. 2. Dico firmum esse quod dixi, disp. » text. p. 4. thes. 6. Falsum esse quod quispiam honestatem commu- » nem possit insuper habere, qui tamen contra legem Dei non pec- » cet. Quia alioqui dicendum erit, scripturas quæ præcipiunt no- » bis ut honestatis communis rationem habeamus, alia ab iis quæ » legis sunt, præcepta aut consilia euangelica tradere. Nam al- » terutrum dicendum est si quidem statuamus scripturas jubere » (sicuti jubent) ut honestatis communis rationem habeamus, nec » tamen qui insuper habet honestatem communem contra legem » Dei peccet: esse in scripturis alia præcepta quam quæ legis sunt, » ut volunt Pontificii & Sociniani, aut scripturas cum per modum » præcepti docent honestatis communis rationem esse habendam, » non mandare, sed tantum commendare, quomodo Pontificii » de consiliis suis euangelicis loquuntur. Respondet vir doctus: *Non Dialogistam (quod insidiose dicitur, ut alienis ab hac controversia quæstionibus involvar) sed ejus argumentum à me allatum à consilio perfectionis absolvi, & adhuc absolvo. Sequitur quidem ex ejus sententia dari in S. literis consilia (libere jam eam vocem usurpo, postquam vir doctus ejus usum in auctoribus à se ipso citatis ostendit)* circa res indifferentes, *sed consilia perfectionis ex ea sequi nego & pernego. Quid alibi videatur sentire, si fas est viro docto* NON INQUIRERE *& mihi id juris concedi æquum est, nominatim in hac controversia, à qua quidquid alienum est, ut novit vir doctus, satago removere, quo melius ejus nuda ossa lacertique appareant, & majori cum facilitate & perspicuitate ea cognoscatur.* Resp. 1. Si argumentum Dialogistæ absolvit vir doctus

ctus à consilio perfectionis, ergo & Dialogistam, si non *in totum* saltem *in tantum* ut loquuntur. 2. Nihil à me insidiose dictum fuit nimirum *ut vir doctus alienis ab hac controversia quæstionibus involveretur*. Sed defendi quod objeci Dialogistæ disp.text.p.4.thes.6.quæ in lucem prodiit aliquot mensibus antequam vir doctus primam suam de coma disputationem ederet, aut scirem ipsum Dialogistæ defensionem hac in re susceperturum. Pars enim illa disput. text. prodiit mense Iulio anni 1645. ipsius vero prima de coma mense Decembri ejusdem anni. Nec defensione hac mihi opus fuisset, nisi vir doctus Dialogistæ succurrere decrevisset. 3. Ne quidem cõsiliorum *perfectionis*, adversus Dialogistã scribens, mentionem feci, sed *euangelicorum*, quæ vir doctus thes.x. mutavit in *consilia perfectionis*. 4. Immo & thesi quam hic tueor, ipse præcido disputationem de consiliis *perfectionis* cum dico: *Quid sentiat Dialogista de consiliis perfectionis non inquiro*. Quid ergo causæ fuit cur diceret, me sibi insidias struxisse? 5. Si sequitur ex Dialogistæ sententia dari *consilia Dei* quæ præcepta non sunt: non absolvit vir doctus Dialogistam à consiliis *perfectionis* sed eum secum in ea (saltem aliquatenus) præcipitat. Quia sanctius atque adeo majoris perfectionis est habere rationem majestatis, sapientiæ veracitatisque & bonitatis divinæ, quam non habere. Prius autem facit qui consilia illa (si modo sint, quod nego) licet non teneatur sequitur, posterius vero qui non sequitur. 6. Vtuntur quidam reformatorum voce *consiliorum* sed ii nec cum viro docto nec cum Dialogista sentiunt. 7. Quis negavit viro docto sas esse, non inquirere quid auctor Dialogi alibi videatur dicere? Per me à *consiliis perfectionis*, imo etiam à defensione Dialogistæ, addo, à *consiliis* sive *monitis prudentiæ, rem indifferentem & liberam relinquentibus*, abstinere potuisset. 8. Quia tamen ita solers & diligens fuit in perquirendis sphalmatis Poimenandri, Borstii, meis ut invenerit, quæ nusquam exstant, & quidem boni publici causa; libert. pag. 12. an non res ipsa poscebat ut eandem solertiam & diligentiam adhiberet ad inquirendum quid auctor Dialogi sentiret de consiliis *perfectionis* addo *& de præceptis Christi quibus præcepta legis non tantum confirmaverit, sed etiam auxerit & intenderit?* Si modo Dialogista is sit, quem vir doctus nobis indicare videtur. 9. Si tantopere

pere fategit, ut quidquid non pertineret ad hanc controverſiam removeret, cur Dialogiſtæ hic defenſionem ſuſcepit? Nam potuiſſet de capillis, addo & de conſiliis diſputare (quamvis & hoc præterire potuiſſet, nam non ſequitur ſi dentur conſilia: ergo & 1.Cor.11. conſilium non præceptum datur) etiamſi nulli conſtitiſſet recte ſentiat auctor Dialogi de conſiliis (quam vocem in Dialogo ejus non memini me legiſſe) nec ne. Pergit: *In repetitione argumenti ſui nihil aliud probat, quam legis eſſe cum præcipitur ut honeſtatis communis ratio habeatur: at cum de materia in qua eſt illa honeſtas agitur, ſi ea eſt, ut ſæpe numero eſt, indifferens, non habent dicta quæ circa illam verſantur rationem præcepti ſed conſilii vel moniti prudentiæ. Nec hoc Pontificium vel Socinianum qua ſcabie contraria opinio magis laborat, ſi non deteriori. Nam ſi quidquid Apoſtolus differuit v.g. circa cœlibatum & c. vim præcepti habet, ſequitur illicitum eſſe mulierem tangere. Omnes qualis Paulus erat. 1. cœlibes eſſe debere &c. Denique nihil erit indifferens, & peribit omnis libertas Chriſtiana. Sed pulcre cavit huic rei Apoſtolus in illis: hoc autem dico ex conceſſione κατ' ἐπιταγήν. Non ſecundum præceptum. v. 6. De virginibus autem ἐπιταγὴν præceptum domini non habeo. γνώμην δίδωμι conſilium autem do. v. 25. Hoc autem dico veſtro commodo, non ut laqueum vobis injiciam.* Reſp. 1. Si probo legis eſſe ut honeſtatis communis ratio habeatur, concidit cauſa Dialogiſtæ qui negat peccantem contra decorum ſive honeſtatem communem (quam vocat) contra legem peccare. Vide Dialog. pag. 100. 101. 102. 2. Conſiderat Dialogiſta honeſtatem communē non materialiter, ſed formaliter. Nam ſi verum eſt cum conſiderare honeſtatem communem de qua loquitur materialiter non formaliter; etiam materialiter non formaliter (ut ex legibus oppoſitionis patet) conſiderabit indecentiam illam de qua loquitur pag. 102. 103. quanque contrariam eſſe vult decoro cuidam legis & naturæ, quod ut alteram ſpeciem decori in communi ſive in genere conſiderati decoro ſive honeſtati communi opponit. At poſterius falſum. 1. Quia alioqui peccabit ſecundum eum contra legē & naturam, vir qui ſpoliatus veſtibus cum aliter non poteſt, veſte muliebri ſe munit adverſus injurias aëris. At hoc ſenſiſſe eum non puto credere ipſum virum doctum. 2. Quia ipſi agnoſcendum erit argumentum Apoſtoli petitum eſſe à materia non à

forma decori, quod & absurdum & contra virum doctum est. 3. Honestas communis secundum Dialogistã semper est in materia indifferenti. Immo & ipsa secundum ipsum (ut ostensum est) *indifferens est.* 4. Negamus dicta Dei (quæ consilia vocat vir doctus) circa ullam materiam qualiscunq; tandem illa sit, aliud esse quam præcepta. Nam ut ex Cl. Spanhemio audivimus consilia Dei præcepta sunt. Possunt res circa quas præcepta illa versantur vel in genere vel in specie esse indifferentes, at dicta illa scripturarum quatenus cadunt supra easdem, indifferentium numero illas eximunt. 5. Revera *Pontificium* est vel *Socinianum* (precor virum doctum ut se moneri patiatur) id quod tale esse dixi. Neque id refutat vir doctus. 6. Nescio qua ratione vir doctus dicere possit opinionem quæ negat *consilia* quæ nobis propinat, scabie *Pontificia* vel *Sociniana* laborare & quidem magis altera illa quam adoptavit ipse. Cum Pontificii *consilia* agnoscant quæ non obligent, & Sociniani cum Pontificiis præcepta quæ Decalogi non sint, qualia ego nulla statuo. 7. Multo absurdius est quod ait, (licet non sine formidine oppositi) quod opinio mea, quæ non alia est quam Clarissimi Spanhemii (notet hoc vir doctus) pejori qnam *Pontificia* vel *Sociniana scabie* laboret. Quis enim præter virum doctum ea posita colliget illicitum esse mulierem tangere? item nullam rem esse indifferentem; & perire omnem libertatem Christianam? Distinguendum ipsi fuerat inter præcepta absoluta & hypothetica, inter præcepta universalia & particularia. Etenim si id feciſſet ad *consilia* sua sive *monita* prudentiæ quæ non obligent, prolapsus non fuisset, nec mihi loca illa quæ affert objeciſſet, ut quæ me non læduntur. Nam certe ait Apostolus: *v. g. bonum est mulierem non tangere,* nimirum propter incommoda quæ matrimonium post se trahit. Sed sub conditione, videlicet nisi exsurgat necessitas aliqua quæ incommodis illis præponderet. Hinc ipse Apostolus mox ait: *Sed propter scortationem, suam quisque uxorem habeto, & proprium quæque virum habeto.* & v. 9. *quod si se non continent, matrimonium contrahant: nam melius est matrimonium contrahere uti.* Item dicit Apostolus *de virginibus præceptum domini non habeo*, nimirum quo jubeantur omnes aut matrimonium contrahere, aut à nuptiis abstinere. Particulare enim habebat. Nam v. 9. præcipit ut qui se non con-

continent matrimonium contrahant. Quia melius est matrimonium contrahere quam uri; Item docet Apostolus v. 26. propter incommoda quæ ibidem sequuntur, virgini bonum esse si ita maneat. Hinc sequitur præceptum particulare, videlicet virginibus propterea abstinendum esse à matrimonio, non omnibus sed iis tantum qui non urgentur necessitate incommodis illis præponderante. Nam quamvis dicat Apostolus vers. 27. *Solutus es ab uxore? ne quære uxorem*; ipsum tamen de omnibus solutis ab uxore non loqui patet ex v. 9. nisi placeat statuere (quod absurdum) Apostolum sibi ipsi contradicere. 8. non erant hæc loca Apostoli describenda tantum: sed ex iis argumentandum, ut ostenderetur me tollere rerum indifferentium indifferentiam, & Christianam libertatem; verum id non facit vir doctus. 9. Si omnibus hisce locis consilium quod non obliget continetur, consilia Apostoli contraria erunt præcepto. V.g. consulet Apostolus juxta virum doctum omnibus solutis ab uxore, ne uxorem quærant: At idem Apostolus præcipiet solutis qui se non continent ut matrimonium contrahant. Portenta hæc opinionum sunt. Pergit. *Hæc cum cura erant inculcanda in causa capillari, quam inter res indifferentes rectissime numeravit vir doctus. Si enim cum eo sentit Poimenander, uno verbo tota res absolvi potest. Dicat tantum (exemplum Apostoli secutus)* DE CAPILLIS PRÆCEPTUM DOMINI NON HABEO. *Mihi & omnibus veritatis amantibus satisfecerit, sed eadem opera, quod omnino necessarium est, feni, & paleæ juris, naturalis, gentium &c. tanto molimine ab ipso accumulatæ ac congestæ jacturam fecerit.* Resp. 1. consilia & monita prudentiæ sacrarum literarum quæ inculcanda sibi sumsit vir doctus, ego mihi cum cura refutanda esse judicavi, & ita (ni fallor) indicabunt omnes veritatis amantes. 2. Numero certe nutritionem capillorum & tonsuram eorundem inter res indifferentes, sed quæ tales sunt in genere, non in specie 3. Poimenandrum mecum sentire jam antea (puto) planum feci. 4. Falsum dicerem, si dicerem *de capillis* præceptum domini non habeo. 5. Quia vir doctus hic fatetur se *de capillis præceptum domini non habere*, in arido destituit Rever. Iunium Pastorem Delphensem, quem commemoravit magno molimine hoc egisse ut viros Formosanos ad ponendam comam muliebrem adduceret. Vide disp. ejus 2. de co-

ma thes.9. & libert.pag.97. 6. Ipsi dandum erit ex eodem principio, ubi moris est, viris & mulieribus fas esse eadem uti capillorum forma, eodemque circa illos cultu. Quod tamen non admittit Dialogista pag. 102. 103. Verba ipsius sunt: CÆs. *An minus peccat & contra legem Dei & contra naturam ipsam, quæ sexus discrevit, qui non solum hanc confusionem in vestitu usurpat corporis, sed etiam oris habitu?* CUR. *Non aliter certe peccare videtur, sed nec minus. Enimvero vel muliebrem sic habitum sumere vir omnino videtur, qui more muliebri caput comit, & non solum crines intonsos nutrit, sed etiam quod inde necessario consequitur, eos in capite ita componit ut iis caput velatum habeat, quomodo solent mulieres.* 7. Ex eodem principio sequitur ipsum sibi contradicere. Nam hic ait *se præceptum de capillis non habere*; at disp. 4. ait discrimen requiri inter capillum virilem & muliebrem & tale quidem *ut unicuique appareat, non demitti in viro capillum ad eam mensuram ut sit aptus capiti velando, muliebrem in modum, quod fit cum in verticem colligitur.* 8. Forte satisfecero viro docto si dicam *me de capillis præceptum non habere* nec non mundanis hominibus: sed minime *veritati*, nec *omnibus veritatis amantibus*. 9. *Fœnum & Paleam* omnes veritatis amantes judicabunt quę hic & passim vir doctus effundit, non mea. Pergit, *Antequã progrediar, expendenda non nihil versio Bezæ, eã enim ex Pareo pro se citat vir doctus. Is ergo τὸ γνώμην δίδωμι apud Apostolum, quod omnes qui fuerũt ante eum latini interpretes (quantum scio) verterant consilium do. (ita vulgatá, ita Erasmus, ita Pagninus, ita Tigurini, quos & sequitur Castellio) aliter sibi vertendum judicavit, nempe* sententiam meam *hac in re* dico, *ea ratione, quia differant, γνώμη & βέλη.* Resp. 1. Citavi Pareum pro me, sed quatenus negat *consilium* sive *judicium Apostoli leve putandum aut à carne dictatum quod facile cuivis repudiare liceat.* Minime autem à me quæsitum fuit utrum vox *γνώμη* melius voce *sententiæ* an *consilii* reddatur. Videatur verba Theseos meæ 21. quam hic adhuc defendo. Quærit ergo vir doctus hic occasionem, quæ tamen ipsi data non fuit, copias eruditionis suæ explicandi, & Bezam erroris arguendi. 2. Parum profecerit vir doctus enumerandis interpretibus latinis, nisi iis græcos addiderit. 3. Erasmus licet in versione sua N.T. vocem *consilii* retineat, in notis tamẽ ad hunc locum sibi vocem *sententiæ* magis placere ostendit. Ait enim ad *τὸ γνώμην*

δίδωμι, *id est sententiam autem do, sive dico id quod mihi videtur optimum, id est profero meam super hac re sententiam.* 4. Rationem illam dat Beza: nec male. quia licet aliquando γνώμη & βουλὴ inter se confundantur, γνώμη tamen si proprietatem vocis spectes, aliud est quam βουλὴ ut postea ostendetur. At vero citra evidentem necessitatem à proprietate verborum scripturæ non est recedendum. 5. Etiam aliam rationem dat Beza quare hic vocem consilii aversatus sit. Nimirum quia libenter refugerit DISCRIMEN ILLUD SOPHISTICUM INTER PRÆCEPTUM ET CONSILIUM, quod tamen vir doctus non quidem *in totum* attamen in tantum approbat. Nam negare non potest se statuere, quæ ipse consilii esse vult, non *mandari* sed tamen *commendari*: at sic pontificii (licet & alia addant) de consiliis suis loquuntur. Pergit: *Quod tamen* 1. *non est usque quaque verum, cum γνώμη interdum reddatur* propositum, *aliquando* voluntas, *interdum* CONSILIUM. *Nonnunquam cogitatio.* Atque id probat auctoritate lexicographorum, Stephani, Crispini, Tusani, Suidæ, Favorini. Resp. 1. *Usque quaque* verum est, γνώμη & βούλη differre, si nimirum originem vocum illarum primasque significationes ad quas Beza respexit spectes. Nam γνώμη intellectus est, βούλη vero voluntatis. Discere hoc potuisset vir doctus ex Francisc. Iunio controvers. 5. lib. 2. cap. 9. §. 76. & ex Riveto Cathol. orthodox. Tractat. 4. quæstion. XI. §. 5. Verba Iunii prætereo, Riveti (ut brevitati consulam, qui enim alterutrum legerit utrumque legerit) tantum adducam. Ait ergo vir ille doctissimus. *Non autem fuit mens Apostoli consilium dare* OMNIBUS QUI EO VOLUERINT UTI, *sed exponere* sententiam *suam, iis qui in se ipsis conscii erunt doni & vocationis Dei, ut eo utantur ad gloriam Dei & ædificationẽ ecclesiæ.* CONSILII *autem nomen est in interpretis latini quod tamen* APTUM NON EST *ad eam vocem explicandam qua usus est Apostolus.* DIFFERUNT enim γνώμη & βουλὴ, *cum illud ad intellectum pertineat, hoc vero ad voluntatem. Illud* sententiam *significat, quæ de rebus etiam dicitur quæ in deliberationem nõ veniunt, hoc vero ad praxin pertinet, & de iis dicitur tantum de quibus fit deliberatio. Hæc ita distinguit Arist.* (videlicet Ethic. 6. cap. 11.) *ut* γνώμη *sit* ἡ ἐπιεικὴς κρίσις ὀρθὴ *viri boni & æqui judicium. Consilium autem quod* προαίρεσιν *appellat* (videlicet Ethic. lib. 3. c. 4.) *est tantum eorum quæ ad fi-*

nem conferunt cum sententia possit esse de fine ipso. Sententiam igitur Paulus pronunciat suam & judicium, unicuique liberum relinquens ut ea utatur, ex sensu doni & vocationis Dei. Sed non OMNIBUS CONSULIT *ut in cœlibatu viverent, qui vellent.* Vide etiam quæ sequuntur. Ex hisce habeo quod Beza dicit *usque quaque*, modo recte intelligatur, verum esse. Et viro docto rem esse non cum solo Beza, sed etiam (ut omittam Aristotelem) cum Francisco Iunio & Riveto, adeoque cum tribus ecclesiæ reformatæ luminibus clarissimis. Quibus jungo, ut alios omittam, versionem nostram Belgicam, quæ τὸ γνώμην δίδωμι vertit, **Maer ick segghe mijn ghevoelen.** Pergit 2. *hoc loco non nisi pro consilio potest accipi propter additum* δίδωμι. Suidas & Favorinus: γνωμοδοτέω γνώμην δίδωμι. *Quod* Æmilius *Portus vertit* consilium do. *Lexicon græcolatinum vetus in Thesauro utriusque linguæ B. Vulcanii*, γνωμοδότης *consiliarius, consiliator, suasor. Probent, qui contra sentiunt è græco auctore* τὸ γνώμην δίδωμι esse sententiam dico. *Nam* τὸ αὐτὸς ἔφα *in solutum non accipimus. Novi quid sit* τὸ γνωμοτυπεῖν *& similia, sed* πῶς ἔστι γνώμην δίδωμι *est quæstio.* Resp. 1. Si γνώμην δίδωμι non potest notare idem quod *sententiam* dicere; id fit, aut quia repugnat vox γνώμης aut quia obstat vox δίδωμι. At non obstat vox γνώμης, ut ipse vir doctus tacite fatetur. Et aperte docent Suidas, Favorinus, Glossaria quæ exhibet Stephanus, & nec non ipse Stephanus, qui multa congessit exempla quibus probat vocem hanc sæpe sententiæ significationem habere; neque obstat vox δίδωμι ut quæ *proferendi* adeoque & *dicendi* significationem habet; ut liquet 1. Cor. 14. vs. 9. ἀφ' ὑμῶν γλώσσης ἐὰν μὴ εὔσημον λόγον δῶτε. 2. Ipse locus Apostoli nos eo invitat ut τὸ γνώμην δίδωμι pro *sententiam profero* sive *dico* accipiamus. Nam mox sequitur vers. 26. νομίζω δὲ καλὸν ὑπάρχειν ἀφ' ὑμῶν ἐνίστασθαι ἀδελφοί. ὃ τι καλὸν ἀνθρώπῳ τὸ οὕτως εἶναι. Hic enim præstat Apostolus quod promiserat, dicens γνώμην δίδωμι. Quid autem præstat? Sententiam suam de commodis status virginalis exponit. νομίζω inquit. 3. Si probat vir doctus ex γνωμοδοτέω, γνώμην δίδωμι significare consilium do, quia Æmilius Portus id vertit *consilium do* jam etiam probavero significare *sententiam dico*. Nam Henricus Stephanus, quem omnes in cognitione græcæ linguæ excelluisse fatentur τὸ γνωμοδοτέω vertit *Sententiam dico, consilium do*. 4. Si γνωμοδοτέω significat judice Stephano *Sententiam dico*, quid ni

ni & γνωμοδότης eum qui dicit sententiam ? licet id auctor glossarii cujus meminit vir doctus non annotarit. 5. Mirum virum doctum tantopere refugere τὸ ἀνθρώπινον & nobis imponere necessitatem ut ex auctore aliquo græco probemus τὸ γνώμην δίδωμι esse, sententiam dico. Cum ipse nihil præter τὸ ἀνθρώπινον nobis propinet & nullum auctorem græcum afferat quo probet τὸ γνώμην δίδωμι significare *consilium do*. Nam quod vult, ex interpretatione latina *Æmilii Porti*, & *Thesauri utriusque linguæ* eruere conatur. Pergit : 3. *Nihil promovet Beza per vocem* sententiæ, *si rationem præcepti ea contineri sentit, nam etiam* in consiliis dandis *versatur sententia Cic. de orat. lib.* 3. *Hujus est in dando consilio explicata sententia.* Resp. 1. Multum promovet Beza per vocem *sententiæ:* quia posito quod vox γνώμης *sententiam* inter alia significet, & huic loco ea significatio convenire possit : ostendit nullum esse argumentum pontificiorum, quod ex voce γνώμης pro *consiliis suis* petunt. Nam non sequitur vox γνώμης aliquando significat *consilium*; ergo & hic. 2. Nihil quoque promovet vir doctus etiamsi daretur vocem γνώμης hic significare *consilium*. Nam ut antea ostensum fuit consilia Dei præcepta sunt sive absoluta sive hypothetica sive universalia sive particularia. Quod cum scirem in thesibus meis mihi disquirendum non duxi, utrum vox γνώμης significatione *sententiæ* an consilii accipienda esset. Nunc tamen quandoquidem omnibus viribus in versionem Bezæ incurrit, officii mei esse existimavi, ut ostenderem machinas quas admovet ad eam evertendam, frustra esse. 3. Non existimo Bezam sensisse *sententiam* formaliter præceptum esse. Quia sententia intellectus, præceptum voluntatis est, unde *voluntatis* nomine sæpe venit. Attamen arbitror judicasse Bezam γνώμας de commodo divinitus prolatas, qualis hæc Apostoli est v. 25. 40. virtualiter præcepta continere, eaque aut universalia & absoluta, aut particularia & hypothetica videlicet pro ratione subjectæ materiæ. Nam ignorare non potuit Beza quod vel infimæ classis Theologi norunt. 4. Versetur etiam *sententia* in *consiliis dandis:* non tamen *sententia* cum *consilio* est confundenda : nec sequitur, quia *humanæ sententiæ*, nonnunquam tantum *consilium* non *præceptum* notant, propterea *sententias* divinitus prolatas de commodo sequendo, incommodo vitando, non *præceptum*, sed *consilium* (nimirum qua-

le

le vult vir doctus) gignere. Omnis enim talis sententia, infallibilis est veritatis & respicit ὑπεροχὴν & δεσποτείαν hominis, ad quam sectandam Deus nos obligavit. Pergit. 4. *Vt nec Gallica phrasi qua illam explicat, videlicet,* j'en donne mon advis, *quam sequitur Diodatus in Bibliis Italicis,* ne do avviso, *qua voce sæpius votum* deliberativum, *ut vocant quam decisivum significatur. Diodatus certe nullum in ea imperium potuit videre, cum in margine explicationis causa addit,* come di cosa indifferente, nelle quale si dee considerar cio che è piu spediente secundo le circumstanze. 1. *tanquam de re indifferenti, in qua considerandum id quod magis expedit secundum circumstantias.* Resp. 1. non indicat locum vir doctus, ubi Beza Gallica illa phrasi utatur. 2. Si utitur, eaque τὸ γνώμην δίδωμι explicat, idem illud consequitur quod voce *sententiæ* ipsum consecutum esse animadversionibus ad præcedentem pericopen ostensum est. 3. Si Diodatus existimavit, cum τὸ γνώμην δίδωμι *ne do avviso* vertit, τὸ γνώμην significare votum ut vir doctus loquitur non *decisivum* sed *deliberativum* tantum, jam simul ipsi statuendum erit humanæ auctoritatis esse quod ait Apostolus: *Existimo igitur hoc bonum esse propter instantem necessitatem, bonum hoc inquam esse homini ita esse,* adeoque etiam porisma illud hypotheticum quod inde elicit nimirum, *Solutus es ab uxore; ne quære uxorem.* At id contra Apostolum est v. 25. & 40. 1. Timoth. 3. 16. 4. Si Diodatus τὸ τῇ γνώμῃ de qua Apostolus loquitur & quam *avviso* vertit, nullum imperium agnoscit, (quod tamen non concedo) errat, ut ex dictis liquet. Nec ego magis ipsius auctoritate teneor quam vir doctus se Bezæ aliorumque Theologorum præstantissimorum quos ipsi objeci auctoritate teneri arbitratur. 5. Sed tamen ut vir doctus videat quam parum sibi faventem habeat Diodatum, notari velim. 1. Refugisse Diodatum non minus quam Bezam vocem *consilii.* Aliam enim vocem Itali habent qua consilium significant: adeoque dissidere eum à viro docto qui contra Bezam vocem γνώμης voce *consilii* vertendam censet. 2. Nusquam dicere Diodatum, monita Apostoli non obligare. Quod tamen vir doctus dicit. 3. Statuere Diodatum matrimonium prout obstracte & sine circumstantiis consideratur esse rem indifferentem (quod & ego dico) at vero minime ubi circumstantiis suis vestitur. ait enim OBSERVANDUM quod ma-

magis expedit *secundum circumstantias*. Adeoque docere ubi *circumstantia instantis necessitatis* ipsi accedit, non esse licitum; nisi videlicet gravior aliqua necessitas exsurgat quæ circumstantiæ instantis necesitatis præponderet: necessarium vero, ubi gravior necesitas ponitur. Qualis illa est de qua Apostolus agit. v. 9. At vero vir doctus statuit Thes. 10. matrimonium manere liberum etiam post omnia monita Apostoli, quæ tamen circumstantias respiciunt. Nam non puto ipsum dicturum, *monita* illa sive *consilia* Apostoli quæ vocat dissuadere matrimonium quatenus consideratur nullis circumstantiis vestitum. Nam alioqui matrimonium, qua matrimonium dissuaderetur. Quod foret absurdissimum. 5. Eundem Diodatum, quod statuit, existimare haustum ex Apostolo cum ait: δίδωμι ὃ γνώμῳ, ac proinde eum credere γνώμῳ illam v. 26. virtualiter præceptum continere. Adeoque sicuti veri nominis est præceptum quod vers. 9. traditur: sic etiam veri nominis esse præceptum, sed particulare quod versu 27. traditur: *solutus es ab uxore, ne quære uxorem*. Eat nunc vir doctus & mihi amplius Diodatum objiciat. Pergit: 5. *Ratio quæ Bezam impulit ad versionem hic novandam, nempe ut vitaret discrimen illud Sophisticum & falsum inter præceptum & consilium ut ipse ait, non tanti fuit quam ipse putavit. Quasi vero nullum daretur consilium extra consilium perfectionis à Sophistis in papatu conflctum, quod si ita est deleatur vox consilii ex omnibus auctoribus latinis, quorum plærique de papistis aut consilio perfectionis nefando quidem cognoverant, & tamen quid inter consilium & præceptum interesset, quod vel investe pueri sciunt, non ignorarunt*. Resp. 1. Non hæc sola ratio fuit quæ Bezam movit ad *novandam* versionem: sed & alia, nimirum quod γνώμη & ἐξουσία differant. Quam rationem vir doctus evertere non potuit. 2. Certe ita subtilis non fuit Beza (licet à reformatis Theologis hactenus magno in pretio habitus fuerit) ut videret *consilia* sive *monita* illa prudentiæ non obligantia, quæ vir doctus extundit ex Prov. 16. 1. & 11. 15. Et 1. Cor. 7. 1. 5. 6. 9. 25. 26. 27. 28. 35. Nec mirum quia videre non potuit, quod nusquam est. 3. Nullum est *consilium* divinum, quod, si non obliget, inter consilia *perfectionis* saltem secundum quid referri non debeat. 4. Delere ex libris auctorum quæ ipsi scripserunt Pontificiorum est non Bezæ aut meum. Quod si tamen auctores illi de qui-

bus loquitur vir doctus, loco de quo jam quæstio est voce *consiliis* nunquã usi fuissent, ego quidem non admodum dolerem. tum quia Bezam melius sensum vocis γνώμης assecutum censeo, tum quia horum auctoritate Pontificii abuntur adversus nostros, in cõtroversia de cõsiliis suis euangelicis ut simpliciores seducant. 5. Non probat vir doctus auctores illos de quibus loquitur vocem consilii, loco de quo quæstio est, eo significatu sumsisse quo ipse eam sumit. Quod si tamen hoc probaret, τὸ αὐθεντικὸν ἔφα (ut vir doctus loquitur lib. pag. 191.) *in solutum non acceperemus.* Addit: *Possem addere, quod Oecumenius* γνώμῳ *apud Paulum explicat* συμβουλῇ *quæ idem est quod* βουλῇ, *aut etiam aliquid minus. Vnde apud Aristotelem in Rhetoricis, est genus orationis* Συμβουλευτικὸν *quod* deliberativum *latini vocant. Sed progrediendum est.* Resp. 1. nihil juvat Oecumenius virum doctum nisi everterit ea quæ pro versione Bezæ dicta sunt. Nam τὸ αὐθεντικὸν ἔφα. vestigia viri docti sequentes in solutum non accipimus. 2. Consilium divinum (ut ostensum est) obligandi vim habet. Quod si autem Oecumenius συμβουλῇ vertens γνώμῳ apud Apostolum *consilium* quod non obligat, intellexit, auctoritate ejus magis non teneor quam vir doctus Bezæ, Iunii, Riveti, & aliorum. Sed id nondum à viro docto demonstratum est. 3. Si συμβουλὴ minus est quam *consilium* & Oecumenii auctoritate vir doctus pugnare velit, jam male latinus interpres γνώμῳ *consilium* vertit, quod est contra hypothesin ipsius; & consilia quæ tradit Apostolus secundum virum doctum 1. Cor. 7. *minus* quam *consilia* erunt. Dicat ergo nobis vir doctus, quo nomine appellanda sint? 4. Nesciebam ego oratores cum orationes habent quas generis *deliberativi* vocant, non consulere aut faciendum aut omittendum id de quo agunt, sed *minus* quid facere.

Pergo ad reliqua theseos meæ 21. verba, quæ hæc sunt. 3. *Vir doctus dum ita solicite, tum hic tum alibi Dialogistam excusat, alios vero præter rationem toties carpit, à partium studio omnino liber non fuisse videtur.* 4. *Operæ pretium facturus fuisset auctor: si expressisset, num sentiat in honestatem communem peccari posse, eis* (lege &) *quidem modis à Dialogista expressis Dialog. pag.* 100. 101. *ut tamen contra legem Dei & contra naturam non peccetur; item num putet, aliam non videri indecentiam quæ contra legem Dei & contra naturam*

vam peccet, præter illam quæ sexus confundit; quos natura ipsa discriminavit, ut Dialogista loquitur: An vero contrarium statuat. Ad hæc vir doctus; Resp. 1. *Me Dialogistam nusquam* excusasse, *sed ubicunque recte mihi sentire videbatur eum approbasse, & egregia ejus inventa in usus meos sedulo convertisse, ubi minus recte, libere* rejecisse. 2. *Me neminem (scientem quidem) contra rationem carpsisse, nec virum doctum hoc usquam demonstrasse.* 3. *abesse me à partium studio tota mearum disputationum* διχονομία *ut spero probabit, in quibus* χωρὶς προσωποληψίας *quæ vera judicabam ubicunque ea reperirem selegi, quæ falsa repudiavi. Novit hoc vir doctus, unde miror cur me eo carbone denigret. Quid de ipso dici posset, quem apparet passim in existimationem amici, in causa quam revera improbat velificari, ipsum considerare malo quam odiosius exagitari.* Resp. Ad primum. Si excusare, est aliquem à sphalmate quod merito objicitur, niti purgare, excusavit vir doctus Dialogistam, qui ipsum sæpius à sphalmatibus quæ merito ipsi objeci purgare nisus est. Ad secundum, virum doctum præter rationem sæpius alios carpsisse, abunde tum disputationibus meis de capillis, tum hoc opere, ut opinor, demonstravi. *Scientem eum* id feciisse non dixi. Ad tertium 1. Quandoquidem vir doctus affirmat à se abesse partium studium, errore mentis eum alios sæpius præter rationem carpsisse dicam (Nam carpsisse eum sæpius alios præter rationem, ex iis quæ hactenus disputata sunt æquus lector comperiet) Ea tamen lege, ne vir doctus in posterum mihi *calliditatem & callidam dissimulationem* atque alia ejusmodi objiciat. Nam si mihi ipsi credendum suspicionem studii partium à se removenti: etiam ipsi mihi fides adhibenda est, calliditatem, callidam dissimulationem, & alia similia à me amolienti. 2. Facile patior ut lector disputationes viri docti percurrat, & cum iis mea conferat. Nam non dubito quin inventurus sit talia, unde dicere potuerim, virum doctum, *non alienum* à partium studio videri. 3. Etiam non refugio quin judicet lector ex collatione eorum quæ ab ipso & me disputata sunt, num per præteritionem rhetoricam mihi objici possit, me in existimationem amici *in causa quam revera improbem passim velificari.* 4. Odiosas ipsius exagitationes nihil reformido, nam iis jam assuetus sum, & sine viribus esse deprehendi. Pergit: *Quæstiones quas mihi è Dialogista proponit, transilire cogitabam, quia ego*

quæ iisdem continentur nec scripsi, nec citavi, nec eis approbationem meam præfixi, & citra eam rem totam intelligi posse existimavi, verum occurrit mihi quiddam inexpectatum, id quod propositum meum hac in parte sufflaminavit, videlicet, quod quærat vir doctus an hæc talia, quæ Dialogista in exemplum attulit possint ita fieri ut contra NATURAM *non peccetur, idque ut certo consilio factum agnoscerentur, eadem phrasis altera vice repetitur. Quod ergo unum è præcipuis est, quæ reprehendimus in Poimenandro, nempe eos qui comam nutriunt* CONTRA NATURAM *peccare, id conatur vir doctus obtinere in re paulo magis odiosa. Neque ipse tamen de eo sententiam suam dicit (id quod hactenus sedulo evitavit) sed eam ex me se elicere posse sperat. Sin taceam causæ meæ etiam circa rem capillarem diffidere forte alicui videbor.* Resp. 1. Non erat ratio quare hæc transilire cogitaret vir doctus. nam si sibi duxit monendum populum Christianum adversus Poimenandrum (libert. pag. 12.) ne impingat: an non etiam, ubi judicium ejus quæritur de iis quæ ex Dialogista hic affero, respondere tenetur, nimirum ut populus Christianus aut quod sequatur, aut quod fugiat norit? Vltro accurrere ad monendum populum Christianum vir doctus officii sui esse existimavit: & tamen invitatus ut judicium suum diceret de iis quæ Dialogista habet, se teneri non arbitrabatur. 2. Quandoquidem approbabat sententiam de violatione decori sive honestatis communis, *sine peccato*, an non ipsi respondendum fuit ad exempla illa violationis talis quæ idem Dialogista ad illustrationem sententiæ suæ protulit? ut quæ sola sufficere arbitrabar ad sententiam illam evertendam. 3. Certo certe consilio *τὸ contra naturam* bis expressi, quia id scriptum in Dialogista inveni: & falsum esse quod Dialogista asserit hactenus credidi. adeo ut viro docto ea de re dubitandum non esset. 4. Non hoc est unum è præcipuis quæ reprehendis in Poimenandro; Sed quod ipsum dixisse fingis, nimirum nutritionem capillorum virilium esse ita contra NATURAM ut peccata illa quæ commemorantur Rom. 1. 26. nisi libitum sit dicere, omnia peccata quæ sunt contra NATURAM esse ex peccatorum illorum genere: quod tamen nunquam consequeris. 5. Cum defendi probabiliter dici *naturam* apud Apostolum significare, legem naturæ, inclinationem naturalem, honestatem naturalem, an non significavi me credere nutritionem capillorum virili-

rilium, quam prohibet Apostolus, esse contra naturam? Sed quid ego hæc? Disputationes meæ de capillis, abunde docent nutritionem capillorum non more (ut vir doctus vult) sed natura esse metiendam. adeoque peccare *contra naturam* qui id non facit: non tamen ut ii de quibus Apostolum Rom. 1. vers. 26. 27. agit, peccatum contra naturam admisisse dicuntur. Sperabam ex te consequi ut aut probares aut improbares ea quæ ex Dialogista proposui.

Pergit: *Quæstio est de pinnis, de cornibus, de auribus asininis, de cauda vulpina aut felina an gestari possint citra peccatum contra naturam? dico posse. Addo etiam honeste posse. Ictum aliquem calami exspecto, ut qui rem ipsi incredibilem protulerim. Verum πάντυξον ἀλλ' ἄκουσον. Vidisti ne unquam, in insignibus nobilium pinnas, cornua, vel cervina vel alia summitati galeæ imposita? nimirum vidisti, & quotidie videre potes, sed quid hoc ad rem? audies postquam aliud addidero. In patria mea (ea olim erat superior Dioecesis Vltrajectina) familia est è maxime spectabilibus, quæ tria asinorum capita in scuto gestat, Pileum autem cum auribus asini in cono galeæ. Hæc nunc tantum vidimus depicta, verum tempus fuit cum ita ornati ad bellum procederent, atque etiam ad ludos equestres, nisi feciissent indigni suis majoribus. Honestatæ ergo tum temporis, & in illo casu fuerunt pinnæ, cornua, aures asininæ per receptum morem; (quem regulam decori fassus es)* AT PECCATA CONTRA NATURAM *honestari nullo modo & per nullas circumstantias possunt. Non ergo per hæc* contra naturam *peccatum est. De cauda vulpina (nam de felina nihil occurrit sed eadem est ratio) quod mihi occurrit referam. Quum adolescens in Galliis essem, vidi famulos sutorum rubro ut vocant birreto tectos, quod ambibat cauda vulpina. Id lege fieri, ut ex reliquis opificibus dignoscerentur dicebatur rex statuisse, si supervixisset, omnes qui artes manuarias facitabant, simili quadam nota à se invicem discriminare, ad civium qui eorum opera uti vellent commoditatem. Vides & caudam vulpinam ibi honestatam esse, nec si quis illam gerat* contra naturam *peccare. Eadem imo major & evidentior ratio est quidquid incassum obniteris.* Resp. Quomodo percuterem, quandoquidem te in fugam conjicis? Mutas enim statum quæstionis. Nam quærebatur num sentias cum Dialogista, peccari posse in honestatem communem gestamine cornuum, aurium asininarum, pinnarum, caudarum vulpinarum & felinarum, quibus fassus erat Dialogista peccari in honestatem

communem, attamen in legem & naturam peccari negaverat? Tu vero fingis quæstionem esse, an hæc quæ Dialogista in exemplum attulit, ita fieri possint ut contra naturam (nulla mentione legis facta) non peccetur: & quasi ad rem responderes ais, *posse* & quidem *honeste*. Item cornua, pinnas &c. posse *honestari*. Si ad rem respondere voluisses, aut dixisses posse peccari in honestatem communem & quidem per summam levitatem, talium rerum gestamine, ut tamen contra legem & naturam non peccetur, aut Dialogistæ sententiam (quam etiam & quidem luculentius thesi 20. exhibui, quamvis cum eam examinares, ne verbo quidem attigeris) mecum rejecisses. Concidit ergo quidquid hic operose congeris. Certe quod si ego ad tua sic respondere, diceres *me velificari in existimationem amici*, aut *me callide statum quæstionis mutare*. Mihi tamen te non libet imitari: lectori judicium committam. 2. Ais me fassum *morem regulam esse decori* nulla distinctione decori adhibita. Imo libert. p. 107. dixisti me id fassum *de honestate in communi considerata*, & quidem indicata thesi mea 20. Sed id hactenus non probasti, nec unquam probabis. Vnde sine dubio factum est, ut cum versareris in examine thesios dictæ, ea de re ne mutire quidem ausus fueris, tantum abest ut id probaveris, quod tamen factum oportebat, cum id nec libert. pag. 107. nec alibi probasses. τὸ ἀνατὸς ἔφα (recognosce verba tua) in solutum non accipimus. 3. Cum ais *honestatas fuisse illo tempore pinnas, cornua per receptum morem*, quem tu regulam decori (& quidem in communi considerati libert. pag. 107.) statuis, in honestatem communem peccatum tum non fuisse asseris. Atq; adeo te à quæstione proposita deflexisse, teq; de alliis cum ego de cœpis quærerem respondisse fateris. 4. Quis peccata contra naturam honestari posse dixit? possunt actiones substratæ peccatis quibusdam quę contra naturam id est sanam rationem fiunt, in sensu diviso, honestari, at nulla peccata honestari possunt, ne quidem minima. 5. Si existimas nullam actionem, quam aliquo casu honestari contingit, ubi vitiosa est, esse contra naturam profecto vehementer erras. Actio qua quis se ipsum aut alium indebitè mutilat, in sensu diviso, honestari potest, attamen tamen talis actio ubi indebita est, contra naturam est. Sed sine dubio obversabantur animo tuo peccata illa de quibus Apostolus ad Rom. 1. vers.

verſ.26.27.verum de talibus quæſtio inſtituta intelligi nequit,niſi placitum tibi ſit, Dialogiſtam de cujus ſententia agebatur, ſenſiſſe quod qui muliebrem habitum ſumunt, comis muliebrem in modum caput velant, peccatorum talium rei ſint. Nam ait, cum agit de oppoſita ſpecie honeſtatis illius in quam cum peccatur, in legem & naturam peccari negat, id eſt quam honeſtatem communem vocat, *peccare contra legem Dei & contra* NATURAM *ipſam, qui muliebrem habitum ſumunt, qui more muliebri caput comunt, & non ſolum crines intonſos nutriunt, ſed etiam quod inde neceſſario conſequitur, eos in capite ita componunt, ut iis caput velatum habeant, quomodo ſolent mulieres.* 6. Honeſtari poſſe capillorum virilium nutritionem ex quæſtionibus meis textualibus me credere, habuere potuiſti, minime tamen inde conficies quidquid moliaris, nutritionem quam damno, non eſſe contra naturam id eſt ſanam rationem, ſive legem naturæ. Nam phraſi peccati contra naturam ludere conſuevisti. 1 Nunc, *& inex ſpectatum aliquid tibi accidiſſe* narra.

Pergit: *Quæ de confuſione ſexuum è Dialogiſta, ut ait, adjicit, quia locum unde ea habeat, non annotat, ea præteribo, neque enim libet in tenebris micare, aut diſputare de jure antequam conſtet de facto.* Reſp. Si voluiſſes,paginam ubi Dialogiſta id habet annotatam vidiſſes theſ. 19. nimirum 102. hoc eſt proximam 101. quam hac theſi indicatam cernis.Sed ſicuti tibi conſultum dixiſti(licet provocatus eſſes) ut ea de re ad theſin 19. taceres, ſic & hic, neſcio qua occaſione arrepta, reſponſionem mihi denegas.. 2. Quia tamen ais quod tibi non libeat in tenebris micare, peto ut cum 102. etiam 103. legas, & ubi legeris, aperias num ſentias verum eſſe quod Dialogiſta ait, nimirum non eſſe aliam indecentiam contra legem & naturam præter illam quæ ſexus confundit quos natura diſcriminavit: & num eo pertinere ſtatuas cum Dialogiſta; ſi vir muliebrem veſtem induat,item ſi more muliebri caput comat,& non ſolum crines intonſos nutriat ſed etiam quod inde neceſſario ſequitur, eos in capite ita componat, ut iis caput velatum habeat, quomodo ſolent mulieres. Nam cum hic, te reſponſum non dare ſignificas ob locum non indicatum, licet nuper aliud prætenderis, nimirum quod te non geras pro cenſore librorum, colligo te loco indicato non recuſaturum nobis aperire quid ſentias, ſi non in noſtri, ſaltem

tem in populi Christiani gratiam. Pergit: *Gratificatus sum viro docto in expendendis exemplis Dialogistæ, nunc meo jure vicissim petere videor ut verbo significare velit, quid de alio ejusdē exemplo, vel axiomate sentiat, quod citavi* thes. 2. *videlicet, tam eum contra decorum (ac proinde contra communem honestatem) peccare, qui nunc inter capillatos omnes detonsus incedit, quam qui inter detonsos capillatus? Nam si putet hoc falsum esse, litem auctori Dialogi moveat de notione honestatis communis, quod tamen à se removet* thes. 20. *Sin verum esse fateatur manifesto corruit opinio Poimenandri. Ita Titio hic ardet ab utroque extremo ut mihi mirum non sit, virum doctum digitos tam solicite continuisse.* Resp. 1. Quomodo mihi gratificatus sit vir doctus jam auditum est. Dabo tamen operam ut etiam ipsi gratificer, & quidem melius; nec id mihi molestum erit quia jam antea & quidem sponte & ipsi & aliis gratificatus sum hac in re. Nam ex quæst. text. 2. th. 7. & 8. habere potest, non peccare in honestatem communem qui inter capillatos omnes detonsus incedit: quia tonsura capillorum virilium est honestatis naturalis. cui nulla *honestas communis* præjudicare potest. Nam *honestas communis* quæ honestati naturali contraria est, non re sed tantum opinione hominum honestas est. Peccare vero non tantum in honestatem communem sed etiam naturalem qui inter detonsos capillatus incedit, nisi forte gravis subsit necessitas. 2. Titio quem hic accēdere nititur vir doctus tuto à me apprehendi potest. Nam licet non moverim Dialogistæ litem de notione *honestatis communis* (quamvis aptiori phrasi eam significari potuisse censeam) nec ægre tulerim ea significari genus illud decori, quod ex institutione humana est, quæ vel mos vel lex aliqua humana esse potest; inde tamen non sequitur me assensum quod adducit in exemplum, & jam allatum est à viro docto, eo pertinere, Fortiter in eo me opposui Dialogistæ, ut liquet ex disput. text. p. 4. thes. 6. & quæst. tex. 1. parte 2. fere per totam. Pergit: *Quod si quid ipse de hac quæstione sentiam flagitet, quanquam mihi primo responsum debet, tamen postquam liberalis esse cœpi, dicam quod sentio. Puto ergo dictum illud verissimum esse. Idque probo non tantum exemplo eorum quibus inusitata ipsis tonsura displicuit in Hadriano Iunio (nosti quid de eo publicaverit claris. affinis tuus) forte enim eos fuisse dices homines indoctos, & communis honestatis imperitos, quod quanti sit*

nunc

nunc non tango: Sed viri docti gravis theologi, & morum censoris acerrimi, Erasmi videlicet Roterodami, is enim circa tempus quo homines contra communem morem strictim tondere incipiebant, id inter exempla extremæ levitatis & insolentiæ retulit. In colloquio militis & Carthusiani fratri è bello reduci, & omnibus flagitiis cooperto inter alia objicit. At ego inquit, te probe agnosco cui non solum vestis mutata est, verum etiam facies, totusque corporis habitus. Quot coloribus pictus es! nulla avis æque variat plumas suas. Tum quam omnia secta, quam NIHIL JUXTA NATURAM aut MOREM COMMUNEM. adde TONSUM VERTICEM, barbam semi rasam, sylvam quæ supra labrum superius est, perplexam, nec aliter hinc & hinc prominentem, quam solent in felibus pili longiores. Vides opinor tonsum verticem tum temporis iis quæ & contra communem morem, & NON JUXTA NATURAM essent, ab Erasmo annumeratum. Nam quæ Carthusianus dicit, sententiam Erasmi continere, non dubitabit qui & Dialogum, & Epistolam de utilitate colloquiorum in calce ab auctore adjectam vel obiter inspexerit. Idem in Franciscanis. Si quis vellet furem aut homicidam, afficere extrema ignominia, nonne satis esset, si præciderit illi interulam supra nates, si partes pudendas turpiter prominentes lupinis pellibus convestiret, caligas diversis coloribus variegaret, vestem quæ thoracem tegit ac brachia totam conscinderet, vel uti rete faciens ex veste, scapulas ac vestes nudaret, barbam partim demeteret novacula, partim demitteret, partim intorqueret, CAPILLOS TONDERET, adderet pileum undique sectum, cum ingenti fasciculo plumarum, ac sic juberet prodire in publicum? Nonne magis traduceret hominem quam si morionis cucullam adderet cum AURICULIS PRÆLONGIS & tintinabulis? & tamen sic ultro se ornant milites ac sibi placent: & reperiunt quibus hoc pulchrum videatur, cum nihil possit esse insanius. In ejusdem Cyclope cum Polyphemus, ut cultus insolentiam excusaret, dixisset: Quemadmodum sæpenumero sub tunica cinericea latet animus tyrannicus, ita nonnunquam ATTONSUM CAPUT, circumtorta barba, torva supercilia, truces oculi, vertex plumam ventilans, sagum militare, caligæ intersecta, tegunt euangelicum animum. Respondet Cannius: quid ni nonnunquam & sub pelle lupina latet ovis, & si qua fides apologis, sub exuvio leonis latet asinus. Observa eundem Cannium paulo ante dixisse, si quis mihi ista specie ignotus occurreret, in mari piratam esse crederem, si in nemore sicarium.

um. Hoc dicit de homine ATTONSO CAPITE, *quod nunc totidem verbis dicitur de comato.* Resp. 1. Iam dudum intellexi virum doctum statuere *honestatem in communi consideratam ex more æstimari* libert. pag. 107. adeoque eum statuere non tantum contra decorum agere, qui unus inter capillatos omnes detonsus incedit, aut qui inter detonsos capillatus: sed etiam qui inter omnes muliebri more comptos, incomptus, aut inter omnes nudos solus vestitus incedit. Hoc enim ipsi dicendum est si thesin suam de honestate in communi considerata tueri vult. 2. Non debebam viro docto explicare sententiam meam super hac quæstione, quia jam dudum eam explicueram quæst. text. 2. thes. 7.8. 3. Exspectabam virum doctum sententiam suam quam nobis hic exhibet probaturum rationibus, sed nullam profert. Inopem ergo rationum sententiam ipsius esse oportet. 4. Novi quid de Hadriano Iunio publicaverit Clariss. affinis meus: sed etiam novi Hadrianum Iunium, ut se tueretur, tractatum de coma scripsisse, quo non mediocriter causam viri docti afflixit, & enervat quidquid ex Erasmo pro se & Dialogista affert. 5. Solicitus non sum de iis qui factum Hadriano Iunii improbarunt, quia nec ipse vir doctus multum iis tribuere videtur. 6. Erasmum virum doctum fuisse nemo negat, At vero Theologum gravem, & morum censorem acerrimum fuisse vir doctus dicit non probat. Imminuit non nihil *gravitatem* illam Erasmi quod Beza ait lib. de hæreticis puniendis: Ad *Erasmum* inquit *ascendo, á quo ultro profiteor me in plærisque dissentire. quid enim in eo potissimum sequar, non invenio, qui ita* VARIUS *est, ut eum satis appareat, quid crediderit dissimulare quam aperire maluisse.* Et HUNC *nobis Belli* OPPONIS *cujus* PRÆJUDICIO *tot Sanctæ Ecclesiæ ut crudeles arguantur.* Quod si viro docto displicet hoc judicium Bezæ, ipse Erasmum de se loquentem audiat in Epistol. ad Bilibaldum: *Quantum apud alios*, inquit, *valeat authoritas Ecclesiæ, nescio. Certe apud me tantum valet, ut cum* ARIANIS & PELAGIANIS SENTIRE POSSIM, *si probasset Ecclesia quod illi docuerunt?* Hæccine vir doctus gravitatem Theologicam sapere judicabit? *Censuræ* vero morum rigiditatem quod attinet, nescio an tanta sit quantam vir doctus prædicat. Mihi certe displicet quod in Colloquio cui titulum fecit *Conjugium*, laudat mulierem quæ adulterio mariti subser-

servicbat. 6. Testimonia, quæ vir doctus hic affert, si probat, id quod nobis narravit libert. pag. 194. & 195. de pinnis, cornibus, auribus asininis, de caudis vulpinis & felinis nimirum quod *honeste gestari possint*, occidit. Præterea, ipsi statuendum erit, *juxta naturam* esse, comatum esse non tonsum: item habitum militarem præsertim honoratiorum, qui etiamnum in usu est, esse repudiandum, & denique barbas quales jam à multis gestantur contra decorum esse. Conferantur hæc quæ dico cum testimoniis illis. 7. Nescio quid sibi velit quod π *auriculis prælongis* literis majusculis scripserit. Id enim mihi non tantum non nocet, verum etiam vehementer prodest. Nam auriculas illa prælongas irridet Erasmus quas honeste gestari posse vir doctus tuetur. libertat. pag. 194. & 195. 8. Omisit quod Erasmus habet in Franciscanis, nimirum *negari non posse in vestibus esse decorum quod apud sanos & cordatos* SEMPER *decorum est: at rursus indecorum, quod apud omnes qui sapiunt indecorum videri* DEBET. Quod certe viro docto admodum contrarium est. Quia ipse decori sive honestatis in communi consideratæ morem regulam facit. libert. pag. 107. 9. Etiamsi Erasmus talis esset qualem vir doctus eum nobis depingit, & nihil non adversum me, omnia pro viro docto diceret: an magis ego tenerer ejus auctoritate, quam vir doctus Iunii, Riveti, Bezæ aliorumque quos contra eum adduxi? Nesciebam ego mihi τὸ ἀνδρὸς ἴφα in solutum esse accipiendum, at viro docto licitum repudiare auctoritates scriptorum orthodoxorum & quidem eruditissimorum quoties eos sibi contrarios esse videt. Vide libert. pag. 191. Pergit: *Quid ais vir docte? Satin commode veritatem dicti à Dialogista allati in aperta luce posui? Iam concilia hæc mihi cum opinionibus Poimenandri, si potes, sed sine ambagibus, sine verborum παιπαλήμασι, nam res clarior est quam ut eum ad modum obscurari se patiatur.* Resp. Minime vero veritatem dicti Dialogistæ de quo loqueris in aperta luce posuisti. Nisi tibi libitum sit sic argumentari: quidquid dixit Erasmus hoc verum est. Atque Erasmus dixit &c. 2. Non tantum veritatem quam jactas in aperta luce non posuisti, sed etiam testimoniis Erasmi, quod dixisti de pinnis, cornibus, auribus asini &c. evertisti. 3. Æq;, imo magis difficile tibi erit conciliare opiniones tuas cum Francisco & Hadriano Iunio & Synodis nostris, quam mihi opi-

niones Poimenandri cum Erasmo. 4. Vtri nostrum ambages & verborum παιπαλήματα tribuenda sint, judicabit prudens lector.

CAPUT XXXIII.

PRæcepta Dei improprie dicta an dentur? Contradictio. Obligatio circa res juris divini & quæ sunt ex institutione humana. Præceptum Apostoli 1. Cor. 11. 14. an constitutio humana? Festus Hommius. Lanc. Andrews. Kellesius. Voetius. Ministri extraordinarii. Augustinus errans temere approbatus. Rivetus. Davenantius. Chamierus. Augustinus recte sentiens. Franc. Junius. Distinctio actionum indifferentium. De matrimonio. Detorsio. Janua & occasio luxandi præcepta Dei. Criminatio de sublata libertate explosa. Liberalitas sinistra. Licentiæ janua & occasio aperta. Crambe recocta viri docti placitorum mors. Criminatio de dissimulatione explosa. Petitio principii imaginaria. Potentia logica quid? Bellum sine adversario. Peccatum ex circumstantiis proprie peccatum esse à viro docto negatum. Abusus vocis circumstantiarum. Scholastici de circumstantiis actuum humanorum. Contradictio. De contemtu justo & injusto. De detrimento. Perspicuitas obscura. Argumentatio de abjectione dignitatis elisa. Oratio Rhetorica & Logica. Abjectio dignitatis formalis & interpretativa. Borstius. De incessu viri ad lævam uxoris. γυναικοκρατία. Jacobus Laurentius. Signa naturalia & arbitraria. Signa juris non semper signa exercitii.

„ PRrogredior ad thesin meã 22. ubi sic loquor. Ad 8. ait vir
„ doctus 1. Quod visum sit ex voce ἀδιαφόρως non sequi ἀμφιβόλως,
„ nec ex oppositio ejus decoro sive communi honestate
„ non sequi præceptum proprie dictum. Resp. 1. Vide quæ ad 4. & 5.
„ dicta sunt. 2. Mihi incognita est distinctio, qua præcepta divina di-
„ spescuntur in præcepta proprie & improprie dicta. Videtur autem
„ auctor significare quod sentiat, Apostolum disputatione sua qua
„ agit de modo orandi & prophetandi 1. Cor. 11. tantum consilium
„ sive monitum aliquod prudentiæ dare, quod tamẽ Corinthii sequi
„ non teneantur. Sed an non sic januam & occasionem aperit lu-
„ xandi præcepta divina? Si enim hoc admittatur, quod velle vide-
„ tur, an non facile erit plurima ex præceptis divinis, in consilia &
„ monita prudentiæ & præcepta non proprie dicta, atque adeo non
„ proprie obligantia convertere? Deinde annon sibi contrarius est?
„ Sic enim disp. 3. th. 11. loquitur. Cæterum ut hanc acceptionem ad
„ rem de qua agitur pertinere constet, ostendendum quomodo se-

xus.

» xus, doceat viro inhonestam comam prolixam, quod ita edisseri-
» mus : sexus virilis & muliebris inter se comparati, docent illum
» quidem ad imperium, hunc ad subjectionem natum esse, ideoque
» illi non autem huic, potestatis insignia convenire. Inter quæ cum
» apud Corinthios censeretur caput integumento liberum hinc se-
» qui, *non nisi inhonestum illis* esse posse, si id capillis muliebrem in
» morem velatum haberent. Certe si ait Apostolus naturam id est
» sexum docere quod prolixa coma viris Corinthiacis inhonesta es-
» set, *item*, quod non nisi inhonestum esse posset iisdem, si caput ca-
» pillis muliebrem in morem velatum haberent : Constat Aposto-
» lum hic præceptum proprie dictum tradere, & præcipere ne caput
» muliebrem in modum velatum haberent. Nam non puto quem-
» piã Theologorum dicturum, posse quempiam facere quod non ni-
» si inhonestum esse potest, citra violationem præcepti proprie dicti.
» Respondet vir doctus. 1. *Lectorem ad ea quæ jam dicta sunt remittit quæ non repetam.* 2. *Sibi incognitam ait esse distinctionem, qua præcepta divina dispescuntur in præcepta proprie & improprie dicta. Resp. Non ita disjunxi, sed id* DE QUO APOSTOLUS PRÆCEPTUM DEI NON HABET, *negavi esse posse præceptum proprie dictum, nominatim* DIVINUM. *Est enim oppositum in apposito, præceptum non habere, & tamen præceptum divinum dare. Quod adjunxi* proprie dictum *id factum ne latebræ quærerentur in voce præcepti, late interdum sumi non ignoro. apud Ciceronem præcepta disserendi, præcepta dicendi, præcepta & instituta philosophiæ, præcepta medicorum invenias. Idem Tuis inquit Monitis præceptisque omnis est dolor abjiciendus. Præcepta proprie dicta appello ut à viro docto sumuntur, quæ vim legis habent.* Resp. Ad primum. Neque ego repetam quæ viri docti responsionibus cap. 30. opposui. 2. Distinxit vir doctus inter præcepta Dei *proprie* & *improprie* dicta. Cum enim disp. 5. Thes. XI. (quam thesi hac 22. examinavi) diceret : *Vidimus ex ἀπρίας voce non sequi ἀκροβυσίαν nec ex ejus opposito decoro sive communi honestate præceptum* PROPRIE DICTUM, non de alio quam divino præcepto loquebatur. Nam non puto ipsi rem fuisse cum adversariis qui dicerent ex voce *ἀπρίας*, & oppositio ejus decoro sive honestate sequi præceptum humanum proprie dictum. Quoniam itaque negabat ex eo de quo agebat sequi præceptum *proprie dictum*, distinguebat præcepta Dei in pro-

prie & improprie dicta. alioqui enim simpliciter ipsi negandum fuisset, ex eo de quo loquebatur, sequi præceptum. 2. Non video quomodo vir doctus hic solvat quod ipsi objeci de distinctione illa præceptorum Dei mihi incognita. Ait se negasse id de quo Apostolus præceptum non habet, esse posse præceptum *proprie dictum*, nominatim *divinum*. Nam cum sic loquitur, nihil aliud consequitur, quam quod negarit, præceptum divinum *proprie dictum* in loco Paulino habere locum; adeoque se dispescuisse præcepta Dei in proprie & improprie dicta. Alioqui enim frustraneum esset τὸ *proprie dictum*. 4. Quæ hic charactere grandiori scribit, ex thesauro suo nunc vir doctus depromit. Thesi illa XI. dixit *ex voce ἀληθείας & oppositio ejus decoro, sive communi honestate non sequi præceptũ proprie dictũ*. 5. Potest quis (si modo detur) præceptum *improprie dictum* habere qui *proprie dictum* non habet. atque ita sine contradictione qui se *proprie dictum* præceptum divinum habere negat, *improprie dictum dare*. 6. Non quæritur utrum vox præcepti aliquando late, aliquando stricte sumatur apud bonos auctores, sed utrum præcepta Dei alia sint *proprie*, alia *improprie* dicta, quod ego nego, vir autem doctus, quidquid nunc dicat, se credere ostendit thesi illa XI. Pergamus. ait ergo vir doctus, *Addit, videtur autem auctor per illud suum præceptum non proprie dictum significare, quod sentiat Apostolum disputatione sua, qua agit de modo orandi & prophetandi* 1. Cor. 11. *tantum consilium, sive monitum aliquod prudentiæ dare, quod tamen Corinthii sequi non tenerentur. Resp. Imo quod non sit de re in se necessariæ observationis, sed indifferenti. Aliud est quærere, ad quid Corinthii tenerentur illo loco, illo tempore, illis moribus, nam hoc pertinet ad circumstantias, quæ per accidens se habent ad materiam præcepti. Et tamen minorem eam fuisse obligationem etiam respectu Corinthiorum quam sit ea quæ versatur circa præcepta.* 1. *Legem Dei, ipse vir doctus non obscure docuit thesi sua* XX. *ubi agnoscit aliam obligationem esse circa res quæ* IURIS DIVINI *sunt, aliam vero quæ nascitur aut ex consuetudine, aut quacunque* CONSTITUTIONE *humana, sive Politica sive* ECCLESIASTICA *circa res indifferentes.* Resp. 1. Negat mihi vir doctus, quantum video, se statuere, præceptum illud Apostoli non proprie dictum, esse tale consilium sive monitum quod sequi non tenerentur CORINTHII. Nam antea nos docere vo-

voluit nimirum disputat. 3. thesi 11. præceptum illud non versari circa nutritionem comæ prout abstracte à circumstantiis consideratur; verum prout vestita erat circumstantiis loci, temporis morisque apud Corinthios recepti. Sed quomodo hoc consentiat tum cum disput. 3. thes. 8. ubi negat dissuaderi nutritionem comæ sub ratione illiciti sive peccati; tum cum natura præcepti non proprie dicti, quod Apostolus ab ipso tradere dicitur non obstante *decoro* & *honestate* (uti loquitur) *communi*, ego quidem non video. 2. Demus τὰ συγχωρήσεως circumstantiam loci, temporis, morum præcepti illius non proprie dicti se habere per accidens ad materiam præcepti, minime tamen dicere potest vir doctus eam se habere per accidens ad præceptum illud improprie dictum, ut quæ statuitur ab ipso disp. 3. thes. 11. fundamentum præcepti illius. 3. Dixi aliam esse obligationem circa res quæ sunt juris divini, aliam quæ nascitur aut ex consuetudine, aut quacunque constitutione humana sive politica sive ecclesiastica nimirum (uti addidi) quia quæ juris divini sunt per se & immediate nos obligant, at vero quæ aut consuetudine aut quacunque constitutione humana nituntur, ex se nullam obligandi vim habent, (ut quæ in se spectatæ indifferentes esse supponuntur,) sed omnis obligatio, qua ad observationem illarum adstringimur, ex jure divino fluit & mediata est. at vero de majore aut minore obligatione locutus non sum; 4. Multo minus de minore obligatione etiam respectu Corinthiorum locutus sum; ut qui jam dudum significavi me plane sentire præceptum Apostoli, non niti circumstantiis loci, temporis & moris apud Corinthios recepti, nec esse de decoro quod fluit ex consuetudine aut constitutione aliqua humana sive Politica sive Ecclesiastica, sed de decoro sive honestate naturali. Pergit: *Irascetur vir doctus, quod constitutionem Apostolicam inter humanas retulerim. Profecto humana est, ubicunque Apostolus præceptum non habet, quæ fatente viro docto sunt* CONSILII NON PRÆCEPTI. Resp. Non irascor ita facile ac vir doctus sibi persuadet, sed miror magis, quod talia ipsi excidant. Nam si hæc constitutio Apostoli *humana est*, quomodo verum esse poterit quod ait Apostolus 2. Timoth. 3. v. 16? *Tota scriptura divinitus est inspirata*. Et quomodo 1. Cor. 7. vers. 40. agens de iis quæ vir doctus consilii esse vult non obligantis,

pro-

provocabit ad Spiritum Dei? *Videor autem* inquit *mihi & ego Spiritū Dei habere.* Meminerit vir doctus, Festum Hommium ut errorem in Arminio notasse quod in publica disputatione dixisset, *Apostolos quædam scripsisse non ex instinctu S. Sancti, illudque probare conaretur ex* 1. Cor. 7. 12. Videatur Specimen ejus controversiarum Belgicarum artic. 3. Consideret quoque insignem quendam Theologum qui dixerat, *quæ ad salutem pertinent, ab Apostolis statuta esse afflatu divino; in cæteris sæpe usos esse sua prudentia, ut innueret Paulus,* eo nomine à Lanceloto Andrews episcopo Wintonienſi graviter reprehensum fuisse. Verba ipsius sunt opusc. pag. 193. *Parcius ista de Apostolis* prudentia *usis:* PERICULOSE *enim vel dicitur, vel scribitur, Apostolos in quibusdam afflatu divino, In reliquis* PRUDENTIA *sæpe usos, idq; in iis quæ scripta reperiuntur. Atqui vel illum ipsum locum ubi τῇ τῶν ἐμῶν γνώμῃ scis ita concludi δοκῶ ἔγωγε πνεῦμα θεοῦ ἔχειν, ita ut vel illius γνώμη à Spiritu Dei dictamen suum habuerit.* Hisce addere poterit, si velit Kelletum miscellan. lib. 2. c. 9. pag. 98. & seqq. aliquot. Nec non Cloppenburgium disput. 3. *de Canone Theol.* quæ est *de S. Scripturæ auctoritate*, ubi Thes. 13. sic loquitur; *Neque in contrarium aliquid efficitur ex verbis illis versu* 25. Præceptum non habeo sed consilium do: *quia nequaquam intellexit Paulus, præceptum de scribendo: sed præceptum de nubendo vel non nubendo, quod scilicet virgines* UNIVERSALITER *obliget, ut nubant aut innuptæ* OMNES *maneant; Affirmat itaque se habere consilium virginibus salutare, quo se ipsas explorent, ac cognoscant quid secundum Deum singulis, fas aut nefas sit. Atque eo pacto γνώμη seu* CONSILIUM ILLUD *finaliter resolvitur* IN DIVINUM MANDATUM *quod posita singulari hypothesi, singulas obliget ad alterutrum; quemadmodum expressum est mandatum ut junior vidua, quæ continentiæ donum non habet, nubat* 1. Timoth. 5. 14. Præterco Rev. Collegam meum Gisb. Voetium placitum viri docti quod hic impugno disputatione sua, *quousque se extendat autoritas Scripturæ* thes. 18. evertentem, ut quem forte admittendum negabit, quia non tantum mecum libellum Poimenandri, sed etiam Diatriben meam de capillis approbavit; quamvis disputationem illam ediderit anno 1636. id est multis annis ante editum libellum Poimenandri & Diatriben meam. 2. Negamus viro docto Apostolum suadere aut dissuadere indiffe-

differentia, quatenus talia, contendimus que de omnibus quæ suadet aut dissuadet, secundum quod suadet aut dissuadet, ipsum præceptum habuisse. Nec est quod vir doctus hic nobis objiciat illud Apostoli 1. Cor. 7. v. 25. *de virginibus autem imperium domini non habeo.* Nam loquitur Apostolus ibi (ut etiam à Cloppenburgio bene observatum est) de præcepto universali & absoluto, non de particulari & hypothetico. Verum esse quod dico liquet vel ex v. 27. ubi ait: *solutus es ab uxore? ne quære uxorem*, collato cum v. 9. *Quod si se non contineant matrimonium contrahant.* Addo, nusquam dicit Apostolus in disp. sua de modo orandi & prophetandi, de qua hic agitur se præceptum Dei non habuisse. Imo vero tota illa disputatio Apostolum præceptum Dei habuisse clamat. 3. Ego nusquam fassus sum Apostolum circa ea quæ suadet aut dissuadet præceptum non habuisse, multo minus, ipsum tradidisse quippiam quod CONSILII NON PRÆCEPTI sit. Retineat sibi vir doctus placita sua, non mihi ea obtrudat. Pergit; *Constitutiones porro de quibus Paulus ibi agit sunt Ecclesiasticæ & loco & tempore aliisque circumstantiis mutabiles, ut antea ostensum.* Resp. 1. Negamus Apostolum 1. Corinth. 11. tradere constitutiones Ecclesiasticas, pro ut vulgo, phrasis *constitutionum Ecclesiasticarum* sumitur. Loquitur enim de rebus honestatis naturalis. 2. Non valet ratiocinatio viri docti. Nam demus ex συγχωρήσεως Apostolum ibi tradere constitiones Ecclesiasticas loco, tempore aliisque circumstantiis mutabiles, minime tamen inde sequitur de iis Apostolum præceptum non habuisse, ut nimirum tales Corinthiis in hac differentia circumstantiarum constitutis, præscriberet. Nam quidquid tradidere Apostoli Ecclesiis id ab ipso Spiritu Dei profectum fuit: Et nisi hoc mordicus teneamus (verba sunt Bezæ lib. de repud. & divort.) necesse fuerit totam Apostolicam doctrinam labascere. Vnde idem Beza blasphemia non carere ait sententiam eorum (notet hoc vir doctus) qui censent Apostolum cum ait 1. Cor. 7. 12. *Reliquis autem ego dico non Dominus*, significare, se quod tradit de re, de qua ibi est sermo, humanitus non divinitus protulisse. Nec refert jam ἐκ συγχωρήσεως nobis viro docto datum fuisse, constitutiones de quibus agimus mutatis circumstantiis mutabiles fuisse. Quia etiam constitutio Apostolorum Act. 15. 29. de suffocato

& sanguine, circumstantiis locorum, personarum & temporum mutabilis erat, nec tamen propterea in constitutionum humanarum classem rejici potest. Ipsi enim Apostoli hanc constitutionem à Spiritu Sancto ut causa principali, à se viro ut ministris processisse dicunt. Versu enim 28. ajunt: Visum est enim SPIRITUI SANCTO & nobis. 3. Quam non ostenderit vir doctus id quod se ostendisse ait, ex iis quæ hactenus disputata sunt, (ut opinor) manifestum est. Pergit: *Occurrit mihi hic insignis locus S. Augustini lib.* 1. *de sermone domini in monte, ubi rem quam in manibus habemus plenissime exponit. Si ergo, inquiens, nō* PRÆCIPIT *ex Domini persona, sed ex sua persona* MONET, *ita est hoc bonum, ut si quis aliter fecerit non sit præcepti transgressio: sicut de virginibus paulo post dicit,* PRÆCEPTUM *Domini se non habere,* CONSILIUM *autem dare: atque ita laudare virginitatem, ut arripiat eam qui voluerit, non tamen, ut si non fecerit, contra præceptum Christi fecisse, judicetur. Aliud enim est quod* IUBETUR, *aliud quod* MONETUR, *aliud quod* IGNOSCITUR. IUBETUR *mulier à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro reconciliari; aliter ergo non licet facere.* MONETUR *autem vir fidelis si habet uxorem infidelem consentientem secum habitare, non eam dimittere; licet ergo & dimittere, quia non est præceptum domini, sed consilium Apostoli. Sicut* MONETUR *virgo non nubere, sed si nupserit,* CONSILIUM *quidem non tenebit, sed contra* PRÆCEPTUM *domini non faciet.* IGNOSCITUR *cum dicitur: Hoc autem dico secundum veniam, non secundum* IMPERIUM. *Hæc Augustinus è quibus si exemeris primum exemplum ejus quod* MONETUR *(in quo proculdubio erravit) in reliquis non video quid merito fugillari possit.* Resp. 1. Agitur hic de modo orandi & prophetandi de quo Apostolus 1. Cor. 11. at de eo non loquitur hic Augustinus, ut manifestum. Proferat mihi ergo vir doctus alium locum quo probet Augustinum sensisse Apostolum disputantem de modo orandi & prophetandi dare non præceptum *proprie* sed improprie dictum. 2. Locus hic judicio viri docti adeo insignis, ipso fatente talis est, ut errore non careat. Quod si autem vir doctus cum venia magni illius patris, se errorem in illo notare posse existimavit, liceat & mihi illa quę ex eo vir doctus pro se affert cum venia ejusdem inter *Paleas* Augustini numerare. 3. Si in hisce verbis Augustini

omnia

omnia recte se habent excepto primo exemplo ejus quod *monetur*, quod est de dimissione uxoris infidelis marito fideli cohabitare consentientis, recte se habebit quod ait, *ita laudare Apostolum virginitatem* UT ARRIPIAT EAM QUI VOLUERIT, *non tamen ut si non fecerit, contra præceptum Christi feciſſe judicetur*; Sed nescio qui vir doctus id statuere possit. 1. Quia falsum est, Apostolum 1.Cor.7.v.9. *tantum monere* non autem *præcipere* iis qui continentiæ dono prædíti non sunt, ut matrimonium contrahant. 2. Quia approbavit libert.pag. 187. dictum Riveti statuentis, *non omnibus consuluiſſe Apostolum ut in cœlibatu viverent*, qui VELLENT. Imo è contrario non solum CONSULUISSE sed etiam IMPERASSE, ut qui se NON CONTINENT, NUBANT. Item asserentis, ut alia omittam: *Apostolum, eis qui dono continentiæ & vocatione divina prædíti sunt, ut in cœlibatu vivant, non simpliciter consilium dare, sed mandatum.* Nec non dictum Davenantii idem cum Riveto sentientis. vid.cap.hujus operis 32. 4. Potuisset vir doctus si voluisset, ex Pontificiis etiam alia loca patrum pro *consiliis* adducere; verum si id feciſſet, nihil promoviſſet. Responderem enim ei id quod affert Chamierus Panstrat. Tom.3. lib.21. c.21. de *consiliis* contra Pontificios agens, nimirum: *Supersunt Patres quos potuit sane multo majore numero recensere. Nam cui non dictus Hylas? Cui non decantata continentia? Nos tantorum virorum neque pacem solicitemus, neque defectus imitemur. Torserunt illi scripturas, ad præjudicatas suas opiniones, quarum vim Origenes expertus, quem solum testem habuit Bellarminus ante seculum quartum: exinde quo magis receſſum, eo plures: quod amat fieri in humanis placitis. Nobis neque initium ullum, nisi à Christo & ab Apostolis; neque quicquam certi, nisi quod ab initio.* 5. Quandoquidem vir doctus, mihi Augustinum opposuit, quamvis minime agẽtem loco quem producit de sensu disputationis Apostolicæ de modo orãdi & prophetandi de quo quæstio instituta erat, etiam ego aliquid ex eo afferam, nimirum ut intelligat Augustinum sensisse nõ consilium, non monitum quod non obliget ab Apostolo tradi 1.Cor.11. sed veri nominis PRÆCEPTUM & quidem perpetuum. Sic ergo Pater ille ait lib. de opere monach. *Quid autem iniquius quam velle sibi obtemperari à minoribus, & nolle obtemperare majoribus? Apostolo dico, non nobis* IN TANTUM

UT ETIAM JAM COMAM NUTRIANT. *Vnde ille nec disputari omnino voluit, dicens: Si autem quis vult contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Hoc autem præcipio ut scilicet non differentis solertia requiratur, sed* PRÆCIPIENTIS *authoritas attendatur. Nam & hoc quo pertinet quæso, tam aperte contra Apostoli* PRÆCEPTA *comari? An ita vacandum est, ut nec tonsores operentur? An quia Euangelicas volucres imitari se dicunt, quasi depilari timent ne volare non possint. Vereor in hoc* VITIUM *plura dicere, propter quosdam* CRINITOS *fratres, quorum præter hoc multa & pene omnia veneramur.* Et postea: *Quapropter qui recte facere nolunt: desinant saltem docere perversa. Sed alii sunt quos isto sermone corripimus: illos autem qui hoc uno* VITIO *capillorum contra* PRÆCEPTUM APOSTOLICUM *demissorum, offendunt & perturbant ecclesiam: quia cum alii nolentes de illis mali aliquid sentire, coguntur* MANIFESTA VERBA *Apostoli in perversam detorquere sententiam, alii sanum intellectum* SCRIPTURARUM *defendere malunt, quam quibuslibet hominibus adulari &c.* Huc etiam pertinent quæ idem ille pater habet Epist. 73. Inde enim habemus sensisse eum, non tantum Apostolum loco de quo controversia est tradidisse veri nominis præceptum, sed etiam tale quod à circumstantiis personarum, locorum & temporum petitum non esset.

Pergit: *Quærit porro vir doctus: an non sic januam aperiam luxandi præcepta divina? Ego contra an non vir doctus januam aperiat ad tollendam omnem libertatem Christianam? quomodo ego luxo præcepta divina, cum ago de iis quæ* NON SUNT PRÆCEPTI, *ut ipse vir doctus loquitur? & de quibus Apostolus fatetur se* præceptum non HABERE? *nec de iis se loqui ait* καὶ ἐπιτάγω. 1. *per modum præcepti? talia autem sunt omnia indifferentia, ea enim Deus libera Christianis esse voluit, non ergo præcepto adstrinxit, nec ad alteram partem determinavit.* Resp. Quomodo ego januam aperio ad tollendam omnem libertatem Christianam, qui doceo dari indifferentia, tantum nego dari consilia divina quæ non obligent; & quod nunc vir doctus prioribus addidit, dari monita Apostolica, quæ non divina, sed humana sunt? 2. Luxas præcepta Dei per consilia tua divina quæ non obligent, & per monita Apostolica, humana. 3. Vbinam dico ea de quibus agis non esse præcepti? Imo contendo quæ præcepti esse

esse negas ex Prov.6.1. & 11.15. 1.Cor.7. nec non 1.Cor.11.esse præcepti. Nec obest quod mihi hic rursus objicis: quod Apostolus fatetur, se præceptum non habere: Nam distinxi & distinguo inter præcepta universalia & absoluta, & particularia & hypothetica. Et ajo Apostolum 1. Cor. 7. loqui de prioribus illis non posterioribus. Si me non audis, audi Franciscum Iunium ad Controv. 5. Bell.lib. 2. cap. 9. ubi art.7. 45. ad verba illa Bell. *ubi multis modis proponitur* CONSILIUM *continentiæ*, sic ait: *falsum, non enim consilium sed mandatum continentiæ datur iis qui ad continentiam vocati sunt à Deo. Vocatio autem non consilii sed necessitatis est. Sic enim statuit Apostolus* 1.Cor.7. 17. *Vt unicuique donum partitus est Deus, ut unumquemque vocavit dominus ita ambulet &c. Itaque & conjugatos & cœlibes æquè manere in sua illa conditione jubet, dum ita fert donũ & vocatio Dei. Quod si donum & vocatio Dei aliter tulerit, mutari vult institutum vitæ.* 4. Etiam inter indifferentia, est occisio hominis, quia vel bene vel male fieri potest, ergo Deus liberam Christianis occisionem hominis secundum virum doctum esse voluit, nec præcepto occisionem hominis astrinxit. At quid absurdius? Limitares saltem dictum tuum, nimirum, Deum indifferentia esse voluisse & præcepto ea non astrinxisse, nimirum quatenus indifferentia sunt. Nam dantur indifferentes actiones quæ tales sunt in genere. Dantur etiam quædam quę sunt tales in specie. Nullæ dantur quę tales sunt in individuo. Posita autem hac limitatione concidunt omnia quæ de indifferentibus disputas. Verbi gratia indifferens est contrahere matrimonium sed in genere: non in specie. Nam qui non continet se, tenetur ad conjugium 1.Cor.7. 9. Qui se continere potest, nec ulla necessitate urgetur ad conjugium, tenetur ad cœlibatum 1.Cor.7.17. *Sed ut unicuique donum partitus est Deus, ut unumquemque vocavit, ita ambulet.* Vides hic opinor, Deum quod in genere indifferens esse voluit, in specie liberum non reliquisse, sed præcepto astrinxisse. Pergit: *Addit: Si enim hoc admittatur, quod velle videtur, an non facile erit plurima ex præceptis divinis in consilia & monita prudentiæ & præcepta non proprie dicta, atque adeo non proprie obligantia convertere? Resp. Quid an qui præcepta à monitis vel consiliis distinguit facultatem dat hæc in illa mutandi, vel hæc cum illis confundendi? Imo contrarium facit.* Resp. 1. Verba mea ratio-

tionem continent qua probo virum doctum januam & *occasionem* (quam vocem, quæ exstat in thesi mea & explicat quid per januam intelligam, omisit vir doctus) aperire luxandi præcepta divina. Ipse autem fingit à me dictum à se facultatem dari præcepta in monita convertendi, vel hæc cum illis confundendi. Habeat ille sua, mihi mea relinquat, & ad ea respondeat. 2. Ajo virum doctum hac sua distinctione inter præcepta & monita prudentiæ sacrarum scripturarum, aperire januam & occasionem luxandi præcepta divina. Quod ut videat lector velim recurrat ad disp. ejus 5. th. 9. Vbi ait: *Consilia porro, sive documenta prudentiæ in scriptura exstare circa res per se indifferentes, exemplo sit Salomo* Prov. 6. 1. &c. 11. 15. *Vbi dehortatur ne fide jubeamus vel pro amico vel pro extraneo. Nō quod hoc in se sit illicitū* v. Gen. 43. 9. Philem. v. 9. *sed quod damnosum, nisi cum magna circūspectione fiat.* Ex hisce talis syllogismus emergit: Quidquid aliquando honeste fit, id si dissuadeatur, non est præcepti, sed moniti prudentiæ; nec dissuadetur sub ratione illiciti sed detrimenti tantum. Atqui fidejussio aliquando honeste fit Gen. 43. 9. Philem. vers. 19. Ergo fidejussio cum dissuadetur Proverb. 6. 1. & 11. 15. non est præcepti sed moniti prudentię, nec dissuadetur sub ratione illiciti sed detrimenti tantum. Subsumā ego sub majore: atqui occisio hominis mutilatio sui & alterius, & sexcenta ejusmodi aliquādo honeste fiunt. Ergo. Præterea, passim illud inculcat: De virginibus præceptum domini non habeo: ut probet quæ Apostolus postea de virginibus dicit non esse præcepti sed consilii. Hinc autem talem syllogismum conficio: qui præceptum de virginibus non habuit is quę postea de illis disserit, non præcepti sed moniti prudentię esse vult. At vero Apostolus de virginibus præceptum non habuit. Ergo. subsumam sub majore: Atqui Moses de occisione hominis præceptum non habuit. Ergo quęcunque tradit de occisione hominis non præcepti sed consilii sunt. Loquor hic de occisione hominis ut in genere consideratur; sicuti quoque Apostolus de virginitate cum ait se præceptum domini non habere, intelligendus est. nisi libeat dicere Apostolum non præcipere virginibus incontinentibus ut matrimonium contrahant, aut non imperare dono continentię & vocatione præditis ut cœlibes maneant. At id respuit vir doctus libert. p. 187. 3. Velim ut vir doctus nobis

bis tradat κελεύσεις per quæ distinguamus præcepta divina à monitis prudentiæ, ut dici possit ipsum non aperire januam & occasionem luxandi præcepta divina. Nam hactenus nulla vidimus quibus acquiescamus. Quod enim ait de *commodo* & *incommodo*, tale est ut non satisfaciat: Quoniam etiam vere jubentur quæ cum incommodo conjuncta sunt; & multa vetantur vere quæ commoda. Addit: *Videat autem vir doctus, an non si ubicunque Apostolus loquitur, præceptum divinum esse putemus, etiam ubi se præceptum divinum habere negat, facile erit omnia quorum Deus indifferentem nobis ac liberum usum permisit, in res quæ sunt* DIVINI JURIS *atque adeo necessariæ observationis mutare. Quo dato perit omnis Christiana libertas, & redit illud, μὴ ἅψῃ, μὴ γεύσῃ, μὴ θίγῃς. quod tantopere in Christianis displicet Apostolo* Col. 2. 21. Resp. 1. Frustra est hæc admonitio viri docti. Nam à superstitione tantum absum quantum ipse aut quivis alius. Hoc urgeo, nulla dari monita scripturarum, quæ non sint præcepta: probet vir doctus contrarium, (nam id hactenus quidem ab ipso tentatum fuit sed minime factum) & manus dabo. Sed sat scio ipsum hoc nunquam facturum. 2. Etiam nego (quod tamen asseruit vir doctus) Apostoli constitutiones Ecclesiasticas (quas vocat) humanas non divinas esse. Quia plane mihi persuadeo à Spiritu Sancto Apostolo dictatas, & sic ab eo Corinthiis præscriptas 1. Cor. 11. 3. Nunquam dixi Apostolum præceptum divinum habuisse ubi se præceptum divinum habere negat, id è thesauro suo mihi largitur vir doctus. Sed dico licet Apostolus divinum præceptum de virginibus se non habere dixerit, nimirum quod universale & absolutum esset, ipsum tamen particularia & hypothetica de iisdem, quæ vere divina erant, tradidisse. Cujus rei me non pudet; inde enim non sequitur interitus Christianæ libertatis, nec quippiam quod absurdum sit. 4. Vir doctus non perimit libertatem Christianam, sed licentiæ non Christianæ, placitis suis de monitis suis Dei non obligantibus, & constitutionibus Apostolorum humanis, januam & occasionem aperit.

Pergit: *Addit mihi me contradicere quia dixerim prolixam comam Corinthiis non nisi inhonestam esse posse, unde concludit ea violari præceptum. Resp. Hoc è superioribus repetitum, & ibi solutum esse, neque hic recocta crambe reponetur.* Resp. 1. Quam feliciter vir doctus ad hoc re-

respondent videri potest hujus operis cap. 25. 2. Mirum non est hanc CRAMBEN RECOCTAM tantopere refugere virum doctum ut eam non reponendam censeat, quia certam mortem placitis ipsius afferre eam ostensum est.

» Sequitur in thesi mea; 2. Ait ἀλυσιτελῶν apud Apostolum significare
» id per quod homo despicitur, & quo dignitas & æstimatio ejus
» minuuntur. Resp. non improbo: modo id notet turpitudinem
» moralem aut saltem eam implicet. Hoc enim velle Apostolum ex
» serie argumentationis Apostolicæ, & ex iis quæ ab hoc ipso auctore
» re concessa sunt disputat. 3. thes. 11. habetur. Respondet vir doctus. *Postquam repetiveram quid ἀνυσίτελον non esset, inquirebam quid ergo sit? Ad quod percommode nobis faciem alluceri à Borstio agnoscebam, qui ἀλυσιτελῶν esse ait id per quod homo despicitur, & quo dignitas & æstimatio ejus imminuitur, idque applicans rei de qua agitur, comam prolixam cum sit subjectionis signum & minoris dignitatis, ideo virum non decere. Hanc explicationem probavi* thes. 12. *Sed observavi per eam everti quod docetur de peccato per se. Vir doctus dissimulato Borstii nomine, & prioribus tantum verbis repetitis dicit se ea non improbare, modo, inquit, id notet turpitudinem moralem, aut saltem eam implicet. Resp. Si* morale *vocat quicquid quoquo modo ad* mores *sive consuetudines spectat, turpitudinem moralem facile implicari concedemus, oritur enim ex neglectu consuetudinis receptæ. Verum si per turpitudinem moralem peccatum intelligit, principium petit, hoc enim est in quæstione.* Resp. 1. observationem viri docti nunc prætereo ut de qua sequenti pericope dicam. Minime autem prætereundum quod rursus mihi dissimulationem impingit. si enim proprie dictam mihi tribuit præter meritum meum id facit. Nam sufficiebat mihi referre sententiam viri docti; nulla autem ratio erat cur memorarem à quo illam haberet, præsertim cum illam probarem cautione tamen addita. 2. Per moralem turpitudinem peccatum intellexi, nec ea de re viro docto ambigendi ratio erat. Novit enim quid apud Scholasticos *moralis* turpitudo notet, ut etiam quæ mea de nutritione capillorum sit sententia. 3. Nescio quomodo dicere potuerit, me principium petere. cum provocarim ad seriem argumentationis Apostolicæ, & concessa à viro docto de quibus antea actum fuit, & quidem non sine incommodo ipsius.

Ad-

» Additur in thesi mea: 3. Inquit posse hominem se despicabilem
» reddere per id quod in se peccatum non est, ut si edat in publico
» aut sine pallio in foro ambulet. Resp. 1. ἀπροσδιόνυσον hoc est, nam
» ut ostensum est, loquitur Apostolus de tali re quæ moraliter tur-
» pis est, aut saltem talem turpitudinem implicat. 2. Ostendendum
» erat auctori, an de potentia Physica an Ethica loquatur. Item quid
» sibi velit phrasi *in se*. Respondet vir doctus: *de moraliter turpi jam responsum est. Potentiam nec Physicam nec Ethicam, sed Logicam intelligo* 1. possibilitatem. *Peccatum* in se *est quod tale est circa circumstantias suas consideratum. Nam quod ratione circumstantiarum duntaxat peccatum est, est peccatum* per accidens, per *se autem, vel* bonum, *vel saltem* indifferens *esse potest. Quis hæc ignorat? Aperiendum erat auctori (ut ejus formulis utar) quid sibi velit per hasce quæstiones.* Resp. 1. Responso viri docti de moraliter turpi jam satisfactum est. 2. Videt ergo vir doctus me merito quæsiviſſe quid per *potentiam* intelligat, quandoquidem tot modis *potentia* vox sumitur. 3. Cum potentia logica nihil aliud sit quam *non repugnantia terminorum*, docet nos vir doctus non *implicare* ut homo se despicabilem reddat eo quod in se peccatum nõ est. At quid hoc ad rem? nam rursus supererit quæstio, utrũm *non repugnantia* illa de qua loqui se dicit vir doctus, de actu hominis despicabilem se reddentis pro ut *Physicè* an prout *Ethicè* consideratur sit intelligenda? 4. Nullum ergo vir doctus peccatum *in se* agnoscit nisi actionem *intrinsice* malam. Nam *circumstantias* vocat, ut mox videbimus, quidquid actionem quoquo modo indifferentem, indifferentium numero eximit: Quod si ergo, ut paulo ante dixit, thes. 12. observavit per explicationem suam everti quod docetur de peccato *per se*, (quod ipsi idem est cum peccato *in se* ut ex verbis ipsius liquet) observavit everti quod à nemine docetur. Impingit quidem Poimenandro, id quod doceri dicit, verum, ut ostensum, ipsi injuriam facit. 5. Quandoquidem vir doctus thesi sua 12. quod peccatum *in se* vocavit, in eadem mox *proprie* peccatum vocat, quod ex circumstantiis peccatum est, *proprie* peccatum esse non agnoscit. 6. Imo quis ignorat virum doctum vocem *circumstantiarum* longe aliter sumere, quam apud theologos usurpatur? Non gravabor viro docto aperire quid per hasce quæstiones mihi voluerim. Videbam ipsum

ambigue loqui, propterea petivi ut quid sibi vellet explicaret.
„ Sequitur in thesi mea; 4. dicit contemtum illum quo se mulctat
„ qui se despicabilem reddit, non esse peccatum *proprie sed* detri-
„ mentum. Resp. Nemini licitum est se mulctare comtemtu, Prov.
„ 22.1. Eccl.7.1. nisi majoris & necessarii boni causa. 2. Contemtus
„ qui alicui infertur est vel injustus vel justus; ille peccatum, hic
„ vero effectus est peccati. 3. Detrimentum citra causam idoneam
„ sibi ipsi inferre nemini licet. Ratio est, 1. quia recta ratio quemque
„ sui conservationem quærere jubet. 2. Quia qui sibi nequam alteri
„ bonus futurus non præsumitur. Respondet vir doctus ad primum.
Licebit ergo hoc facere majoris boni causa, & per consequens hoc IN SE *peccatum non est. De illo enim verum est illud Apostoli: Non sunt fa-cienda mala ut eveniant bona.* Resp. 1. Quandoquidem vir doctus hic mulctationem qua quis se contemtu mulctat *indebitam* negat IN SE peccatum esse; & antea nos docuit quod *in se* peccatum non est, ubi peccatum fit, ratione *circumstantiarum* tantum peccatum esse, ostendit quod ante diximus verum esse, nimirum se per *circumstantias* intelligere quidquid rem quoquo modo indifferentem, indifferentium numero eximit, & vel *bonam* vel *malam* facit. Adeoque se velle occisionem hominis injustam, concubitum viri & mulieris non conjugatorum, & sexcenta alia *in se* non peccata, sed tãtum esse peccata *per accidens*, nec tantum hic id significat, sed etiam alibi passim. At negant Scholastici circumstantias ita late extendẽdas, ut ab illis dependeat substantia actus, in genere causæ vel efficientis, vel materialis, vel formalis, vel finalis. Sed accipiendas esse monent pro conditionibus, quæ etsi non pertineant ad substantiam actus, unde & sine illis actus fieri posset, ipsi tamen actui, aliquo modo conjunguntur. Videatur inter alios Sylvius ad 1. 2. qu. 7. art. 3. Vbi etiam habebit lector explicationẽ eorum quæ *circumstantiæ* vocari solent: & quomodo sese ad substantiam actus habeant. Ad hæc nemo hactenus quantum mihi quidem constat ita locutus est, ut diceret, occisionem hominis injustam, item concubitum viri & mulieris non conjugatorum & similia esse peccatum non *in se* sed *per accidens*. 2. Si verum est quod dixi (quod vir doctus diffiteri non audet) videlicet nemini licitum se mulctare contemtu nisi majoris & necessarii boni causa, sequitur jam ab

Apo-

Apostolo prohibitam fuisse viris Corinthiis nutritionem comæ sub ratione illiciti sive peccati quod vir doctus negat. Nam non puto ipsum dicturum Apostolum loqui de ἀληθείᾳ ratione majoris & necessarii boni expetenda, cum ipsis τὸ κομᾶν ratione ἀληθείας inde secuturæ dissuadet. Alioqui enim dissuaderet τὸ κομᾶν, tali ratione qua potius τὸ κομᾶν ipsis suadere debuisset. Periit ergo rursus monitum prudentiæ viri docti quod non obliget. Et quidem eo magis quod τῷ ἀληθείᾳ decoro sive communi honestati oppositam dicit thesi nimirum 11. & affirmat libert. pag. 175. *nullam rem ratione decori moralis sive honesti quæ ipsi accedit esse indifferentem.* Ad secundum ait : *Est de se* indifferens, *cum detrimentum sit non* peccatum, *quod vero juste vel injuste inferatur, ei per accidens accedit. Injustus porro contemtus est in* contemnente *non in contemto de quo hic agitur. Alioqui Christus ipse peccator fuisset, cum* injuste *contemneretur. Iustus autem contemtus non semper est pœna peccati, sed sæpe consequens alicujus indecore gesti, etiam sine peccato. Nisi ludas in voce* Iusti *quasi talis contemtus sit actus justitiæ quod ridiculum est.* Resp. 1. Contemtus qui alicui infertur est *in genere* indifferens, quia vel juste vel injuste inferri potest. In specie tamen est vel injustus vel justus. Quia vel contra vel secundum rectam rationem infertur. 2. Vt contemtus est vel justus vel injustus, sic quoque detrimentum quod alicui infertur in specie consideratum. 3. Contemtus ergo justus *bonum per accidens* est, & injustus *peccatum per accidens:* adeoque etiam contemtus qui Christo irrogatus fuit, tantum rationem inferentium peccatum per accidens fuit. Nam contemtus absolute & in se spectatus abstrahendo à circumstantiis quas vir doctus vocat, in se indifferens est. An hæ non sunt κακοτροπίαι, quas tamen vir doctus tantopere in adversariis reprehendit? Vide præfat. libert. præfixam. 4. Esto, sit contemtus qui alicui infertur vel justus vel injustus per accidens, quæritur ac justus vel injustus *per accidens* fuerit contemtus ille quo se mulctabant Corinthii quibus suadet Apostolus ne se eo mulctarent? justum fuisse non dicet vir doctus, quia non dissuasit Apostolus Corinthiis ne juste agerent. Ergo injustus fuerit necesse est. Vnde consequitur non monitum prudentiæ dedisse Apostolum Corinthiis, sed veri nominis præceptum. 5. Agitur de Corinthiis *se* ipsos *contemtu mulctantibus.* Verba

viri docti sunt: *ille ipse contemtus quo talis se mulctat.* Ergo si injustus contemtus est in contemnẽte, etiam in Corinthiis peccatum erat, se contemtu mulctare. Nam nemo dicitur sive se sive alium contẽtu mulctare, qui ad contemtum sui sive aliorum non cooperatur. At cooperari ad id quod injustum est, injustum sit oportet. 6. quod de Christo ait huc non pertinet. Nam Christus non fuit cooperatus ad contemtum sibi à Iudæis illatum. 7. Iustus contemtus, voce contemtus active sumta pro ut hic sumi debet, nam agitur de *contemtu quo quis se mulctat* semper est *effectus* peccati. Nam justus esse non potest, nisi demeritum præcesserit & jus inferendi fuerit. 8. Vbi indecore aliquid fit, justa causa est contemtus, in omnibus tamen non est jus inferendi. 9. Omnis justus contemtus, qui alteri irrogatur, vi peccati perpetrati existit. adeoque est effectus peccati. vocem *pœna* sibi retineat vir doctus ut qua usus non sum. non amo (ut ipsius formulis utar) nimium liberales. 10. Quomodo potest vir doctus dicere indecore aliquid fieri, sine peccato? cum tamen ipse nos docuerit libert. pag. 175. *nullam rem ratione decori moralis sive honesti quæ ipsi accedit esse indifferentem*: ac proinde etiam nullam rem ratione indecori moralis sive inhonesti quæ ipsi accedit esse indifferentem. Nec est quod hic dicat se loqui de indecoro *materialiter* considerato, quia contemtus qui irrogatur *materialiter* tantum *indecore* agenti, justus esse nequit. 11. Omnis contemtus justus de quo loquitur est actus justitiæ sive universalis sive particularis: atque hoc non est ridiculum. Ad tertium inquit: *Ait: detrimentum citra causam idoneam sibi ipsi inferre nemini licet. idque probat. Resp. Licebit ergo hoc propter causam idoneam, & per consequens non est in se peccatum. Nam nulla idonea causa est peccandi. Sic auctor rursus sua vineta cædit.* Resp. 1. Concedit ergo vir doctus quod dico & probationes meas firmas esse agnoscit. 2. Licet detrimentum de quo loquimur in genere, 1. ut vir doctus loquitur sine circumstantiis consideratum sit indifferens, minime tamen tale est in specie spectatum. Sed vel bonum vel malum. Quoniam autem ἀδιάφορα de qua Apostolus loquitur non consideratur in genere, id est (ut vir doctus loquitur sine *circumstantiis*) sed in specie, id est vestita circumstantiis (nam ipse disp. 5. thes. x. ait opponi ab Apostolo *decoro*, sive *communi honestati*, quam *more quo*

sit

sit regula decori æstimari dicit. v. libert. pag. 107.) necessum est ut ἄλυσιν, sive detrimentum illud de quo loquitur vir doctus indifferens non sit, sed vel bonum vel malum. Bonum esse nequit, quia Apostolus non dissuadet bonum: malum ergo esse; adeoque illicitum statuendum est. Hinc patet me non mea vineta cœdere, sed viri docti placita evertere.

» Ad thesin meam redeo in qua sequitur: 5. Dicit aliud esse virum
» dignitatem, quam præ muliere habet, abjicere quod injurium esset
» in legem divinam: aliud vero symbolum ejus negligere, quod sine
» peccato fieri potest. Resp. 1. Oratio Rhetorica distinguenda est à
» logica. 2. Abjicit saltem interpretative & ratione operis sui digni-
» tatem quam præ muliere habet, quisquis signum dignitatis illius
» citra causam & quando non debet negligit. Quia tantundem facit
» ac si significaret, se pœnitentia duci quod nõ sit fœmina; atq; ita in
» legem Dei est injurius. Deut. 22. 5. Nec valet in contrarium, quod
» manum dexteram claudere sit virilis prærogativæ juxta Borst. p.
» 22. nec tamen inde firma consequentia nunc sit ducenda ob con-
» suetudinem magnatum ad arguendam γυναικοκρατίαν. quia sic injus-
» ria fieret multis piis matronis, quæ reverentia & subjectione er-
» ga maritos multas alias antecellunt. Ratio est quia distinguendum
» est inter abjectionem dignitatis formalem & interpretativam.
» Nec non inter signa dignitatis naturalia & arbitraria. Ad hæc in-
quit vir doctus. *Tam perspicuam doctrinam objecto fumo nonnullarum distinctionum vir doctus conatur obscurare, idque tam breviter ac tumultuarie, ut quid sibi velit plerunque non exprimat, sed divinandum relinquat. Videamus tamen an medullam aliquam extundere possimus ex hisce ossibus.* Resp. 1. Vir doctus doctrinam suam *perspicuam* vocat, at quam perspicua sit, patet si *applicetur* (juxta monitum ipsius quod comparet in fine thes. 12.) *ad præsens negotium.* Conatur probare Apostolum dissuadentem viris Corinthiis nutritionem comę, quia viro ἄλυσιν est (quam th. 11. *decoro* sive *communi honestati* oppositam agnoscit) non dissuadere eam sub ratione *peccati* sed *detrimenti.* At quomodo *perspicua* hac *doctrina* id cõsequitur? Talis (ni fallor ipsius est ratiocinatio. Qui eo quod facit nõ abjicit dignitatem quam prę muliere habet, sed tantum symbolum aliquod ejus negligit: is licet se despicabilem reddat, sive se contemtu mulctet, ἀμαρτίαν non

committit. Atqui viri Corinthii comam contra monitum Apoſtoli nutrientes, non abjiciebant dignitatem quam præ muliere habebant, ſed tantum aliquod ſymbolum ejus negligebant. Ergo. Probatur major. 1. Quia abjectio dignitatis talis eſt injuria in legē divinam, neglectus vero ſymboli poteſt fieri abſq; peccato. 2. Quia ab uno ad alterum non licet argumentari. Sed an hic eſt illa perſpicuitas quam vir doctus jactat? Verborum certe perſpicuitas eſt quam minima: Veritatis nulla. Nam 1. major falſa eſt 1. ſi tantum agit de *formali* abjectione dignitatis non etiam *interpretativa*. 2. Si in ea neglectus pro ſimplici *omiſſione* non ſumitur, ſed pro omiſſione *temeraria*. 3. Si per τὸ *deſpicabilem ſe reddere*, item *mulctare ſe contemtu*, ſignificetur aliud quam occaſio *per accidens* deſpicientiæ & contemtus. Secus ſi major accipiatur, minor (ut mox dicetur) falſa eſt. 2. Rationes quibus majorem ſuam probat vir doctus non ſtringunt. Prima enim nihil veri habet, ſi applicetur ad majorem quo ſenſu falſam eſſe dixi. Altera etiam nullius eſt pretii: nam certe à neglectu ſymboli dignitatis temerario, licet argumentari ad ipſius dignitatis abjectionem, ſaltem *interpretativam*. 3. Negatur minor: quia ſaltem *interpretative* abjiciebant Corinthii dignitatem quam habebant præ muliere, contra monitum Apoſtoli, contra decorum ſive honeſtatem, ſymbolum dignitatis virilis per nutritionem comæ negligentes. Quod ſi vir doctus dicat ſe eo modo non argumentari, aperiat nobis quomodo argumentetur, & ſe non perſpicue ſed obſcure argumentum ſuum propoſuiſſe fateatur. Nam quamvis ſtudioſe mentem ipſius inveſtigarim aliud ex verbis ejus argumentum extundere non potui, quod ad locum Apoſtolicum, ad quem nos revocat, accommodatum eſſet. 2. Fumus hic diſtinctionum quem vocat vir doctus, perſpicuam illam de qua loquitur, doctrinam non obſcurat, ſed enecat. 3. Facile patior à viro docto mihi objici quod nimis breviter, quod obſcure, quod tumultuarie agam, quia talibus & pejoribus ejus de meis judiciis jam aſſuevi. 4. Oſſa hæc quæ vir doctus ſe tundere velle ſignificat, ni fallor, ita dura ſunt, ut prius ſe delaſſaturus ſit, quam ut ea frangat, vel medullam aliquam quæ non ſit pernicioſa cauſæ quam defendit, inde extundat. Pergit: *Primo ait: Oratio Rhetorica diſtinguenda eſt à logica. Vult ni fallor: qui ſymbolum negligit rem ipſam negligere,*

gere, non logicè sed rhetoricè. Quod quid ad rem faciat, ubi non rhetorismi sed solidæ demonstrationes quæruntur, alii judicent. Hoc video quidquid id est, tam locum habere in exemplo Borstii, quam in eo de quo disputatur, ut consideranti patebit. Itaque perstat meum argumentum. Resp. 1. Quis usus sit distinctionis quam impugnat vir doctus ex responsione ad majorem argumenti quod allatum fuit, liquet. itaque non perstat illud. 2. Errat cum verba mea alioqui non difficilia interpretanda sumit. Per orationem Rhetoricam intelligo impropriam, per logicam vero propiam. Habeat ergo sibi suam interpretationem ridiculam. 3. Quæsivit vir doctus, fateor, solidas demonstrationes, pro sententia quam propugnat, sed hactenus eum tales non invenisse, ut puto, planum feci. 4. Videre non possum, quid lucretur vir doctus si concedam etiam apud Borstium orationem Rhetoricã à logica distinguendam, nimirum ubi illa utitur. Pergit: *Secunda distinctio est, quod abjiciat dignitatem interpretative & ratione operis sui, licet (ut postea id explicat) non formaliter, qui signum ejus & quando non debet negligit. Resp. non ergo eam abjicit si id ob causam & quando debet facit. Hinc sequitur neglectum illius signi non esse peccatum per se, nam illius perpetrandi causa nulla est, multo minus id perpetrare quis* debet. *Porro hæc etiam valent in exemplo Borstii, nam vir qui mulieri lavam claudit sine causa & quando non debet (quæso vir doctus nos doceat, quando vir hoc debeat) & ipse* interpretative & *ratione operis sui (ut loqui amat vir doctus) prærogativam virilem mulieri cedit. Licet id non faciat formaliter. Itaque hic perstat meum argumentum.* Resp. ex solutione argumenti paulo ante ex viro docto allati, usus hujus distinctionis perspicitur. Nec temere (uti puto) ipse vir doctus allatam vidit. Vt qui nihil solidi, ne in speciem quidem, ut argumentum suum contra eam tueretur adferre potuit. Patuisset hoc si mea lectori representasset. 2. Concedit mihi vir doctus virum qui citra *causam* & quando *non debet*, symbolum dignitatis abjicit, saltem *interpretative* dignitatem abjicere: adeoq; viros Corinthios comam nutrientes, & sic contra monitum Apostoli abjicientes symbolum dignitatis virilis, saltē *interpretative* dignatē virilem abjecisse. nam ipsis causam fuisse abjiciendi symbolum illud, vel debuisse eos id abjicere, vir doctus, ut opinor, non dicet. Nã alioqui Apostolos male eos monuisset, ne abjicerent. Hinc

con-

consequitur, falsam esse minorem argumenti viri docti supra allati, & simul etiam sub ratione peccati dissuasisse Apostolum viris Corinthiis τὸ κεφάλαι quod negavit vir doctus. 3. Eadem ratione concludet vir doctus homicidium etiam crudelissimum atque alia ejusmodi peccata, in quibus actionem substratam aliquando honestari contingit, non esse peccatum *per se*. quo quid absurdius? 4. Valeat id etiam in exemplo Borstii, quid inde lucratus fuerit vir doctus? nam libenter agnosco, virum sine causa & quando non debet, uxori lævam claudentem, *interpretative* dignitatem virilem abjicere. 5. Borstius non negat virum qui negligit symbolum dignitatis virilis, uxoremque (de conjugibus enim loquitur) ad dexteram collocat citra *causam* & quando non *debet*, *interpretative* dignitatem virilem abjicere. Videantur ipsius verba. 6. Ad argumenta viri docti juxta legem ab ipso latam teneor respondere non ad interrogata. Vide libert. pag. 65. *Quanquam* inquit, *licet in tam obscuris, ut opinor aliquid ignorare, nec ad interrogata, sed ad argumenta tenear respondere* &c. 7. Dicam tamen (ut liberaliter cum ipso agam) non *debere* virum uxorem suam ad dexteram collocare, cum id *decoro* repugnat. Quod ipse vir doctus fatetur libert. pag. 75. ubi ait ut aliquoties indicatum, *nullam rem ratione decori moralis sive honesti quæ ipsi accedit esse indifferentem*: debere autem quando *necessitas* urget, v. g. si requirat illud infirmitas corporis alterutrius, vel si id poscat *imperii majestas* in mulierem, non in virum derivata. Nam non puto damnaturum virum doctum imperia illa in quibus γυναικοκρατία obtinet. 8. Non possum hic præterire judicium Iacobi Laurentii quem plurimi facit vir doctus libert. pag. 144. 145. 146. de more magnatum uxores suas ad dexteram collocantium. Is ergo ad 1. Cor. 11. 7. sic ait: *Veluti si & nunc hodie quis dicat, conspiciens maritum incedere ad latus sinistrum uxoris suæ*, QUI PERVERSUS AULICORUM, ET QUI EOS SEQUUNTUR, MOS EST; *natura ipsa vos docet, aut docere debebat; quod vir si incedat ad latus sinistrum, ignominia illi est, mulier autem si ad sinistram incedat, gloria illi est: Quia mulier est subjecta viro, & vir potestatem habet in mulierem*; CUJUS ORDO ILLE INCEDENDI EST SIGNUM AC NOTA. Iudicium hoc præterire non possum. 1. Quia aveo ex viro docto intelligere, (nam quandoquidem ipse me

me interrogat, viciſſim mihi ut ipſum interrogem fas eſſe exiſtimo) utrum hoc judicium Iac. Laurentii approbet nec ne? 2. An ſi probet, ſtatuat caſum non poſſe incidere quo vir uxori latus ſiniſtrum claudere *debeat*? Exiſtimo quidem virum doctum allata ex Iacobo Laurentio approbare: eumque credere cauſam poſſe incidere quo vir mulieri lævam claudere *debeat:* (ſi enim contrarium ſenſiſſet cur à me doceri petiviſſet, quando vir mulieri lævam claudere debeat?) veruntamen quia falli poſſum, peto ut ipſe mentem ſuam aperiat. Confido autem quidquid reſponderit, id tale futurum, ut ipſi non parum incommodaturum ſit. Pergit: *Tertia diſtinctio eſt, inter ſigna naturalia & arbitraria. Vult dicere ut opinor, comam detonſam eſſe ſignum* naturale *prærogativæ virilis, manum autem dexteram ſignum arbitrarium. Ideo illic valere argumentum à ſigno ad rem ſignatam, hic vero non. Reſp. Prius membrum viro docto probandum incumbit. Eſt autem falſiſſimum, nam ſi pilus eo quo dictum eſt modo ſit ſignum naturale, ſequetur omnes tonſos in uxores ſuas imperium obtinere, omnes vero comatos eis parere. Si dicat auctor capillos eſſe* res naturales, *& ego manum dexteram & ſiniſtram eſſe res naturales: ſed nihil hoc ad rationem ſigni.* Reſp. 1. Imo hoc volo, videlicet capillos viriles honeſtè tonſos eſſe ſignum naturale, id eſt quod ſana ratio dictat, dignitatis virilis; adeoque eum qui negligit tonſuram, *ſine neceſſitate* abjicere *interpretative* dignitatem virilem, ut in theſi mea abunde explicatum dedi. At vero non videri mihi tale ſignum dignitatis virilis, inceſſum viri ad dexteram uxoris ſuæ, ſed arbitrarium ſive quod ex conſuetudine tantum manat. Adeoque concludi non poſſe, etiamſi forte propter mutatam conſuetudinem, quiſpiam uxori claudens ſiniſtram non abjiciat dignitatem virilem, non abjicere eandem, ne quidem *interpretative* qui comam nutrit. Interpretationem ſuam vir doctus, ut pote captioſam, ſibi habeat. 2. Immerito ut falſiſſimum quod dictum eſt à me de tonſura capillorum virilium à viro docto rejici inveniet lector quæſt. text. 1. p. 1. theſ. 6. & 7. 3. Sequitur qui citra neceſſitatem comam nutrit *interpretative* dignitatem virilem abjicere: minime autem eum imperium in uxorem non habere. Nam qui interpretative dignitatem abjicit, formaliter ſemper non abjicit, adeoque nec imperium. Qui in loco ab hominibus frequentari ſolito ſine dili-

genti circumspectione jaculatur, interpretative vult homicidium: sed inde non sequitur, talem id formaliter velle. 4. Signum naturale dignitatis virilis, juris non exercitii index est. Verbi gratia, *Sexus virilis & muliebris inter se comparati*, teste viro docto *disput. 3. thes. XI. docent illum quidem ad imperium hunc ad subjectionem natum esse*: adeoque sexus virilis signum & index est, viro jus esse ut uxori imperet: sed an inde sequitur, omnes viros, licet ipsis id jus competat, propterea uxoribus imperare. Ius imperandi quod signum naturale indicat, nihil impedit manere, ubi cessat exercitium imperandi, ut quod non obstante jure, impediri potest, sive per culpam viri, sive uxoris, sive utriusque. cadunt ergo quæ hic vir doctus de tonsis & comatis disputat. 5. Quæ vir doctus de *rebus naturalibus*, nimirum capillis, manu dextera & sinistra adfert: sibi retineat. Nam non dicam id quod me dicturum putavit. Existimo me talia jam dixisse quæ non ita facile refutaturus est, ac illud quod ex suo cerebro, de *rebus naturalibus* nobis promit.

CAPUT XXXIV.

Signum dignitatis per se & per accidens. Naturale & arbitrarium. Peccatū in se quid viro docto. Inconstantia ejusdem. Quæstum non quærendum. Finis operis & operantis. Mutilatio. Signa naturalia immediata & mediata. Phantasmata ficta. An quod arbitrio divino constitutū est, possit esse naturale respectu hominis. Sexus. Storgæ matrum. Arbitrium De tegumento capitis ut fieri possit signum dignitatis per accidens. Absurdum. Silentium. Telum fractum. Quale præceptum Apostoli 1. Cor. 11. Constitutiones Ecclesiasticæ quotuplices? Scandalum activum & passivum. An inter maritum & uxorem locum habere possit. ἀδύνατα. Postulatum. Unde de sensu scripturarum judicandum? Casuistæ Pontificii. Cardinalis Cusanus. Desertio theseos. Magnates male defensi. Dilemma. Omissio. Liberalitas noxia. Contradictio. Epinicium inane. Falsa persuasio. Negligentia. Voetius. Approbatio diatribes.

RElíquum theseos meæ 22. versatur in examine eorum quę attulit vir doctus disp. 5. thes. 13. Verba Theseos sunt: 6. „ Maxime hoc quod dictum est præcedenti articulo obser„ vandum, ubi symbolum aliquod in usu non est, atque adeo sym„ bolum esse desiit. Resp. Iterum distinguendum est inter signa di„ gnitatis per se & per accidens, naturalia & arbitraria. Item inter fi-

» finem operis & operantis. Qui negligit citra cauſam & cum non
» debet, ſignum per ſe & naturale dignitatis virilis; abjicit quodam-
» modo prærogativam dignitatis ſuæ quam præ muliere habet, et-
» iamſi ſignum illud forte in uſu non ſit, & forte hoc non intendat.
» Quia opus ipſum eo ſpectat. At qui negligit ſymbolum dignita-
» tis per accidens & arbitrarium quando amplius non eſt in uſu, iſti
» culpæ non eſt affinis, non magis quam is novitatis ſectator dici
» poteſt, qui in indifferentibus id quod aliquando uſitatum erat,
» nunc autem non eſt, omittit. Ad hæc vir doctus ait: *Hic vir doctus quartam diſtinctionem comminiſcitur, nempe inter ſigna per ſe & per accidens. Antea quærebat quid eſſet peccatum* in ſe, *quod tamen omnes ſciunt, nunc mihi liceret quærere quid ſit ſignum per ſe, niſi id ipſe exponeret, cum addit*, ſigna *naturalia & arbitraria. Ita ut diſtinctio hæc coincidat cum ſuperiori. Quæ ergo ibi dicta ſunt, hic repetantur* Reſp. 1. Merito me quæſiviſſe de quo vir doctus loquitur, res ipſa docet. 1. Quia ita peccatum *in ſe* expoſuit, ut nunc homicidium, ſcortatio, non ſint amplius peccatum in ſe; quod ego quidem ignorabam, licet affirmet id *omnes ſcire*. 2. theſ. 12. ſi quid oculi mei vident, peccatum *in ſe* eſſe dixit quod *proprie* eſt peccatum, per *accidens* ergo quod *proprie* non eſt peccatum. Hoc applicet vir doctus (ut formulis ipſius utar) ad expoſitionem peccati *in ſe* quam nobis poſtea dedit. 2. Quod ſibi licitum ait vir doctus quærere, id fusè explicatum videre potuiſſet quæſt. text. 1. p. 1. theſ. 6. Quid dico eum hoc videre potuiſſe? ajo vidiſſe. Ipſe enim hoc perſpicue docet libert. pag. 124. 125. 3. Differunt mihi ſignum dignitatis arbitrarium & per accidens. Nam arbitrarium mihi eſt, cujus nulla cauſa eſt præterquam ſive conſuetudo, ſive inſtitutio aliqua humana. Per accidens vero, cujus etiam alia cauſa eſt, ut infirmitas aliqua animi, item neceſſitas aliqua corporea. Videatur locus jam paulo ante indicatus. Non coincidit ergo hæc diſtinctio cum præcedente. Pergit: *Adjicit quintam diſtinctionem in finem operis & operantis. Senſus eſt ut ipſe explicat, qui negligit ſine cauſa &c. ſignũ naturale, rem ipſam abjicit, licet hoc non intendat, & licet in uſu non ſit, aliter autem ſe habet in ſignis arbitrariis. Reſp. Hæc præſupponunt capillum detonſum eſſe ſignum naturale poteſtatis virilis quod ante refutatum eſt. Pervelim autem ſcire à viro docto quando ſigna naturalia non*

sint in usu. Verbi gratia respiratio est signum naturale vitæ. Estne locus ubi respiratio inter homines vivos non est in usu? Nihil unquam legi φανταπχώπερον. Resp. 1. Quinta hæc distinctio fundamentum continet distinctionis qua distinxi inter *abjectionem* symboli *formalem* & *interpretativam*. 2. Virum doctum admodum occupatum esse oportuit qui ut sæpissime sic etiam hic non nisi mutilè textum meum adfert. Nam quid sibi vult τὸ &c.? item omissa limitatio *quodammodo* in verbis *rem ipsam abjicit*. Novit enim vir doctus, eam non frustrà à me positam. 3. Capillum honestè tonsum esse signum naturale *dignitatis virilis*, à me probatum est, nullô autem modô à virô doctô refutatum. 4. Si scires aut velles distinguere inter signa naturalia *immediata* & *mediata* ab hâc absurdâ quæstione abstinuisses; & phantasmata tibi non finxisses ubi nulla sunt. Nam hinc habuisses fieri posse, ut signa quædam naturalia desinant in usu esse. Quod ut liqueat, distinctionem hanc explicabo. Signum ergo naturale *immediatum* voco quod à natura citra operationem intellectus originem trahit. *Mediatum* quod à *naturali ratione* præscribitur. Signum *immediatum* dignitatis virilis est sexus virilis. Signum mediatum pudoris ex suppositione peccati, est tegumentum quo obscœnæ corporis partes velantur. Utrumque signum naturale est, sed non ejusdem ordinis. Distinctionem hanc sic explicatum ad negotium, de quo agitur, applica, si libet, & videbis, te absurdè de *respiratione* verba feciisse: cum non agatur de signo aliquo naturali primi, sed secundi ordinis id est *mediato*: & absurdè rogasse *ubi & quando signa naturalia non sint in usu*? Nosti enim, ni fallor, in novo, orbe, esse gentes, quæ nudæ incedunt: nec non alia in propatulo faciunt, quibus ostendunt signa naturalia pudoris & honestatis apud se non esse in usu. Pergit: *Denique quæro, an quod de signis arbitrariis dicis, nempe non esse culpæ affinem, qui ea negligit quando non amplius sunt in usu intelligas de iis quæ* arbitrio divino *constituta sunt? Nam ea certè non naturalia, sed arbitraria sunt. Si affirmas, sequitur citra culpam negligi posse signa sacramentalia sicubi in usu esse desierunt. Si negas, distinctionem tuam in cœnum proturbas. Nam tegmen capitis* præcepto divino *esse signum subjectionis, detectum autem imperii putat Borstius; atque ipse tu. Itaque viro non licebit id negligere, aut invertere, quidquid tandem usus ferat. Atque ita*

in-

invicta etiam perstat à tuis distinctionibus hæc mea observatio. Resp. 1. Insulsum est negare, sine ullâ limitatione, signa, quæ constituta sunt *arbitrio divino*, non esse respectu hominis *naturalia*. Nam *arbitrio divino* constituti sunt sexus in humano genere. Iique sexus inter se comparati docent, te judice, disp. 3. thes. 11. *virilem* ad imperium, *fœmineum* ad subjectionem esse natum: & tamen sexus hi, quod docent, naturaliter docent. Sic quoque (ut alia præteream) storgæ matrum naturales sunt, & tamen arbitrio divino constitutas esse fatebitur vir doctus, nisi negaverit, operationes Dei ad extra esse liberas. Sed forte dicet, se per arbitrium divinum intelligere, non bene placitum Dei, sed voluntatem præcepti. Huc enim spectare videtur, quod de præcepto divino inquit, sed ne sic quidem elabitur. Nam præterquam, quod vox arbitrii præcepto æquipollens non sit, absurde negabitur sine ulla distinctione, ea quæ sunt præcepti divini, non esse naturalia. Plæraque enim, quæ Decalogo continentur sunt naturalia sive legis *naturæ*, & tamen sunt præcepti divini. Et ne te tantum de signis loqui dicas: an non storgæ matrum in liberos quas tamen Deus imperavit, sunt signa naturalia quod eorum matres sint 1. Reg. 3. v. 26. 27? 2. Quod dico de signis arbitrariis, intelligo (ut facile videre potuisses, nisi dilemma quod cudis perdere noluisses) de signis dignitatis, quæ humano *arbitrio* originem debent, de talibus dico, quod ubi in usu esse desierunt, cum negliguntur, virilis dignitas nullo modo id est nec *interpretativè* nec *formaliter* abjiciatur. Sed ad ea non refero de quibus disputat Apostolus 1. Cor. 11. 3. Minimè distinctionem meam (uti loqueris) in cœnum proturbo: (quia absurdum est quod pro fundamento ponis, nimirum, *quæ naturalia sunt*, non *esse arbitrii divini*) sed observationem tuam castigo. 4. Distingue præcepta Dei, in universalia & absoluta, & particularia & hypothetica, & casum necessitatis perpende, & videbis hoc posito, sine peccato omitti posse apertionem capitis virilis, & tegumentum illius posse fieri signum dignitatis *per accidens*. 5. Nunquam concessi *usum* id est consuetudinem (sic enim vocem *usus* sumere videris) posse esse idoneam causam immutandi ea de quibus Apostolus 1. Cor. 11. loquitur. Tu tamen id statuis ut qui præceptum divinum ab Apostolo ibi tradi negas; affirmas autem *constitutionem* Aposto-

li inter *humanas* esse referendam. libert. pag. 201. Et porro honestatem *in communi consideratam* æstimari more qui sit regula decori. libert. pag. 107. Si ergo usus id est *consuetudo* tulerit, ut mulieres detondeantur, nudisque incedant capitibus, viri viro intonsi incedant, capillosque suos more muliebribus usitato capiti obvolvant, & muliebrem in morem componant, nihil hic secundum te erit, quod aut naturæ, aut præcepto Dei sit contrarium. Imo potius hoc *decorum* erit, quia mos, ut ais, est regula decori; & *bonum*, quia juxta te nulla res ratione decori moralis sive honesti quæ ipsi accedit, est indifferens. libert. pag. 175. 6. Possem hic & alia adferre, sed hinc, puto, satis patebit, quam imaginarii sint triumphi, quos vir doctus sibi canit.

„ Redeo ad thesin, in quâ sequitur: 7. dicit: si tegmen capitis si-
„ gnum perpetuum, & universale est subjectionis, sequi viro nun-
„ quam tecto capite coram uxore esse licere ne videatur esse subje-
„ ctus. Resp. Vide quæ hac de re dicta sunt quæst. text. 1. p. 1. thes. 6.
„ 2. retorqueo. Si tempore Apostoli inter Corinthios symbolum
„ imperii virilis erat (ut auctor hic ait disp. 3. de coma thes. 11.) ca-
„ put integumento liberum viris saltem Corinthiacis tunc coram
„ uxoribus tecto nunquam licebat esse capite. Respondet vir doctus.
Sed telum hoc, quod avertere non potuit, in me retorquet, ut saltem hic pares simus. Audiamus: Si tempore Apostoli inter Corinthios symbolum imperii virilis erat caput integumento liberum (ut auctor hic dicit disp. 3. thes. 11.) viris saltem Corinthiacis tunc coram uxoribus tecto nunquam licebat esse capite. Resp. Sequeretur hoc, si ego hic mera præcepta divina, quod vos facitis imaginarer, illa enim nunquam licet transgredi: at in ecclesiasticis constitutionibus, ordinis tantum causa sanctis, hoc non sequitur, ea enim tantum obligant in casu scandali & contemtus. Resp. 1. Avertisse me telum tuum vel ipse silentio tuo indicas. Nam ne attingis quidem locum in thesi mea indicatum ubi ostendo præceptum quod dat Apostolus 1. Cor. 11. minime temporarium fuisse ut, tu ais. 2. Telum hoc non tantum me avertisse, sed etiam confregisse, quæ paulo ante dicta fuerunt, & porrò passim in hoc opere occurrunt, satis superque ostendunt. 3. *Mera præcepta divina* hic traduntur, non vero HUMANA ut tu vis libert. pag. 201. aut ut hic significare videris *mixta* ex divinis & humanis.

Nam

Nam vox *mera* hoc sibi velle videtur. valet ergo mea retorsio. 4. Fateor, nunquam præcepta divina licitum esse transgredi. sed sunt præcepta Dei universalia & particularia, absoluta & hypothetica, ut jam sæpiùs dictum, & exemplis declaratum fuit. Præceptum autem de tonsurâ comæ virilis, universale non est, sed particulare. Non absolutum, sed hypotheticum. Quia non tantum in casu Naziræatus olim cessabat obligatio hujus præcepti, sed etiam cessat in casu necessitatis; ut sæpiùs probatum fuit. 5. Constitutiones ecclesiasticæ ordinis causa institutæ aliæ divinæ aliæ humanæ. divinæ sunt vel perpetuę vel temporarię. Divinam & perpetuã esse hanc de qua agit Apostolus 1. Cor. 11. ostẽdimus, talem tamen, ut dictum quæ non obligat in casu necessitatis. *Humanam* & *temporariam* fuisse vir doctus vult, sed nullô argumentô id confirmare potuit. Dixit quidẽ, apud Corinthios caput integumento liberum fuisse signum imperii, tectũ subjectionis; sed id probare non potuit. Nec si probasset, docuit nos hoc fundamento niti præceptum Apostoli. Ne autẽ miretur vir doctus, quòd affirmavi dari constitutiones ecclesiasticas divinas ordinis causâ institutas, quæ perpetuæ sint, (nã non admittit, quamvis immeritò, talem esse eam de qua agitur 1. Cor. 11.) affero quod habet Apostolus 1. Cor. 14. v. 34. ubi ait *mulieres vestræ in cõventibus sileant. Nec enim permissum est eis, ut loquantur. Sed oportet, ut subditæ sint, sicut & lex dicit.* Nec refert, quod quædam in conventibus locutæ legantur; licet enim constitutio hæc perpetua sit, non est tamen universalis. Excipitur enim casus extraordinariæ vocationis Dei. V. Martyrẽ in locum hunc. 7. At scandalo, si non passivo saltem activo non carebat, virum apud Corinthios, coram uxore tecto adstare capite. Quia id contra decorum erat, ut vir doctus vult disp. 3. thes. 11. & 5. thes. 11. Valet itaque mea retorsio. 8. Si vera sunt, quæ vir doctus hic ait, non peccabunt populi, si fortè mos rasuræ muliebris, & intonsæ comæ virilis inolescat, si mulieres in conventibus ecclesiasticis compareant, rasis & apertis verticibus, at viri intonsis capillis capitique obvolutis. Nec tantum non peccabunt, sed etiam oportebit, ut ita fiat. Nam, ut ait, mos est regula decori: & ratio decori, ubi indifferentibus accedit, non patitur secundum hoc rem illa esse indifferentem. Ita enim sciscentem virum doctum ante hac audivimus. Sequitur in thesi mea: 8.

Ait,

„ Ait, nunc symbolum hoc (subjectionis) in contrarium mu-
„ tasse, ut vere sit ἄλμια viro, si capite detecto coram uxore se sistat.
„ id enim hodie servorum est non dominorum. Resp. 1. Vera ita-
„ que ἄλμια fuisset tempore Apostoli inter Corinthios, si maritus
„ coram uxore se tecto capite stitisset. Nam ut auctor hic ait signum
„ virilis imperii erat caput integumento liberum. 2. *Vere erit* ἄλμια
„ viro, si se sistat coram uxore capite non comato. Nam eadem est
„ ratio, ut docet Apostolus velaminis naturalis & artificialis. 3. Ve-
„ re ἄμια erit mulieri si se sistat coram marito suo, capite naturali
„ aut artificiali velamine tecto. Nam virorum & mulierum quo ad
„ velamen naturale & artificiale plane diversam rationem debere
„ esse docet Apostolus. 4. Si viro vere est ἄμια si capite detecto se
„ coram uxore sistat, ut ait auctor hic; quia hoc servorum est, non
„ dominorum; quid foret (*lege fiet*) magnatibus illis, qui licet se ma-
„ ritos agnoscant tamen coram iisdem detecto capite se sistunt? 5.
„ Multi se coram iis detecto capite se sistunt, quorum tamen servi
„ esse nolint. Respondet vir doctus ad primum. 1. *Quod me dicere ait, non magis ego dixi quam Borstius ex eo enim id citavi.* 2. *Ad rem ipsam quod attinet, concedo eam* ἄλμιαν *viro futuram fuisse, si id in cœtu populi fecisset, non autem si solus cum uxore ubi nullum timendum erat scandalum.* Resp. ad primum. 1. Citat vir doctus ex Borstio *tegmen capitis signum esse subjectionis:* Hæc autẽ de quibus nunc loquimur ipsum ex illo citare *non liquet.* 2. Solicitè vir doctus nunc post Poim. nunc post Borstium delitescit, ita ut sine illis se salvum esse posse desperet. Ad secundum 1. effugio huic nullus est locus. Nam si *simpliciter* (nullam enim limitationem addidit) verum est, nunc viro futuram ἄμιαν si capite detecto, coram uxore se sistat; etiam simpliciter verum fuit secundum ipsum Corinthiis futuram fuisse ἄλμιαν si coram uxoribus capite tecto se stitissent, etiam soli cum solis. 2. Nesciebam ego inter maritum & uxorem soli cum sunt scandalum non esse timendum. Putabam ego inter maritum & uxorem etiam soli cum sunt scandalum activum & passivum locum habere posse. Quid si enim vir coram uxore sola aut nudus aut habitu fœmineo, aut mulier nuda aut habitu virili saltet, an negabimus scandalum activum tum locum habere: & passivum habere posse? 3. Quandoquidem vir doctus, Corinthiis ἄλμιαν futu-

turam fuisse ait, si se stitissent coram uxoribus in conventu populi tectis capitibus: fateatur necesse est, ecclesias passim magna ἀλογίᾳ laborare, ut in quibus viri canentes & orantes coram omnibus viris & fœminis se sistunt nudis capitibus. Ratio est quia juxta ipsum symbolum hoc in cõtrarium mutavit. Ad secundum inquit: *Si hoc verum est, sequetur illicitum esse viro pileum gerere, quia ei illicitũ est comam muliebrem in morem capiti suo circumponere. Eadem enim, inquit vir doctus ratio est velaminis naturalis & artificialis. Sed quia ipse vir doctus sine scrupulo pileum capiti imponit, eo ostendit, eandem inter Corinthios horum rationem tunc fuisse, sed inter nos jam non esse.* Resp. 1. Casum necessitatis non includit sed excludit Apostolus. 2. Si tempore Corinthiorum (ut concedit vir doctus) horum par fuit ratio, nec casum necessitatis ab Apostolo exceptum fateri vult, quod illicitum est fecere quotquot tectis *in cœtu populi* comparuere capitibus, & quidẽ infirmitatis, ut psoræ vel lepræ ergò. Ad tertium ait: *Si hoc verum est, sequetur, mulieres hodierno tempore* detectas esse debere *quia viri tecti sunt. Nam virorum & mulierum quoad velamen planè diversam rationem esse debere ait vir doctus. De Apostolo respõdemus, ut suprà, hoc sensu, quod licet tunc & ibi fuerit plane diversa ratio, nunc tamen non amplius sit. Alioqui quid facies mulieribus Anglicanis (quarum velamen usq; adeo commendat Poimenander) quæ pileo non minus teguntur quam viri.* R. 1. N. sequi. Nam tegmen virorum in regionibus frigidis necessitatis est. Mulierum vero detectio non est necessitatis. 2. Concedit iterum vir doctus diversã tẽpore Corinthiorum fuisse rationẽ virorum & mulierum quoad velamẽ capitis naturale & artificiale (nã nimis clara est disputatio Apostoli quam ut id neget) probet ergo nobis, diversitatem illam nixam fuisse *more* apud *Corinthios* recepto. Atqui hoc nõdum fecit: Nec faciet unquam ut opinor. 3. Bellè certè vir doctus ex more in gente aliquâ recepto, arguit ad sensum scripturarum. Quasi videlicet scriptura exponenda sit secundum consuetudinem in gente hac vel illa currentem. Videor hic mihi casuistas Pontificios audire sæpius scripturas ad morem & consuetudinem inflectentes: nec non Cardinalem Cusanum dicentem scripturam explicandam *secundum currentem ecclesiæ* RITUM. 4. Vbi adducet vir doctus Poimenandri locum quo usque adeo commendat morem *mulierum Anglicanarum*,

videbo quid mihi de facto *mulierum* & *judicio Poimenandri* respondendum sit. Ad quartum dicit: *Magnates illi hoc ritu prærogativam suam, præ uxoribus non commendant, quod fiebat tempore Apostoli, sed rem prorsus contrariam, nempe demissionem plerumque purè voluntariam (quanquam & aliæ interdum rationes subsunt) quomodo & matronas omnes dominas appellant, se autem earum servitores (ne tantopere ratio à servis petita viro docto displiceat) profitentur. Verum hæc & verba & gestus* honoris *sunt quæ obligare negant. Interim sunt signa quibus se ipsos videri volunt ἀληθῶς & mulieres ἀληθῆς ἴχνη.* Resp. 1. Dixit vir doctus *ἀληθῆ nunc esse viro futuram, si capite detecto coram uxore se sistat. Quia id servorum non dominorum est.* Moveo ipsi quæstionem de magnatibus quibus quod *ἀληθῆ* vocaverat nec non servorum esse dixerat, in usu est. Quomodo autem respondet? non audet dicere ipsis hoc *ἀληθῆ* esse, sed signum *quibus videri volunt* se *ἀληθῆ*. Adeoque deserit thesin suam qua dixerat: *Viro esse ἀληθῆ si capite detecto se coram uxore sistat, quia hoc servorum est non dominorum.* 2. Si nunc non est *ἀληθῆ* magnatibus cum detecto capite se coram uxoribus sistunt, an *ἀληθῆ* fuerit magnatibus inter Corinthios tempore Apostoli, si tecto capite coram uxoribus stitissent? Non dicet hoc (ut opinor) vir doctus. Nam quod si id dicat, rationem ab ipso poscam, quare magnatibus hodiernis *ἀληθῆ*, non sit aperto capite se sistere coram uxoribus: Corinthiis autem fuerit tecto se sistere coram uxoribus capite. Nullam autem dare poterit. Nam nec à parte *magnatum*, nec à parte *symboli* quod in contrarium mutasse ait, ulla comparet. Et tamen (si ipsi credimus) *non nisi inhonestum* poterat esse viris Corinthiis, si caput capillis muliebrem in modum velatum haberent: nimirum quia caput integumento liberum apud eosdem censebatur inter potestatis insignia; tectum subjectionis. Conciliet hæc qui potest. 3. *Magnates* illos vir doctus *simulationem* proprie dictam committere docet. Ait enim ipsos detegendo caput coram uxoribus *videri velle se ipsos ἀληθῆ*, nec tamen *ἀληθῆ*. Videri vero velle facere, quod tamen non facis, simulatio est proprie dicta. Est autem *simulatio* proprie dicta in factis idem quod *mendacium* in verbis. Adeoque vir doctus cum magnates illos se *ἀληθῆ* dicere non audet, simul se egregie *ἀληθῆ* ostendit. Bella certe magnatum defensio. 4. Reliqua quæ hic habet

bet pili non sunt, ut patebit inspicienti. Ideoque prætereo. Ad quintum inquit 1. *Quod ad veros dominos & servos attinet, certum est non servis dominos, sed hos illis detegere. Et hic fuit verborum meorum sensus ut patebit inspicienti.* 2. *Quod ad alios, mutuus plerumque est ille* honor *de quo Paulus Rom.* 12. 10. *& mutua etiam servitus de qua Gal.* 5. 13. *vel sane mutuæ servitutis symbola.* Resp. Nihil adfert vir doctus quod ad rem facit. Nam aut affirmandum ipsi aut negandum se locutum de *veri nominis servis*. Si affirmat, non valet ipsius ratio à servis petita, qua probare nititur, viro nunc esse ἀπρεπῶν si se coram uxore sistat detecto capite. Quia multi se coram iis detecto capite sistunt, quorum tamen servi esse nolint. Noverunt enim id nõ esse solorum servorum, quos *veros servos* vir doctus vocat. Nam non tantum æquales æqualibus, sed etiã superiores dignitate inferioribus præsertim hoc honoris genere prævénti, id officii præstare solent. Si negat etiam non valet ipsius ratio. Nam arguet vir doctus viro nunc esse ἀπρεπῶν se sistere coram uxore detecto capite, ab officio quod non tantum dignitate inferiores superioribus, sed etiam æquales æqualibus, imo etiam superiores dignitate inferioribus præstare solent. Quasi videlicet mutuus honor, vel uti loquitur mutui honoris symbolum ἀπρεπὲς sit. Vltimo sequitur in thesi
» mea. Denique ait dato non concesso tegumentum adhuc esse
» symbolum subjectionis, nihil inde sequi ad comam nisi sit muliebris, capiti muliebrem in modum contegendo idonea. Resp. 1.
» Non tantum dandum sed etiam concedendum, quod vir doctus
» concessurum se negat, sed cum distinctione patuit quæst. text. 1. p.
» 1. thes. 6. Vide quoque quæ dicta sunt ad disp. 3. auctoris hujus th.
» 8. 9. 10. 2. An ergo coma simul ac idonea non erit tegendo capiti
» muliebrem in modum viro ἀπρεπὲς non erit? Necessum est, ne viro sit
» ἀπρεπὲς, ut notabiliter absit ab ea longitudine quæ contegendo capiti est apta, ut enim non sufficit, vestem, ut virilis sit, aliquo modo distinctam esse à fœminea, sed notabiliter à fœminea eam differre oportet; sic quoque non sufficit comam ut virilis sit, non esse
» idoneam tegendo capiti, sed notabiliter ab ea longitudine quæ velando capiti idonea est recedere debet. Vide de vestitus virilis &
» muliebris differentia necessaria quid sentiat Nobiliss. & Doctiss.
» Salmasius Epist. de coma pag. 726. 727. 728. Respondet vir doctus.

Falsissimum est, quod à me hic concedi vult, nempe tegumentum adhuc esse symbolum subjectionis. Sequeretur enim dominos servis esse subjectos, quia capite tecti sunt, servos dominis imperare, quia capite sunt intecto. Ipse Romanus Antichristus se nemini, omnes vero sibi subjectos esse, eo ritu profitetur, quod coram nullo rege vel imperatore caput detegat. Ita enim habetur Cærem. Rom. Eccles. lib. 3. sect. 1. c. 2. Romanus Pontifex nemini omnino mortalium reverentiam facit, assurgendo manifeste, aut CAPUT *inclinando aut* DETEGENDO. *Si viro docto credimus facit illud in signum maximæ humilitatis & subjectionis.* Resp. 1. Te dedisse ἐκ συγχωρήσεως quod falcissimum esse ais verba theseos tuæ paulo ante allata docent; atque adeo ostendis te liberalitate tua hisce absurditatibus quas commemoras *te* implicuisse. 2. Si citasses loca quę indico, & distinctionis cujus memini mentionem fecisses, vidisset procul dubio lector, quæ hic adfers me non lædere, licet tibi noceant. Quia autem tu id non fecisti ordo lectorem, qui Diatriben meam habet loca à me indicata adeat; & considerationes viri docti, nostrasque responsiones cum iis conferat. Pergit. *Denique non sufficere inquit, comam ut virilis sit, non esse idoneam tegendo capiti, sed notabiliter ab ea longitudine, quæ velando capiti idonea est, recedere debere. Quæ ipsissima mea sententia est, idque scire potuit vir doctus ex disp. mea* IV. thes. III. *circa finem. Quod ergo hic deest, inde facile fuit ei supplere.* Resp. Non ignoravi hanc tuam fuisse sententiam; adeo ut necessum non esset ut me remitteres ad disp. & thes. quam indicas. Imo vero quia fuisse scirem, hæc attuli, nimirum ut te tibi ipsi opponerem, & agnosceres ex liberalitate tua, (Ais enim dato non concesso tegumentum adhuc esse symbolum subjectionis) aliquid sequi ad comam, etiamsi muliebris non sit, 1. capiti muliebrem in modum contegendo idonea, quod thesi tua 3. te negantem audivimus.

Restat Epilogus operis viri docti. Is autem hic est. *Asserta veritate quinque priorum disputationum, de coma virili, ad sextæ quoque, quæ de muliebri agit, me defensionem accingebam. Verum sequente viri docti disputationem in manus sumta, illam à me declinare, & in alio oppugnando occupatam esse animadverti, ut & ultimam quæ illi succedit. Quod me permovet ut crederem, virum doctum in hac controversiæ parte mecum sentire, nec adversus commonstratam & agnitam ab ipso veritatem*

tem arma velle sumere. Subjerat jam ejus rei suspicio, cum in vestibulo quæstionum suarum textualium ubi controversiæ statum format, solius comæ virilis mentionem faceret. Auxit spem tanti boni observatus mihi postmodum locus Clariss. ejus Collegæ, de Excels. Mundi ad VII. *præc. disp. v. part.* III. *thes.* III. *Problem.* VI. *ubi quærens, An fœminis necessarium sit velamen capitis quo capillos tegant idque ab Apostolo præscribatur* I. Corinth. XI. *respondet,* DISQUIRI PERMITTIMUS. *Disquisivit hoc (nisi me animus fallit) vir doctus, & rationes deprehendit, cur hac parte integra nobis relicta, Poimenandro aliisque in ea oppugnanda subsidiariam operam non præstaret. Dimidium ergo causæ nobis traditur sine sanguine & sudore, qui splendidissimus invictæ veritatis triumphus est. Faxit Deus ut eâ & Christiana libertate salva, licentia autem carnali procul facessere jussa, concordibus animis, & conjunctis operis Ecclesiam ejus ædificemus. Amen.* Resp. Epilogus hic nil nisi epinicium est : sed epinicium tale quod nititur victoria imaginaria. Nam nec asseruit vir doctus veritatem ut mea cum illius conferenti patebit; nec dimidium causę, uti falso ait, ipsi tradidi. Quęst. enim text. III. & IV. quid sentirem de capillis muliebribus explicui, & placita viri docti everti. Prodiere autem quæstiones illæ aliquot mensibus antequam vir doctus libertatem suam Christianam (quam vocat) ederet, ut patet ex collatione mensis & diei quibus quæstiones illæ ventilatæ sunt, cum tempore editæ præfationis quam ipse libertati suæ Christianæ (quam vocat) prefixit. Somnio itaque se pavit vir doctus, nec habet quod mihi imputet, sed suam aut eorum quorum opera usus est, in conquirendis meis disputationibus, negligentiam incuset, oportet. Quod ait de controversiæ statu à me formato, ubi solius comæ virilis meminerim: item de disquisitione à Clariss. meo collega. Gisb. Voetio permissa, id perquam inane est. Nam quod non memini in formando statu controversiæ comæ muliebris, propterea factum, quia seorsim de hac mihi agendum duxeram. Et Cl. Voetius cum dixit *disquiri permittimus*, me hoc de quo loquitur determinaturum non negavit. Imo vero ipse Diatriben meam de capillis, adeoque etiam determinationes meas de capillis muliebribus, plus quam *quoad summam rei*, hoc est, totam approbavit, videri hac de re potest approbatio Diatribæ præfixa.

CAPUT XXXV.

IMprudentia viri docti. Causa ex effectu orta. Spes ex parte falsa tota occidit. Querimonia de omissis noxia. Viri docti a Synodo Zuythollandica dissensus. Sententia Poim. falso attributa. Merces viri docti quanti momenti. Necessitas affectata. necessitas justa. Brabentes ex athleta. Triumphus ridiculus. Theses auctoris tres à viro docto prætermissæ. Garsettæ. Postulatum auctoris. Ubique elisum. Casus necessitatis à Poim. exceptus. Æquitas debita. Diligentia mutilis & noxia. Duobus officiis legis inæqualibus concurrentibus, quæ simul præstari nequeunt, quid faciendum sit? Comparatio inter officium conservandæ salutis corporalis, & decori naturalis in cultu corporis externo. Distinctio sensus divisi & compositi. Contradictio. Quibus cautionibus additis vulgatum proverbium, necessitatem frangere legem, verum sit. De loco Hos. 6. v. 6. Argumentatio ridicula Poimenandro impacta male tamen à viro docto refutata. Hallucinatio objecta, & refutata. Petr. Martyris testimonium à viro docto imploratum, sed causæ ejusdem perniciosum. Iterum de loco Hos. 6. v. 6. Argumentum à non distributo ad distributum. Ceremoniæ vox quam late pateat. Ignoratio elenchi. σοφὸν φάρμακον. Querimonia retusa. Distinctio solida. σοφὸν φάρμακον. Vis violenta. Quod rei tribuendum à viro docto personis tributum. Ostensum non ostensum. Tabulæ petitæ & exhibitæ de exceptione quapiam. An legi de non resistendo Matth. 5. eximatur defensio sui cum moderamine inculpatæ tutelæ? An frangere & violare legem sint æquipollentia? Adversarii imaginarii. Argumentatio à minimo ad maximum refutata. Diversitas legum naturæ. Sententia viri docti interpolata. Affirmantis officium. Non demonstratum. Solitæ latebræ repetitæ.

POstquam vir doctus tractatum quem hactenus examinavi publici juris fecisset, adjecit ei appendicem: appendici vero præfatiunculam præmisit qua sese copias meas, quas restare ignorasset, profligaturum pollicetur, ut triumphum (nam ovatio ipsi non sufficiebat) consequatur. Præfatiuncula hæc cum appendice cui prefixa est, nunc examinanda est, ut sicuti hactenus apparuit sic etiam porro appareat spem illam triumphi, qua se pascit, esse evanidam, & suavi sed fallaci somnio simillimam.

Præfatiunculum suam ita orditur: *Tractatu meo superiori semel & iterum monui, virum doctum quicum mihi res erat, de virili tantum, non autem de muliebri coma agere, unde conjiciebam eum hac in parte mecum & contra Poimenandrum sentire.* Resp. 1. Certe monuit vir doctus aliquoties me de virili, tantum non autem muliebri coma

ma egisse, sed inconsiderate ipsum fecisse in fine præcedentis capitis à me ostensum est. 2. Nescio quomodo factum fuerit ut vir doctus ex monitione sua conjecerit, id quod se conjecisse affirmat, cum conjectura illa monitionem præcessisse debuisset. Pergit: *Ea spe me aliqua ex parte falsum esse, vidi postquam vir doctus omnes suas de hoc argumento disputationes conjunctim edidit, quarum ultima disputationem meam sextam attingit.* Resp. 1. Cum spem suam aliqua ex parte falsam fuisse ait, triumphum sese ante victoriam cecinisse fatetur. Præstitisset viro triumphorum avido solicite circumspexisse, num quid copiarum adversarium superesset, quod victoriam corrumpere posset, quam nimis festinanter ad triumphum properare. 2. Ait vir doctus se *aliqua ex parte* spe sua falsum fuisse: adeoque se non omni spe excidisse significat. Sed solidam spei quæ supersit, rationem non affert. Inquit enim: *illam dum percurro, animadverti eam plæraque magni momenti in ea præterire. Nam Theseis meas* V. VI. XII. XIII. XIV. *quibus opiniones Poimenandrianas vehementer premi attentus lector judicare poterit, quasi nunquam natæ essent, insalutatas dimittit.* Resp. 1. Si hæc solida est ratio spei quam vir doctus reliquam habet, utique & mihi sperare licebit ipsum in plærisque mecum, & contra auctorem epistolæ de coma, ejusque hyperaspisten Dialogistam, nec non consilii insulsi de coma scriptorem sentire. Nam plæraque quæ adversus illos disputavi præteriit 2. Quanti illa sint momenti quæ vir doctus à me præterita fuisse ait per me licet ut lector consideret. Videbit enim thesin 6. viri docti occupari in confutando argumento Poimenandri adversus comas mulierum juxta genas demissas: & simul animadvertet virum doctum patrocinari studio vanitatum mundanarum à Synodis nostratibus damnatarum. v. Synodum Zuythollandicam habitam Goudæ anno 1640. art. 55. nec ipsum quippiam proficere etiamsi argumentum Poimenandri everteret; quia ipsi postea mecum res erit super negotio de quo ibi agitur. Thesi 5. 12. & 13. refutat sententiam quandem Poim. attributam, nimirum *quod partem aliquam capillorum detectam gerere, sit capite intecto esse*, sed quæ Poimenandri non est, imo ab ipso Poimenandro sub persona *Timothei*, postquam illa à *Drusilla* quæ etiam inter colloquentes est, ipsi tributa fuisset; rejicitur & repudiatur. Adscribam verba Poimenan-

nandri, ut vir doctus errorem suum videat, aut si ipse videre non possit aut nolit, lector injuriam Poimenandro factam agnoscat. Verba ergo Poim. sunt; **Ghy beklaegt u oock Drusilla dat ick de gelockte Joffrouwen na gae dat se bloots-hoofts gaen / want gy segt dat se op de strate met een slours / of met een fellippen / armospuen / of dierghelijcke kappen gaen / soo datmen hare aengesichten op de strate niet sien en kan etc.** Ick weet dit al wel en meer als te vele Drusilla, **maer my duncht inder waerheyt / dat ghy den spot met my dryft: want als ick segge / dat de Joffrouwen die locken draghen / metten blooten hoofde gaen / soo en is mijne meyninghe niet / dat de Joffrouwen bloots-hoofts op de strate loopen / gelijck de boere-kinderen inden Oogst / of de lant loopers diemen heydensche noemt: Ick weet wel beter dat de Joffrouwen niet geerne op de straten of in ghesel schappen komen / ten zy dat se haer hooft ende haer hayr met de uyterste curieusheyt geparreert / ende gespiegelt hebben; maer dat wil ick seggen / dat se binnen den huyse haer hayr meest ongedeckt laten / ten zy dat se voor een deck sel rekenen eenige stricken ende knoopen / oste kostelijcke peerlen / daer mede haere tupten bewonden sijn.** Clarius Poimenander loqui non potuisset, ad amoliendam à se sententiam quã ipsi vir doctus tribuit, etiamsi jam tum ipsi cum viro docto res fuisset, aut præsciviſſet aliquem ipsi objecturum quod vir doctus (& quidem sine ulla hæsitatione) ipsi objecit. Mirabitur ergo lector, virum doctum non tantum hanc sententiam Poimenandro objecisse, & confutandam ibi sumsisse disput. 6. thesibus jam indicatis. Cum tamen ipse paginam tractatus Poim. 64. (enim habentur quæ jam attuli) citarit disp. 6. thes. 4. sed etiam theses quibus sententiam illam Poimenandro tribuit & refutat à me præteritas quæri ac si nunquam natę essent, licet DENUO, ut ipse ait Append. p. 5. TOTUM TRACTATUM POIM. A CAPITE AD CALCEM EVOLVERIT. Thesi 14. deprehendet lector si conferat eam cum pag. tract. Poim. 66. & 67. non agi de re capillari adeoque eam ad propositum meum non pertinere. Potuissem hæc præterire (nam nusquam obligavi me ut sequerer virum doctum quocunque ipsi prę ire liberet) sed tamen ne lector ostentatione mercium ipsius TANTI MOMENTI caperetur, eas nullius pretii, imo institori suo damnosas esse, ostendere consultum duxi. Pergit: *In reliquis ita se exercet ut necessitatem mihi impositam viderim, etiam hac in parte mea vindicandi, idque ne veritati triumphum ante plenum*

nam & justam victoriam decreviſſe merito coargui poſſem. Reſp. 1. Non ægre fero virum doctum ſua vindicare ſi modo poſſit; ſed miror ipſum ſibi neceſſitatem ſua vindicandi impoſitã affirmare. Neceſſitas enim illa affectata eſt. Quod ſi enim ipſe quieſcere maluiſſet quam diſputationes illas ſcribere quibus præter alios me nominatim & quidem ſæpius perſtrinxit, vel ſi ſcribere voluiſſet, ſtatum controverſiæ recte formare, aduerſariis non niſi quod dicunt attribuere, ſolidiſque rationibus dimicare potuiſſet, neceſſitas hæc nulla foret. 2. Quod ſi tamen pertendat neceſſitatem ſibi impoſitam ſua vindicandi, neceſſum eſt ut agnoſcat, multo majorem neceſſitatem mihi impoſitam fuiſſe mea defendi adverſus otioſas ipſius impugnationes. Ipſe me prior aggreſſus eſt, nec nomini pepercit. Intererat ſcilicet ſtudioſorum, ut non tantum errores quos mihi impingit ſcirent, ſed etiam cujus illi eſſent. 2. Triumphus quem vir doctus animo concepit, non *veritati* ſed *errori* deſtinatur. Vt ergo hactenus operam dedi, ſic etiam porro dabo ut triumphus ille ſufflaminetur, imo evaneſcat. 3. Lepidum eſt quod ait de triumpho à ſe decreto. Quaſi videlicet idem ſit athletam & brabeuten eſſe. Facile tamen fero ut vel mille triumphos certaminibus ſuis decernat. Quia decreta talia effectu carent, licet forte ægram mentem aliqua voluptate demulceant. Denique ait; *Veniamus ad lineas. Et ſit hoc (loco epilogi quem opuſculo noſtro ſubjecimus) defenſionis noſtræ.* Reſp. 1. En adſum, experturus an aliquid triumpho dignum ſis præſtiturus. 2. Si ita reliqua tua defendis ut hac præfatione epilogum tractatus tui, errorum *ſpeique falſæ* habebimus confeſſionem.

Præfatiuncula perluſtrata ad ipſam appendicem accedimus. Inquit ergo. *Theſi 3. opinionem Poimenandri retuleram ſuper* raſura comæ muliebris *quam* contra naturam & jus gentium *eſſe* prõnunciat, *indeque infert, non licere à coma dependula non nihil aliquando demere. Vtrumque nempe & pronunciatum illud de raſura, & conſequentiam inde derivatam impugnavi theſ. 7. quam ſibi refellendam, Poimenandrum autem defendendam ſumit vir doctus quæſt. text. 3. theſ. 4. ubi primo quomodo ſtatum quæſtionis formet, deinde quomodo de re ipſa ratiocinetur indagabimus.* Reſp. 1. Paulo ante audivimus virum doctum mihi objicientem quod plæraque magni momenti in hac

mea disputatione præteream, nimirum thesis ipsius v. VI. XII. XIII. XIV. At hic accusationis suæ immemor, (nisi forte suum esse leges dare non accipere existimet) theses integras tres quibus causam ipsius vehementer premi attentus lector judicare poterit, quasi nunquam natæ essent, insalutatas dimittit. Quia autem ipse præterit, eas lectori exhibebo. Sunt autem hæ.

THESIS I.

Tertia quæstio est: Vtrum mulieribus permissum sit, citra necessitatem capillos suos radere vel tondere? Antequam autem ad determinationem hujus quæstionis descendam, breviter termini illius explicandi sunt. Constat itaque hæc quæstio subjecto & prædicatio. Subjectum est *mulieres*. per *mulieres* autem intelligo sexus fœminei personas quascunque, sive eæ sint nuptæ sive innuptæ, sive virgines sive viduæ quæ usu rationis destitutæ non sunt. Prædicatum reliquis verbis continetur. Plura in eo explicanda forent sed quandoquidem plæraque eorum lucem accipiunt ex iis quæ in explicatione terminorum quæstionis primę allata sunt, de rasura & tonsura tantum aliquid dicemus. Rasura itaque sicuti etiam tonsura est duplex, videlicet vel totalis vel partialis. Totalis qua universi capilli vel raduntur vel tondentur. Partialis est qua tantum pars eorum vel raditur vel tondetur. Quando itaque quæritur utrum mulieribus permissum sit citra necessitatem capillos radere vel tondere, sermo est de rasura & tonsura tam totali quam partiali.

THESIS II.

Explicatis sic terminis, ad determinationem quæstionis venio. Statuo itaque primo mulieribus permissum non esse ut citra necessitatem capillos universos radant, vel detondeant. Nam 1. pugnat talis rasura sive tonsura cum iis quæ tradit Apost. 1. Cor. 11. v. 5. & 6. ubi sic ait: *Omnis vero mulier orans aut Prophetans non velato capite dedecorat caput suum: Nam id unum ac idē est ac si rasa esset. Nā si non velatur mulier, etiā tondeatur: Quod si turpe mulieri tōderi aut radi veletur.* Quum enim sic loquitur docet 1. turpem ac indecoram esse mulieri rasuram & tonsuram. 2. turpitudinē rasurę & tonsuræ muliebris per se satis esse manifestam, nec probatione indigere. 3. Ex turpitudine illa rasuræ & tonsuræ muliebris, ligitime inferri, mulieri

» lieri etiam convenire velamen adscititium. 2. Adversatur quoque
» rasura & tonsura muliebris iis quæ habet idem Apostolus ejusdem
» cap. v. 14. 15. *An ne natura quidem ipsa vos docet quod viro quidem*
» *comatum esse dedecori sit? Contra, mulieri comatam esse, decori? Nam*
» *coma pro velamine data est ei*; docet quippe hisce verbis, decoram
» esse mulieri nutritionem comarum. 2. decentiam hanc naturam
» ipsam ostendere. 3. Probationem eorum quæ dicit, haberi ex con-
» sideratione finis comæ muliebris. 4. atque adeo ostendit indeco-
» ram & inhonestam esse rasuram & tonsuram muliebrem, idque
» eo fine ut innotescat mulieri oranti aut prophetãti in cœtibus Ec-
» clesiasticis etiam velamem adscititium convenire. 3. Rasura comæ
» muliebris repugnat finibus capilli humano capiti attributi, ut ex
» iis quæ supra dicta sunt liquet. 4. Tonsura comarum muliebrium
» cum loco Deut. 22. v. 5. *ne esto vestimentum virile super fœminam*,
» consistere nequit. Nam quamvis illo loco tonsuræ nutritionisve
» comarum non fiat mentio, analogice tamen ex eo colligitur ton-
» suram mulieres dedecere. Quia sicuti vestitu, sic etiam capillis
» sexus distingui debent. Quoniam ergo virorum est tonsura ut su-
» pra probatum fuit, mulieribus eam non competere manifestum
» est. 5. Repugnat quoque rasurę tonsuræque muliebri, naturalis
» sexus fœminei inclinatio naturaliter ad nutritionem conservatio-
» nemque capillorum suorum, etiam ubi negotiosissimus est, pro-
» pendentis. 6. Huc quoque referri potest quod memorat Tacitus
» lib. de moribus Germanorum de more accidendarum comarum
» apud Germanos, ubi quæpiam sese adulterio poluisset.

THESIS III.

» Ex hisce colligere licet quid statuendum sit de pontificiis qui
» moniales suas tondere consueverunt; videlicet quod prætextu re-
» ligionis, jus divinum violent: & irritum faciant præceptum Dei
» pertraditionem suam. Negant quidem id & inter alios Estius, qui
» ad 1. Cor. 11. v. 6. ut vim locorum Apostolicorum supra adducto-
» rum elidat, ait 1. loqui Apostolum de sexu muliebri in genere, &
» non præjudicare personis particularibus, quibus ob aliquam cau-
» sam necessitatis vel religionis aliamve similem conveniat capillo-
» rum amputatio. Quoniam ob valetudinem id licere certum est.
» 2. Laudari factum cujusdam Christianæ virginis quæ sicuti refert

» Isidorus Pelusiota, lib. 2. Epist. 53. capillos cute tenus abrasit, ut
» adolescentem qui formam ejus deperibat averteret. 3. Moniales
» Christo desponsatas & in libertatem vendicatas, nihil amplius vi-
» ris debere aut debere posse quoad subjectionem conjugalem: at-
» que adeo ad nutritionem capillorum qui mulieribus in signum
» subjectionis dati sunt, non teneri. 4. Hieronymum huic instituto
» patrocinari in Epist. ad Sabinianum. 5. Deum Naziræis tum viris
» tum mulieribus præcepisse ut tempore Naziræatus expleto coma
» amputaretur & igni altaris imponeretur. Sed hæc nullius mo-
» menti sunt. Nam quantum ad primum, fateor præceptum Apo-
» stolicum exceptionem admittere, sed nondum probavit nec un-
» quam probabit Estius prætensam religionem quam moniales in-
» gredi dicuntur exceptioni locum facere. Vide Iesa. 1. 12. & 29. vs.
» 13. Matth. 15. 6. Col. 2. 18. 22. Quantum ad alterum, factum illius
» puellæ facto monialium non est simile. Nam non puto dicturos
» Pontificios omnes suas moniales deperiri à juvenibus. 2. Non fa-
» ctis humanis de quibus varia hominum judicia esse possunt, sed
» scripturis nitendum est, eæ autem docent extra casum necessitatis
» mulieri illicitum esse radere aut tondere comam. Ad tertium:
» Resp. 1. Omnes mulieres fideles Christo desponsatæ sunt; & non
» essent fideles si Christo desponsatæ non essent. Nulla ergo fide-
» lium mulierum tenebitur ad nutritionem capillorum. At inquies
» alia ratio est monialium, ut quæ ita Christo desponsatæ sunt ut si-
» mul etiam omnem à conjugio abstinentiam voverint. Resp. 1. Vo-
» tum illud (ut quod temerarium est) moniales illas Christo propius
» non jungit: sed eas potius laqueis diaboli (ut eventus sæpe do-
» cuit) implicat. 2. Si moniales Pontificiorum licite comas propter
» votum illud tondent, poterit quælibet mulier etiam quæ solemni-
» ter votum non emittit, sed nuptiis animum non applicat, capillos
» tondere; nam non magis ea subjicitur viro ratione conjugii, quam
» moniales quælibet. at hoc est contra Apostolum. 3. Si votum il-
» lud tantarum sit virium, utique etiam obligabit moniales, ut nu-
» dis capitibus orent & prophetent: patet hoc ex disputatione Apo-
» stoli 1. Cor. 11. docentis, posito velamine naturali, poni adsciti-
» tium, & sublato tolli. Resp. 2. Non solum conjugium, sed etiam
» sexus, mulieribus velaminis quod subjectionis signum sit, necessita-

„ ſitatem imponit ut alibi à me oſtenſum eſt. Ad quartum. 1. Docet
„ quidem Hieronymus moris fuiſſe in Ægypti & Syriæ monaſteriis,
„ ut tam virgines quam viduæ quæ ſe Deo voverant, crinem mona-
„ ſteriorum matribus offerrent deſecandum: ſed non arceſſit hujus
„ rei cauſam Hieronymus à deſponſatione talium cum Chriſto, ſed
„ inde quod vel lavacrum non adirent, vel quod oleum nec capite
„ nec ore noviſſent, ne à parvis animalibus, quæ inter cutem & cri-
„ nem gigni ſolent è concretis ſordibus, opprimerentur. 2. Vnde
„ probabitur recte feciſſe virgines & viduas illas (de quibus Hiero-
„ nymus agit) ſibi ipſis neceſſitatem attrahentes tondendi capillos?
„ Damnat ſcriptura omnem ἐθελοθρησκίαν utque libertatem nobis per
„ Chriſtum partam tueamur monet. 3. Concilium Grangrenſe dam-
„ nat ſectionem capillorum muliebrium propter divinum cultum.
„ Nam ſic loquitur cap. 17. *ſi qua mulier propter divinum cultum (ut*
„ *æſtimat) crines attondeat quos ei Deus ad ſubjectionis materiam tribuit,*
„ *tanquam præceptum diſſolvens obedientiæ, anathema ſit.* Ad 5. docet
„ quidem præceptum de tonſura Naziræorum ubi voti tempus ex-
„ pletum eſſet, id quod dicit Apoſtolus de nutritione comarum mu-
„ liebrium, tale eſſe ut exceptionem admittere poſſit, ſed inde non
„ probatur, exceptionem legitimam ponere prætenſam quam mo-
„ niales religionem ingredi dicuntur. Neque enim par ratio eſt, le-
„ gum cæremonialium olim à Deo populo Iſraelitico latarum, &
„ humanorum commentorum; neque eum in finem illæ abrogatæ
„ ſunt ut hiſce locus fieret 1. Cor. 7. v. 23. Gal. 5. v. 1. Plura de tonſu-
„ ra monialium vide apud Hoſpin. de orig. Monachat. lib. 3. cap. 11.
„ Pareum in comment. in 1. ad Cor. cap. 11. v. 6. Primeroſ. du vocu
„ de Iacob Tom. 2. c. 19. §. 8.

Reſp. 11. non fuit auſus vir doctus diſp. 6. theſ. 2. nec hoc loco, adſcribere, Poimenandrum invehi pag. 56. quam theſi dicta citat, in tonſas mulierum antias quas *Garſettas* uſitato vocabulo vocat. ſuffecit ipſi ut diceret, affirmare Poimenandrum *non licere à coma dependiala nonnihil aliquando demere*, quaſi videlicet Poimenander id abſolute negaſſet, quod falſum eſſe ipſe vir doctus mox nos docebit. Quandoquidem autem id prætermiſit, explicet ſe nunc tandem (Res enim hæc eſt *magni momenti*) ne patronus *garſettarum* illarum merito habeatur, neve judicetur ſcripſiſſe non pro *libertate*

Christiana, sed *vanitatibus mundanis*, an *Graſettas* illas licitas eſſe ſentiat. 3. ſequemur viri docti indaginem.

Pergit; *Quæſtionem hanc poſuerat theſ.* 1. *Vtrum mulieribus permiſſum ſit capillos ſuos radere vel tondere? pro cujus negativa cum multis diſſeruiſſet, eam applicans noſtræ controverſiæ ait theſ.* 4. *ex dictis colligere impromtu eſt non male dictum fuiſſe raſuram comæ muliebris (videlicet ubi nulla eſt neceſſitas quæ eam poſtulet) legi naturæ repugnare. Equidem totum Poimenandri tractatum à capite ad calcem denuo evolvi, ut viderem an uſpiam ſtatum quæſtionis ita formet, & reperi ubique eum abſolute* tonſuram &c. *mulieribus, ut legi naturæ repugnantem prohibere nulla* neceſſitatis (*quam ſollicite perpetuo inculcat vir doctus*) *mentione adjecta. Vnum locum excipio, ubi per occaſionem objectionis, quam ſe declinare non poſſe videbat, ejus meminit.* Reſp. 1. Si multis diſſerui pro negativa quæſtionis poſitæ, *multa* ſe vir doctus præteriiſſe fatetur, qui tamen nuper (licet non ſine damno ſuo) queſtus fuit, à me quædam ipſius quæ me non tangebant, præterita fuiſſe. 2. quam ſedulo vir doctus denuo evolverit à capite ad calcem totum Poimenandri tractatum facile videbit lector ex iis quæ ad præfatiunculam quam appendici præmiſit, nuper diximus. Solemne eſt viro docto non videre in ſcriptis adverſariorum ſuorum quæ ſibi obſtura ſint; videre vero, & quidem acumine pluſquam lyncco, quæ ſibi profutura credat, etiamſi nuſquam exiſtant, ut non ſemel oſtendi. 3. τὸ *Vbique* ſuum ipſe vir doctus elidit, cum ipſe unum locum excipit. 4. niſi mihi res fuiſſet cum viro docto qui etiam ſæpius dicta non videt (uti patuit ex diſputatione de conſuetudine NUDA vel ARBITRARIA cap. 19.) tam ſollicite *neceſſitatem* perpetuo non inculcaſſe. 5. ſive ſæpius ſive ſemel tantum ſive ex profeſſo ſive per occaſionem Poimenander *neceſſitatis* meminerit, parum refert modo meminerit. Imo vero etiam ſi non meminiſſet, æquitas tamen poſtularet, ut commoda mitigatione verba Poimenandri in benigniorem ſenſum interpretaremur. docuit id nos vir doctus exemplo ſuo diſp. de coma 4. theſ. 3. ubi commoda interpretatione, dictum quoddam Bezæ mitigat. Sed audiamus virum doctum de loco illo uno quem apud Poimenandrum invenit diſſerentem. Inquit ergo, *qui locus omnino conſiderationem meretur. Tam enim agit timide, tamque aliena ratione reſponſum*

ſuum

ſuum fulcit, ut ea omnes ſuas rationes manifeſte perturbet. pag. 59. cum Druſilla amputationem muliebris comæ eo excuſaſſet, quod non ſtrictim tonderent aut raderent mulieres, excepto, ſi catarrhis obnoxiæ eſſent, tum enim nonnunquam medicos præſcribere ut capita quantum poſſent perpetis radicitus attonderentur, relicto nõnullo crine decoris cauſa, ſupra frontem: ac interrogaſſet, an & hoc contra ſcripturam eſſe cenſeret? reſpondit p. 68. *Statuere ſe cum Apoſtolo, omnem tonſuram* NON NECESSARIAM *capitis muliebris eſſe vetitam.* 1. Cor. 11. 7. *Atqui inquit, mulieres quæ comam gerunt pendulam ſeſe attondent citra neceſſitatem. Ergo tonſura illa vetita eſt. & pag. ſeq. Quia capillus prolixior poros occludit, & vim frictionum ad diſcutiendos catarrhos non parum impedit, hinc eſt quod medici interdum mulieribus præſcribant, uti capillos ſuos amputent.* QUOD TAMEN NATURÆ ET HONESTATI PARUM CONSENTIRE *videtur. Sed* NECESSITAS FRANGIT LEGEM *& mox, in hiſce ergo caſibus valet illa regula* MISERICORDIAM *volo, & non ſacrificium* Matth. 15. 7. *Hic primo obſervandum, tonſuram citra neceſſitatem à Poimenandro vetari ex loco Apoſtolico* 1. Cor. 11. 7. *qui tamen de neceſſitate ἀδὲ γεύ habet.* 2. *Fateri eum non videri conſentire naturæ & honeſtati, tonſuram mulierum, etiam morbi cauſa admiſſam.* 3. *eum* LEGEM *etiam in illo caſu agnoſcere, quam tamen neceſſitas frangat. cumque loquatur de lege naturæ, & de neceſſitate corporali, hunc ſenſum illius dicti emergere: neceſſitas* CORPORALIS *frangit legem* NATURÆ 4. *eum adhibere ad id probandum textum de miſericordia & ſacrificio, qui cum hoc negotio nihil commune habet.* CUM SACRIFICIUM *quod miſericordiæ cedere Chriſtus indicat; ſit legis* CEREMONIALIS *& poſitivæ, non autem legis* NATURÆ *& moralis. nullo autem modo ſequitur: ceremoniæ cedunt miſericordiæ ſive charitati in proximum, ergo & lex naturæ ei cedit. id enim ſi verum eſſet. liceret jus naturæ violare, modo per id proximo ſubveniremus. Liberum ergo eſſet* MALE FACERE, UT EVENIRET BONUM *contra Apoſtolum* Rom. 3. 8. Reſp. cui bono vir doctus hæc attulit? An ut doceret, quod tamen faciendum erat, niſi aerem ferire vellet, Poimenandrum caſum neceſſitatis non excepiſſe? Certe ne quidem hoc tentat, ſed (ſi ipſi credimus) adeo intrepide (timorem Poimenandro objecit) docuit Poimenander caſum neceſſitatis excipi, ut etiam cum violatione legis naturæ & honeſtatis, neceſ-

cessitati illi locum dandum esse contendat. 2. quandoquidem viro docto libitum est extra oleas vagari, sequamur eum, ut dum Poimen., sicuti postea etiam mihi, errores impingit, ipsummet errasse & quidem non leviter eluceſcat. Quantum ergo ad primum eorum; fateor 1 Cor. 11. v. 7. non tantum nullâ necessitatis sed ne quidem tonsuræ fieri mentionem; sed novam contineri rationem qua Apostolus probat viro aperto, mulieri tecto capite orandum vel prophetandum esse: errore ergo vel Poimenandri vel typhographi factum est ut v. 7. pro 6. notatus sit. hoc enim versu de tonsura & rasura mulierum agitur, doceturque utramque mulierem dedecere. Dicet vir doctus ne hic quidem casum necessitatis excipi. Resp. certe eo loco non ait Apostolus eum exceptum (neque enim omnia uno loco dicuntur) sed cum ex scripturis habeamus, duobus officiis legis concurrentibus, quod minus est ei quod majus cedere debere, manifestum evadit, quod ubi ratio salutis corporalis ita poscit, capillos mulieri tondere fas sit: adeoque quod casus necessitatis in dicto illo Apostolico sit excipiendus. Nam ut nos antea Iunius docuit, honestas naturalis cedit necessitati privatæ gravi. Quia per legem divinam magis, obligor ad conservationem vitæ, quam ubi utrumque fieri nequit, ad conservationem honestatis naturalis id est decori in cultu corporis externo observandi. Supra id planum feci, adeo ut opus non sit ut id nunc probem. Ad secundum: fatetur Poimenander id quod vir doctus cum fateri ait; sed quid in eo peccatum est? Fateor & ego cum Poimenandro *naturæ & honestati* ubi nulla est necessitas, non consentire tonsuram muliebrem, affirmo tamen consentire eandem *naturæ & honestati* ubi est necessitas. Quod autem vir doctus ait, Poimenandrum loqui de dissensu, etiam ubi casus necesitatis incidit; inquit enim, *etiam morbi causa admissam*, hoc ipsi probandum est. Quod enim ait Poimenander de dissensu de quo est quæstio, ad id quod proxime præcessit de decurtatione capillorum, non vero ad id quod remotius est, id est ad causam decurtationis refero. Si id viro docto non placet, & mavult Poimenandrum sauciare, quam sanitatem ejus tueri, me sibi non habebit assentientem. Ad tertium. 1. Quomodo *legem* Poimenander casu de quo loquitur agnoscat, qui ait viro docto fatente

te neceſſitatem frangere legem : id eſt per neceſſitatem fieri ut lex obligandi vim amittat ? 2. Ajo poſſe *neceſſitatem corporalem frangere legem naturæ.* Sed additis hiſce cautionibus. 1. ne enunciatio hęc indefinita pro univerſali ſed particuliari ſumatur. nam ut falſum eſt *omnem* neceſſitatem frangere *omnem* legem naturæ, ſic certum eſt & exploratum quandam neceſſitatem frangere quandam legem naturæ. Probat hoc ipſe Poimenander exemplo eorum qui calculo laborantibus per ſectionem ſuccurrunt, quod vir doctus omiſit, ſolidius enim erat quam ut ei (ſicuti alibi loquitur) dentem infigeret. 2. ut Phraſin *frangendi legem* ita interpreteris ut ſenſus ſit, neceſsitatem efficere ut ceſſet obligatio legis, nimirum quia Deus ipſe caſum neceſsitatis excepit. Ad quartum 1. optime à Poimenandro locus ille Hoſeæ adhibetur. Quia licet ſacrificia ad legem ceremonialem pertinuerint, recte tamen (ut nunc alia omittam) ex loco illo generalis regula ſtruitur, quod ubi duo officia legis concurrunt quæ ſimul præſtari nequeunt, id quod minus eſt graviori cedere debeat. Sufficit autem id Poimenandro ad probandum quod intendebat. Quia minus eſt capillos urgente neceſsitate ſecare, quam vitam in periculum adducere. 2. Oſtendat nobis vir doctus argumentationem hanc apud Poimenandrum : *Ceremoniæ cedunt miſericordiæ ſive charitati. ergo & lex naturæ ei cedit.* Nuſquam ſat ſcio, ipſum ſic argumentatum eſſe inveniet. 3. Quamvis autem vir doctus adverſario ſuo argumentum tribuat quod ille pro ſuo non agnoſcat, (nam lex naturæ à viro docto in hac argumentatione opponitur miſericordiæ ſive charitati) cum etiam miſericordia & charitas ſit legis naturæ, nequaquam tamen argumentationem eam convellere potuit. Quomodo enim ſequetur ex argumentatione illa licitum eſſe *violare jus naturæ* modo per id proximo ſubveniamus ? ut quod ceſsiſſe, id eſt obligandi vim amiſiſſe contendebatur. At vero ejus quod obligandi vim amiſit nulla eſt *violatio.* Probare debuerat vir doctus non cedere jus naturæ (uti loquitur) miſericordiæ ſive charitati, ut dicere poſſet ex illa argumentatione ſequi quod ſequi affirmat. Si quis hoc argumento uti vellet, quod tamen futurum non puto ; diceret virum doctum in reſponſione ſua principium petere. Et locum ad Rom. 3. 8. nihil ad rhombum facere. Vides opinor vir docte conſide-

rationes tuas in locum quem considerandum tibi proposueras in spongiam incubuisse. Pergit tamen tanquam re bene gesta, dicens; *Hanc tam manifestam hallucinationem detegi maximum operæ pretium est, non solum Poimenandri, sed & viri docti causa, qui eodem probandi modo utitur tum alibi tum Quæst. text. thes. quatern.* R. Resp. 1. *Hallucinationem* dum detegere vult vir doctus, nullam invenire potuit, sed *hallucinationes* ipse suas prodidit, atque adeo operæ pretium amisit. 2. Quod de *hallucinationibus* Poim. dixit jam refutatum est. Videndum autem an melius *hallucinationem* meam detexerit; Ait ergo me eodem probandi modo uti tum alibi tum loco quem indicat. Sed verba mea non recitat, quod suspicionem movet me non esse argumentatum prout argumentantem Poimenandrum facit. Videamus tamen an vir doctus sive brevitatis studio, sive morositate quadam inductus verba mea non attulerit. Loco ergo quem indicat (alios ubi commodum erit annotabit, ut „ & eos vindicem) sic ajo: Quoniam autem res ita se habet, statuo „ Apostolum voluisse, ut in cœtibus publicis, signum illud dignita- „ tis & auctoritatis virilis in viris, signumque subjectionis muliebris „ in mulieribus per se, obtineat, quando videlicet necessitas nulla „ (nam ut Martyrem dicentem audivimus, Deus misericordiam „ vult non sacrificium) sese offert, quæ id impediat. At quis hic inveniat argumentationem illam absurdam viri docti? *Ceremoniæ cedunt misericordiæ sive charitati in proximum. Ergo & lex naturæ et cedit.* Pergit: *nec quicquam ei prodest locus Pet. Martyris ex quo id hausisse videri vult quemque attulit pag. præced. sed funditus ejus opinionem evertit. Adscribam Martyris verba: neque debent rei haberi hujus præcepti homines in regionibus aquilonaribus, si perpetuo in sacris non sunt apertis capitibus. Nam compelluntur nimio frigore caput contegere. Sati faciunt autem Apostolicæ traditio. i quando ab initio sacræ functionis & subinde in medio vel ad finem caput aperiunt. Quia non requiritur ut propter illam* CEREMONIAM *valetudo insigniter lædatur; misericordiam volo non sacrificium. Videt opinor vir doctus solidissimum illum theologum quod de* sacrificio *dicit Christus de* ceremoniis *dictum accipere, quod ad* IUS NATURÆ *Poimenandrianum nō nisi vi violenta & cum totius theologiæ perturbatione detorqueri potest. Hac de statu quæstionis pergamus.* Resp. 1. nihil hic video quod

pro

pro me non faciat. Nam 1. docet Martyr præceptum Apoſtolicum 1. Cor. 11. v. 4. obligandi vim non amiſiſſe, quod pro me facit & contra virum doctum. Hinc enim patet præceptum illud non fuiſſe temporale aut mori apud Corinthiis recepto & nunc in contrarium mutato innixum, uti contendit vir doctus, ſed perpetuum, quod & ego affirmavi. 2. Præceptum hoc eſſe ex hypotheticorum genere, id eſt tale quod non obligat niſi poſitis ponendis. Caſu enim nimii frigoris inſigniter valetudinem læſuri obligationem ceſſare docet Martyr. At idem & ego ſentio & inculco. 3. Vocat materiam præcepti Apoſtolici Ceremoniam, quod & ego plane recipio. Nam ceremoniæ non tantum vocantur conſtitutiones illæ veteris teſtamenti, partim ordinis eccleſiaſtici cauſa, partim ut umbræ rerum futurarum eſſent inſtitutæ, ſed etiam quilibet ritus qui cultui externo adhibentur, ut geniculatio, manuum ad cœlum elevatio, aliique iis ſimiles. 4. Probat Martyr ex loco Hoſeæ de quo litigat vir doctus, non obligare traditionem id eſt doctrinam Apoſtolicam de qua agit, caſu nimii frigoris inſigniter valetudinem læſuri: hoc & ego facio. Reſtat ergo ut & Martyrem inſulſo illo ſyllogiſmo: *Ceremoniæ cedunt miſericordiæ ſive charitati erga proximum: ergo & lex naturæ ei cedit* uſum dicat. 5. Martyr plus dicit quam ego: Innuit enim ut ſatisfiat Apoſtolicæ traditioni in locis aquilonaribus, ſibi placere ut aperiant viri capita initio ſacræ functionis ET SUBINDE in MEDIO vel ad finem. Quod ſi hoc à me vel à Poimenandro prolatum fuiſſet quid non diceret vir doctus? Sed ait, *ſolidiſſimum illum theologum quod de ſacrificio dicit Chriſtus de ceremoniis dictum accipere, quod ad jus naturæ Poimenandrianum non niſi vi violenta & cum totius theologiæ perturbatione detorquere poteſt.* Reſp. 1. quis unquam negavit quod de *ſacrificio* dicit Chriſtus de ceremoniis dictum accipiendum? 2. Nego tamen ex loco illo non poſſe ſtatui regulam generalem quam antea tradidi, nimirum concurrentibus duobus legis præceptis id quod minus eſt debere cedere majori. Nam etiam Martyr ſi recte illum argumentatum eſſe fateri velit vir doctus, nec uſum abſurdo illo ſyllogiſmo quem nobis antea propinavit ex regula illa argumentatus fuit. Concludit enim ex loco Hoſeę, non requiri ut propter Ceremoniam imperatam ab Apoſtolo inſigniter valetudo lædatur. 3. A-

deoque cadit quod ait, de jure naturæ Poimenandriano totam theologiam perturbante. 4. prætermiseram quod vir doctus vocem *ceremoniæ* in loco Martyris majusculis notaverit, item in conclusione nõ tantum vocẽ *sacrificii* sed etiam *cæremoniarum* alio charactere scripserit. Nescio autem quid eo sibi voluerit: existimo tamen ipsum velle, Martyrem nominantem CEREMONIAM intellexisse ceremoniam aliquam veteris testamenti, vel ritum aliquem ecclesiasticum locis, temporibus & personis certis accommodatum. Quod si prius voluit, egregie erat & Martyri injuriam facit. Loquitur Martyr, de ritu orandi & prophetandi ab Apostolo præcepto. At ritus ille V. T. cæremonia non erat. Neque enim Apostolus ceremonias V. T. revocavit, sed strenue abrogationem illarum docuit. Quod si posterius etiam insigniter fallitur. Nam 1. argumentatur à non distributo ad distributum. Nam sunt quædam ceremoniæ quæ perpetuæ & juris naturę sunt, ut genuflexio, elevatio manuum & oculorum ad cælum & similes. 2. Martyr de tali ceremonia loquitur, quam etiamnum obligare credit, excepto casu valetudinis insigniter lædendæ, ac proinde quam juris naturę sed hypothetici esse credidit. Adeoq; ex loco Hoseæ ad jus aliquod naturæ argumẽtatus fuit, quem tamẽ id facientem totam theologiam perturbasse dicere non audebit.

Accedimus ad vindicias thesis meæ quartæ, (tres enim priores vir doctus intactas reliquit) disputationis meæ ultimæ de coma.

» Ibi autem sic ajo: Ex dictis quoque colligere impromptu est non
» male dictum fuisse à Poimenandro rasuram comæ muliebris (vide-
» licet ubi nulla est necessitas quę eam postulet) legi naturæ repu-
» gnare. Contrarium tamen statuit vir doctus (cujus disputationes 5.
» priores supra examinavimus) disp. 6. de coma th. 7. Ratio ejus pri-
» ma est. Quia in aliquo casu non solum permissa est, sed etiam præ-
» cepta est rasura comæ mulebris Deut. 21. v. 12. Resp. Ratio hæc
» parvi prætii est: nec amplius probat quam quod præceptum de
» nutritione comæ muliebris, sit de eorum genere, quæ propter
» in adæquationem materiæ & mutationem quæ in objecto con-
» tingere potest, exceptionem admittunt. Nam si licitum est ita
» ratiocinari, pari modo probabitur, non repugnare juri naturæ
» vulnerationem aut occisionem hominis innocentis privata aucto-

ri-

» ritate factam, quia Deus aliquando vulnerationem & occisionem
» præcepisse legitur. Aut non esse Iuris naturæ, ut frater abstineat
» à nuptiis sororis suę, quia tales nuptias à Deo concessas & prę-
» tas aliquando fuisse legimus. Ad hæc ait vir doctus. *Resp.* 1. *id quod ratione mea probari fatetur, mihi sufficit adversus Poimenandrum. Nam quæ contra naturam esse dicuntur in hoc negotio, ea iis accenset quæ Paulus in gentibus detestatur.* Rom. 1. 26. *quæque propter adæquationem materiæ &c. exceptionem non admittunt. Nullo enim in casu vel permissa unquam, vel præcepta leguntur. Vnde vi hujus exceptionis ita argumentari licet: Quæ ita sunt contra naturam ut peccata* Rom. 1. 26. *reprehensa, exceptionem non admittunt: At rasura mulierum exceptionem atmittit: Ergo non est ita contra naturam ut illa peccata. Major extra controversiam est. Minor est viri docti. Vnde concluſum est adversus Poimenandrum. Exempla viri docti ad rem non faciant: cum exceptionem ambo admittant, nec proinde ad doctrinam Poimenandrianam accommodari possunt.* Resp. 1. Concedit ergo vir doctus rasuram comæ muliebris (ubi milla necessitas est quæ eam postulet) legi naturæ repugnare: & argumenta mea solida esse ex quibus id concluſi. Nam tantum hoc agit ut se contra Poimenandrum non autem contra me, qui exceptionem casus necessitatis agnosco, tueatur. Si ita non est, cur non respondet ad argumenta mea unde porisma meum eduxi: præsertim cum ipse quando aliquid prætereo vel prętereisse me putat eorũ quæ ipse dixit mox victoriã canat. vide Epilogum tract. viri docti de libertate Christiana. & prefatiunculã appendici præmissã. Item *cur nos errare sinit* (agnoscit vir doctus verba sua) *quos in viam reducere potest?* 2. Falsum est, & quidem falsissimum ut supra à me ostensum fuit, ea quæ in hoc negotio contra naturam esse dicuntur, iis à Poimenandro accenseri, quæ in gentibus detestatur Apostolus; fervide sæpius id dixit vir doctus (nam aliter se tueri non potest) sed nunquam vel leviſſimo argumento ex verbis Poimenandri (ad quæ nos remittit, quasi videlicet per se hoc dicerent) id probare conatus est. Peto à viro docto, ut si mihi respondeat, quod ait de Poimenandro, tandem aliquando argumento aliquo solido probet; sed sat scio ipsum hoc nunquam facturum. Continet argumentum viri docti ignorationem elenchi: & ad rem faciunt exempla mea. 3. plane mihi

persuadeo virum doctum cum disputationē suam sextam scriberet, de hoc effugio nihil cogitasse sed postea illud natum esse. Nam alioqui thes. 2. & 7. vel verbo se adversus jus illud naturæ quod Poimenandro tribuit disputare indicasset, quod tamen non facit.

Sequitur in thesi mea. Secunda est; quia ipsi adversarii rasuram comæ muliebris in casu necessitatis corporalis puta psoræ lepræ aut similis incommodi concedunt: at nulla necessitas talis legi naturæ præjudicare potest. quod probatur: quia si ob psoram legem naturæ violāre licet in re minima, quid obstat quominus ob lepram, aut pestem, aut denique mortis metum eam liceat violare in rebus maximis? *Resp.* 1. Negatur consequentia: quia leges naturæ aliæ sunt absolutæ, quia cadunt supra materiam adæquatam: alię exceptionem admittunt, ut supra sæpius dictum & probatum fuit. Quæritur vir doctus hic à me omissum esse locum Mattth. 5. vers. 19. *quisquis solverit* &c. item *Omne peccatum etiam minimum atque ita omnem transgressionem legis naturæ mereri mortem æternam*; sed immerito. Nam sive hæc absint, sive adsint, nec mihi quippiam decedit nec viro docto accedit. Probandum enim ipsi est, ex sententia quam impugnat sequi fas esse LEGEM NATURÆ VIOLARE, ut hisce dictis uti possit. At nec hoc fecit, nec unquam faciet. Deinde respondet ad mea quæ jam recitata sunt, dicens. *Donabo viro docto hanc suam distinctionem quia nihil mihi incommodat. Nam Ius naturæ quale Poim. ponit in negotio capillari est absolutum, cadit super materiam adæquatam & quæ exceptionem non admittit, cum tale esse statuatur, quale transgrediebantur illi de quibus agitur Rom.* 1. 26. *nihil ergo hac distinctione profectum est.* Resp. 1. Ostendit ergo vir doctus se non habere quod reponat ad distinctionem à me datam, argumentumque suum ea elisum esse, si adversus me qui jus illud naturæ absolutum quod Poimenandro tribuit, in hoc negotio non agnosco, adferatur. 2. Verba quibus vir doctus thes. 7. proponit hæc sunt. 2. *Quia ipsi* ADVERSARII *eam* (rasuram) *concedunt in casu necessitatis corporalis. Demat. disp.* 2. thes. 5. *puta psoræ aut similis incommodi disp.* 2. thes. 3. *in fine. At nulla necessitas legi naturæ præjudicare potest.* At hisce verbis indicat vir doctus se tum de jure naturæ absoluto non cogitasse, sed simpliciter probare voluisse rasuram comæ muliebris juri naturæ sive ab-

absoluto sive hypothetico nõ repugnare. 1. Quia *adversariorum* hic fit mẽtio. at quos dabit mihi adversarios qui jus naturę absolutum in re capillari urserint? cum ne Poim. quidẽ quem passim protrudit ut post eum deliteſcat, probare possit, jus naturæ absolutum in re capillari agnovisse?imo nuper cõfessus sit ipsum casum necessitatis excepisse. Append. p. 6. 7. 2. quia ex verbis meis probare conatur adversarios cõcedere rasuram comæ muliebris in casu necessitatis corporalis. Vnde sequitur eum me inter adversarios numerare quos hac thesi oppugnat, alioqui enim probatio hæc nulla esset. At ubi ego agnovi jus illud naturæ absolutum in negotio capillari? producat vir doctus vel unum locum si potest. 3. In postremis verbis ejusdem theseos legis *naturæ* non juris naturę *absoluti* meminit, 4. Imo ne quidem in formatione status controversiæ th. 2. & 7. Iuris naturæ absoluti ullam mentionem facit. Pergo ad sequentia „ theseos meæ, ubi sic loquor: 2. non valet ratio consequentiæ. Nam „ quamvis verissimum sit nullam necessitatem corporalem dari, quæ „ ulli violandi legem naturæ copiam faciat, est tamen aliqua necessitas qua posita lex aliqua naturę obligare desinit, quia ea lege non „ comprehenditur. Quamvis enim multa sint præcepta legis naturæ quę nullam exceptionem admittant, quia cadunt supra materiam adæquatam, qualia sunt quæ de mendacio, perjurio, adulterio aliisque similibus agunt: sunt tamen aliqua, quæ posita gravi „ necessitate exceptionem admittunt, atque adeo casu illo non obligant, qualis est lex de non mutilando se ipso, non induenda viris veste muliebri aliaque iis similia. Respondet vir doctus; *posſem dicere juxta Poimenandrum necessitate* frangi *legem, quod certe non minus est quam violari. Sed transeat hoc, neque enim in vocabulis vim facimus. ad rem: nego ullam dari necessitatem qua posita lex naturæ de qua Rom. 1. 26. obligare desinat. At talem esse statuit Poim. legem capillarem. nihil ergo etiam hac distinctione effectum est.* Resp. 1. sive utaris verbo *frangendi*, sive *violandi* in re proposita, nihilo melius inde tibi erit. De Poimenandri dicto antea egimus. 2. Vir docte non agebatur de tali lege naturæ de qua ad Rom. 1. v. 26. sed de tali quę exceptionem juxta ADVERSARIOS tuos admittat, ut paulo ante visum fuit. Quod Poimenandro rursum ut ægidę te tegis, clamat id res tuas in angusto esse, teque rationibus meis constrictum φυγομαχεῖν.

Re-

„ Reliqua theſeos ejuſdem hæc ſunt: 3. non valet ratio proba-
„ tionis. Nam 1. aſſumit vir doctus dictum quod nunquam cogita-
„ tum fuit, videlicet eos quos ſibi delegit adverſarios, ſentire lici-
„ tum eſſe violare ſeu tranſgredi legem naturæ ob pſoram. Sentio &
„ dico, legem naturæ mulierem pſora laborante ad nutritionem co-
„ mæ non obligare. Quia quando jubetur nutritio comarum, excipi-
„ tur caſus pſoræ, aliorumque ejuſmodi incommodorum: non ſe-
„ cus ac quando præcipitur ne reſiſtamus malo; moderamen incul-
„ patę tutelæ exceptum intelligitur. Vana ergo ſunt quæ vir doctus
„ de violatione legis in caſu lepræ, peſtis & mortis in re graviſſi-
„ ma aſſuit, niſi oſtendat violationem legis committi ubi ea non
„ obligat, aut omnium legum naturalium eandem eſſe rationem.
„ Quod ipſum nunquam facturum eſſe certum eſt. Quid ad hęc vir
doctus? *Reſp.* 1. inquit. *Quod nunquam cogitatum eſſe dicit, id non modo cogitatum, ſed & ſcriptum eſſe à Poimenandro modo patuit.* 2. *non quid ſentias aut dicas hic attendendum ſed quid conveniat principiis Poimenandrianis. Is autem tale jus naturæ ponit, quod ſemper obligat, nec exceptionem patitur, ut item oſtenſum.* 3. *cum à legis hujus obligatione pſoram & ſimilia incommoda excipi ais, quæro à quo excipiantur. An à Deo? ſi ita eſt cedo tabulas illius exceptionis. An à te? at id nullam circa leges divinas auctoritatem habet. Lex de non reſiſtendo malis ſolam vindictam privatam prohibet. nec inculpata tutela ab ea excipitur, cum ſpecies vindictæ non ſit.* Reſp. ad primum. 1. Dum Poimenandrum ſolum nominas, te id in ſcriptis meis non inveniſſe fateris, cum tamen me numeres inter adverſarios adverſus quos diſputas, & ex meis verbis arguere videri velis. Quæ hæc eſt vis & iniquitas, ſi adverſum me ſcribere vis ex meis me oppugna, non ex Poimenandrianis. Indigne ferres ſi tibi impingerem quidquid ab Auctore Epiſtolæ de coma, Dialogiſta, & inſipidi conſilii de coma ſcriptore dictum fuit, tibique vim fieri clamares, quod ergo tibi fieri nolles, nec mihi facere debuiſſes. 2. Falſum eſt oſtenſum id à Poim. ſcriptum eſſe quod ſcriptū ais. Dixit Poimenander vulgato uſus proverbio, neceſſitatem *frangere legē*, & tu ipſum ſcripſiſſe ais, quod *liceat ob pſoram legem naturæ frangere in re minima.* Quaſi idem ſit actus hominis frangentis ſive ut tu loqueris theſ. 8. violantis legem, & neceſſitas quæ frangit legem, id eſt, facit ut ceſſet obligatio

tio legis. Ad secundum : Quousque vir docte post Poimenandrum delitesces? Ostendere debebas à me scriptum quod Poimenandro tribuis, aut aperte confiteri me male à te adversariis tuis quos thes. 7. & 8. oppugnandos censuisti adnumeratum fuisse. 2. Quod ostensum ais nec ostensum est, nec unquam ostendetur. Ad tertium 1. excipitur psora & similia incommoda à Deo. tabulas autẽ illius exceptionis in ipsa natura, per quam etiam loquitur Deus, inveni. Nam si licitum est casu necessitatis mẽbrum aliquod corporis secare, ut in sideratione, in sectione qua succurritur calculo vesicæ, aut etiam hernia laborantibus ; licitum quoque est mulieribus psora, lepra &c. laborantibus capillos secare, ut caput sanitati restituatur ; nisi vir doctus velit pluris mulieribus comam esse debere, quam manum pedemve. Item si licitum est in casu aliquo necessitatis, nudo corpore fugere, aut in hostem pugnare ; etiam licitum est in casu psoræ & similium incommodorum mulieri capillos tondere aut radere. Quia ratio honestatis id est decori naturalis non minus cessat, cum ob psoram & similia incommoda, capilli mulieribus tondentur aut raduntur, quam cum nudo corpore aut fugiendum aut pugnandum est. Vides ergo vir docte me tabulas quas petebas invenire potuisse & forte aliquanto clariores quam rebus tuis commodum est. 2. Lepidum est quod ait *legem de non resistendo malo solam vindictam privatam prohibere, nec inculpatam tutelam ab ea excipi, cum species vindictæ non sit.* Cum enim Christus utatur voce resistendi, & moderata tutela species resistentiæ sit, dicendum est viro docto eam speciem excipiendam in dicto Christi, aut statuendum Christum non tantum privatam vindictam, sed etiam inculpatam tutelam prohibere.

Ad ultima verba theseos meæ, vana ergo sunt &c. quæ paulo ante adducta fuerunt hęc habet. Resp. *Quia vocem violandi vir doctus non admittit, quanquam ei æquivalentem videlicet frangendi in Poimen. ostendimus, tamen ut λογομαχίας ansa præscindatur, dico etiam substituta phrasi viri docti æque validum esse argumentum : si enim ob psoram lex naturæ non obligat in re minima, non obligabit ob lepram &c.* in re maxima. *cum par utrobique sit ratio, nec ullum discrimen vir doctus vel monstrarit, vel monstrare possit. Non ergo meum est ostendere violationem legis committi ubi ea non obligat, sed viri docti est*

monstrare, cur ea hic obliget non illic. Neque opus est ut doceam omnium legum naturalium esse eandem rationem, cum sufficiat ostendisse legem de coma ex iis esse quæ positis Poimenandri principiis nullam exceptionem admittunt. Resp. 1. non dubito quin etiam vocem *violandi* alibi in Poim. legeris: sed rogo te vir docte utrum alibi in Poimenandro inveneris, quod tu adversariis affingis, videlicet, *quod ob pforam legem naturæ violare vel frangere liceat in re minima?* Nunquam id ostendes. Dixit, Poim. usus vulgato proverbio, *necessitatem frangere legem.* Sed quod ille de re id est de *necessitate* dixit, tu perperam ad personas trahis; cum personæ non frangant legem, postquam necessitate ex dispositione divina factum est, ut eo casu lex non obliget. Dixit Poimenander *necessitatem* frangere legem, sed de *re minima* locutus non est, hoc adversariis ex thesauro tuo largitus es. 2. Nego voces *frangendi & violandi* in re proposita esse æquipollentes. Necessitas *frangere legem* dicitur, cum facit ut obligatio legis cessat, minime tamen violat legem. 3. Non adversus solum Poimenandrum thes. 7. 8. disputas, quem ibi ne nominas quidem, sed adversus ADVERSARIOS, & quidem nominatim adversus me. Ostende ergo quinam illi sint adversarii qui dixerint, *quod ob pforam legem naturæ violare liceat in re minima*, ut pateat te nihil tale meritos, immerito non accusare. 4. Si legitima est argumentatio viri docti, & hæc legitima erit; quod posito ulcere non obligat in re minima, ut in incisione cutis, id non obligat posito periculo mortis in re maxima, ut in abnegatione veri Dei. At lex naturæ prohibens vulnerationem sui, non obligat in re illa minima. Ergo etiam non obligat in re illa maxima. Majorem diffiteri nequit vir doctus sine pernicie sui argumenti. Minor quoque eidem agnoscenda est, nisi negare velit aut legem de vulneratione sui esse legis naturę, aut non obligare casu posito. 5. Nego consequentiam majoris, argumenti quod nobis vir doctus cudit, nisi certis restrictionibus (quod non fit ab eodem) limitetur. Ratio negationis meę est, quia non est eadem ratio omnium legum naturalium. Quędã enim hypotheticę sunt, & exceptiones admittunt, ut lex de non resistendo malis, de vulneratione sui de honestate, sive decoro naturali, aliæque multæ, aliæ vero absolutæ sunt. 6. Ex hac argumentatione viri docti sequitur eum cum disputationes scri-

scriberet aut in ea sententia fuisse, quod legibus naturalibus non sint adnumerandæ illæ quæ exceptionem admittunt, & nunc etiam esse, quandoquidem argumentum hoc probat, & frustra eum ad jus naturæ quod in causa capillari Poim. affingit confugere: aut velle eum, quia quædam leges naturæ exceptiones admittunt, quod omnes admittant, adeoque ut licitum est in ulcere secare cutim, sic in periculo mortis ob cultum veri Dei intentatæ, etiam licitum sit abnegare verum Deum. 7. Lepide ait parem utrobique esse rationem, item me nullum discrimen monstrasse, meum non suum esse monstrare quare lex naturæ hic non illic obliget: quasi videlicet affirmantis non sit probare; & quasi non sufficiat ad discrimen monstrandum, dixisse (quod passim inculco) omnium legum naturalium non esse eandem rationem, aliasque esse absolutas alias esse hypotheticas & exceptiones admittentes, atque plurimis exemplis, ad quæ vir doctus respondere non potuit nec poterit, id ostendisse. 8. Lepide quoque sese recipit ad solitas latebras id est principia Poimenandriana, ut quæ conficta sunt, nec si vera esse nt, hic locum habere possent, quia adversum me quem inter alios impetit thes. 7. 8. iis uti nequit, ut qui iis usus non sum. Hæccine triumpho, quem veritati suæ prætensæ vir doctus decrevit, digna sunt?

CAPUT XXXVI.

THesis integra postulato iniquo declinata. Postulatum æquum. An sano sensu dici possit mulieres quasdam propter catarrhos contra naturam debuisse attonderi? quod affirmatur gemina ratione, quarum utraque vindicatur. Tacita confessio viri docti. Diligentia ejusdem minime diligens. Retorsio. ἅπαξ λεγόμενα Paratragœdiatio retusa. Dictum Christi Matth. 12. vers. 5. à viro docto in subsidium causæ antea vocatum, in eundem retortum. Peccatum materiale an veri nominis peccatum sit? quid sit? De judicibus. Locus Deut. 19. 15. de Bertranda Rossa ex Thuano. liberalitas præposiera. Rima quæsita à viro docto qui maximam portam aperuerat. De ignorantia juris & facti. ignorantia facti invincibilis & involuntaria an plusquam peccatum materiale constituat? quod negatur. Amesius. Rivetus. Martyr. Pontificii & Remonstrantes auctori à viro docto male objecti Thomas, Biel. An in eo quod materialiter tantum peccatum est sit ἀνομία? An licitum sit possidere bona vel hæreditate vel legatione acquisita, quæ ignoratitia invincibili & involuta.

ria nescias esse male parta, licet sint male parta? An quidquid procedit ex peccato peccatum sit? Gerson an viro docto faveat? Negligentia viri docti. Ignorantia infantium vitiosa ignorantia juris est. An eadem plane invincibilis? Adam quale principium An invincibilis & involuntaria ignorantia facti damnetur loco. Apostoli Rom. 14? quod negatur. An inter occulta de quibus David Ps. 19. 13. ignorantia eadem sit deputanda? quod etiam negatur. An omne id pro quo sacrificia oblata fuerunt, peccatum sit & quidem formaliter? quod etiam negatur, ex Num. 6. vers. 9. 11. & Levit. 15. vers. 14. 29, Casus solutio intempestiva. An voluntatis id est præcepti divini sit, ut careamus invincibili & involuntaria ignorantia facti? quod negatur ex Exod. 8. vers. 8. 10. 11. Deut. 19. 15. Omissum non omissum. De jure gentium, de feris, avibus, piscibus non captis. de Germaniæ populis. Prudentia viri docti in declinandis ictibus. Bellacitas sine adversario. Vis violenta. De argumento ex etymologia. An unus locus latini auctoris latine loquentis sufficiat ad ostendendum Græcæ alicujus vocis perpetuum usum? de loco Apostoli 1. Cor. 11. 5. Identitas physica & moralis. Mutatio terminorum. An Apost. 1. Cor. 11. 6. distinguat inter magis & minus? medicina morbo periculosior. Debitum viri docti. Præteritio duorum argumentorum. Lex naturæ intempestive in subsidium vocata. Scandalum activum in adiaphoris, an sit contra legem naturæ? quod affirmatur. distinctio præcepti & materiæ præcepti, quæ in adiaphoris mutabilis est, manente præcepto. De novitatis & singularitatis studio. Dilemma. de secunda decalogi Tabula. Tholosanus de Repub. De matronis quibusdam anglicanis. de loco Zeph. 1. v. 8. Interpretatio Kimchi explosa. Bucerus, Calvinus, Corn. à Lapide, Tirinus. Per sepecrarium. Duo alia argumenta à viro docto præterita. aliud mutile propositum. De loco. 1. Timoth. 2. v. 9. Absurdum. spes falsa de loco 1. Pet. 3. v. 3. & Jes. 9. Inimicum amicum.

PErgo ad vindicias theseos meæ quintæ disputationis ejusdem quam præcedenti capite vindicare cepi, quæ hæc est.

THESIS V.

„ Frustra ergo ait vir doctiss. disput. dictæ thes. 9. *Considerent*
„ *ergo viri optimi ac doctissimi, qui ad tam periculosam consequentiam pa-*
„ *rum attendisse videntur, qualis censeri mereatur assertio Borstii. pag. 50.*
„ *ubi ait mulieres quasdam propter catarrhos* contra naturam debuisse
„ attonderi. *Hoc sane nullo tectorio incrustari potest.* Nam quamvis
„ viro docto pro amica humanitatisque plena admonitione gratias
„ agendas censeam, nihil tamen invenio causæ, quod admonitio-

nem

» nem postulet. Immo vero invenio aliquid in placitis viri doctiss.
» & optimi, quod me moveat, ut simili oratione ipsum compellem,
» moneamque, ut attendat ad consequentias assertionum suarum.
» Statuit vir doctus ut ex objectionibus paulo ante adductis liquet,
» 1. id non esse legis naturæ cujus contrarium aliquando in aliquo
» casu non solum permissum, sed etiam præceptum fuit. 2. Id non
» esse legis naturæ cujus contrarium (materialiter loquendo) ob ne-
» cessitatem aliquando licitum est. At vero datis hisce assertioni-
» bus quæ non absurda sequentur? Nam prima earum admissa, se-
» quetur præceptum de non occidendo aut vulnerando proximo,
» non esse juris naturæ, quoniam non tantum occisio & vulneratio
» proximi aliquando permissa, sed etiam præcepta fuisse legitur.
» Nam ut nunc non dicam de sceleratis adversum quos magistratus
» ut Dei minister gladium fert, quosque Deus è medio tollendos do-
» cet, an non Abrahamo imperatum fuit ut filium mactaret? Scio
» quidem prohibitum fuisse Abrahamum ab exsecutione, sed non
» dubitabat Abrahamus, quin, si inhibitio nulla facta fuisset, sibi
» non tantum licitum, sed etiam necessarium fuisset, ut filium suum
» dilectissimum occideret. & idem ille qui occisionem Isaaci impe-
» raverat, Abrahamo exsequendi necessitatem imponere potuisset.
» An non legitur 1. Reg. 20. vers. 35. quempiam divinitus punitum
» fuisse, quod prophetam, Deo ut id fieret præcipiente, vulnerare de-
» trectasset; alterum vero divinæ præceptioni paruisse? Et ut cæte-
» ra omittam an non Israelitis necessitas imposita erat interimendi
» non tantum adultos inter Chananæos, sed etiam parvulos illorum,
» Deut. 20. v. 16. At quis ferat eum qui dixerit præceptum de nō oc-
» cidendo & vulnerando proximo, non esse legis naturæ? Nam quod
» si quispiam id asseruerit, tantum illicitum erit occidere aut vulne-
» rare proximum ratione scandali ex tali occisione emersuri; quod
» ab omni ratione alienum est. Admissa vero secunda assertione vi-
» ri docti, sequetur nullam esse legem naturæ quæ vetet sibi ampu-
» tare manum aut brachium ob quancunque causam, quia propter
» incommodum temporale, nimirum sideration em, talis amputatio,
» sectione in carne viva instituta aliquo casu licita est. Adeoque ho-
» mo jam non erit custos & gubernator, sed dominus membrorum
» suorum. Aut si est aliqua lex naturæ quæ vetet amputationem

„ membrorum humani corporis, ſequetur omnino, amputationem „ manus, brachii pediſve, in caſu ſphaceli ſive ſiderationis, eſſe illi- „ citam. Quia ſecundum virum doctum nulla neceſſitas legi natu- „ ræ præjudicare poteſt. Deinde quod ſi valeat hæc aſſertio viri do- „ cti, dicendum ipſi erit, aut non eſſe legis naturæ, poſito peccato, ut „ partes corporis obſcœnæ tegantur, aut ſi id eſt legis naturę, potius „ moriendum eſſe, quam mortem ubi ab hoſtibus intentatur, effu- „ gere nudo corpore. Denique ſi valet aſſertio viri docti periit jus „ defenſionis ſui ipſius quæ cum moderamine inculpatę tutelæ in- „ ſtituitur: item peccant reges, peccant reſpublicę quæ ob damna „ temporalia ab aliis ſibi illata bellum movent. Scio quidem virum „ doctum (ut de cujus orthodoxia nec mihi nec aliis eſt dubium) hæc „ portenta non defenſurum: attamen dico, ea fluere ex principiis „ ſive aſſertionibus ipſius, nec poſſe eum ea evadere, (quantum ego „ quidem judicare poſſum) quamdiu ea retinet & reſponſionibus „ quas dedi non acquieſcit.

Adhęc vir doctus more ſuo id eſt tergiverſando reſpondet: *Rogaram, inquit theſ. 9. ut juxta hæc conſideraretur aſſertio Borſtii, videlicet, mulieres quaſdam propter catarrhos contra naturam debuiſſe attonderi. Quod nullo tectorio incruſtari poſſe judicabam. Ad hoc vir doctus antequam ad rem accedit, viciſſim me monet, ut ad quarundam aſſertionum mearum conſequentias & ipſe attendam, & repetit, quæ dixerat de exceptionibus à jure naturæ, in præceptis de non occidendo aut vulnerando, de tegenda nuditate, de non reſiſtendo, ad quæ ſuis locis reſponſum eſt. Unum virum doctum rogatum velim, ut videlicet vel ſemel tandem jus naturæ accipiat ſenſu Poimenandri, & & quæ pro illo diſputat, exemplis quibus ille utitur ex Rom. 1. 26. accommodet, ac videat an ea patiantur exceptionem. Scio virum doctum tale portentum non admiſſurum. Attamen id neceſſario & faciendum eſt, aut cauſa clientis ſui hac in parte deſerenda. Sed accedamus ad Borſtium.* Reſp. 1. Non audet vir doctus dentem infigere ulli parti theſeos meæ, ſolidior enim eſt quam ut id tentet, unde neceſſario ſequitur argumentum ejus de quo paulo ante egimus corruere, niſi ſeſe in opiniones æque abſurdas atque illa eſt quam Poimenandro tribuit induere velit, uti demonſtratum eſt. 2. Viciſſim peto à viro docto ut vel ſemel agnoſcat, ſe injuriam facere

Poime-

Poimenandro, quem ad nauseã, ut elabatur ex absurditatibus quibus sese imprudenter implicuit, nobis objicit, vel semel tandem (nam id hactenus factum non fuit) quod de Poimenandro dicit, probet.

» Thesis mea 6. sic sonat: Sed missis hisce, ad assertionem Borstii,
» dicentis pag. 50. mulieres quasdam propter catarrhos contra na-
» turam debuisse attonderi, accedendum est, & videndum an ve-
» rum sit quod vir doctus ait, videlicet, quod ea nullo tectorio in-
» crustari, nullo prætextu palliari possit. Nam quamvis D. Borstius
» à me non petiverit defensionem suæ concionis, atque ipse sua de-
» fendere possit: quia tamen mihi narratum est, virum doctum in
» disputatione quapiam, cum ab iis qui auditores mei fuerant, edo-
» ceretur, quænam mea sententia esset de nutritione & tonsura
» capillorum, quam mihi attribuerat ex Borstio (cujus concionem
» cum Rever. conjunctissimisque collegis meis approbaveram) pro-
» bare nisum esse (lege satis dura approbatoribus librorum posita)
» ne cum collegis meis approbasse censear quod nullo tectorio in-
» crustari, nullo prætextu palliari potest, æquum judico ut osten-
» dam non tantum aliquo tectorio incrustari & prætextu palliari
» posse quod ait Borstius, sed etiam cum ratione defendi posse. Posse
» autem defendi quod dicit Borstius probo; quia cum vox naturæ
» varie accipiatur, & aliquando naturalem inclinationem notet, di-
» cam recte dixisse Borstium mulieres quasdam contra naturam id
» est contra naturalem inclinationem debuisse attonderi propter
» catarrhos, quoniam naturali inclinatione mulieres feruntur ad-
» demittẽdos capillos. Quamvis enim tonsura talis sit secundum in-
» clinationem naturæ laborantis, est tamen contra inclinationem
» naturæ prout per se consideratur, hoc est ut bene disposita. Simile
» habes in abscissione manus & pedis sphacelo laborantis. Nam cer-
» te talis abscissio est contra naturalem inclinationem ut absolute &
» secundum se consideratur: attamen non est contra inclinationem
» naturæ laborantis & perituræ nisi talis abscissio fiat. Quia natura
» inclinat ad conservationem sui. Ad hęc vir doctus inquit;

Resp. Quod in Poimenandro feci, idem feci in Borstio, id est integram ejus concionem denuo perlegi, ut viderem an uspiam naturam pro inclinatione naturali accipiat, & nihil tale apud ipsum inveni. Fatea-

tur

tur ergo vir doctus curam hanc meve palliativam esse, neque Borstium ea secundum principia Borstiana defendi, quod opinor animadvertens addit solutionem alteram. Resp. 1. Ingenue facit Vir doctus quod non negat se in disputatione monitum de sententia mea fuisse, seque id respõdisse quod commemoratum in repetitione theseos quam hic defendo lector inveniet. sed satius fuisset, si monitus acquievisset. Nam humanum non est alicui invito sententiam obtrudere velle, quam noris ejus non esse. 2. quam diligenter vir doctus denuo evolverit Poimenandrum, ad præfationem Appendicis ostensum fuit: quod autem ipsi evenit in Poimenandro etiam in Borstio evenire potuit. 3. Borstius ait pag. 59. bestias sequi ordinem naturæ, at ordo ille naturæ quem sequuntur, est inclinatio naturalis, ut ex iis quæ apud ipsum sequuntur, patet. 4. etiamsi nusquam præterea vocem *naturæ* significatu *naturalis inclinationis* usurpasset Borstius, an inde sequeretur eum, vocem illam loco de quo nunc agimus eo sensu non usurpasse? minime gentium. Nam ut id assequatur vir doctus ita ipsi argumentandum erit: qua significatione Borstius vocem naturæ nusquam in aliis locis concionis suæ accepit, ea etiam non accipit vocem naturæ loco de quo quæstio est. At vocem naturę nusquam in aliis locis concionis suæ accepit pro inclinatione naturali. Ergo. Sed si hoc argumentum valet, periit tota causa viri docti. Vult enim φύσιν apud Apostolum significare sexum. disp. 3. de coma thes. 11. cum tamen nusquam in tota scriptura accipiatur significatione *sexus*. Nos monuit vir doctus cum defēderet explicationem suam, vocis φύσεως, in scripturis esse quędam ἅπαξ λεγόμενα: quidni ergo fieri potuerit, ut & Borstius (etiamsi nullo alio loco cōcionis suæ voce naturæ hac significatione usus fuisset) semel tantum vocem naturæ hoc sensu usurparit? Liquet ergo hanc curam minime esse palliativam, sed talem quâ factum plus quam fieri posse vir doctus putaverat. adeo ut mihi fatendum non sit quod fatendum ait, sed ipsi confitendum quod responsioni meę satisfacere non potuerit. Nam præter ea quæ jam refutata sunt, nihil affert. Pergamus ad secundam responsionem quam dedi ad absurdum quod vir doctus Borstio objecit.

„ Sic ergo thesi eadem loquor. Deinde etiamsi per naturam intel-
„ ligere liberet, legem naturę (quod tamen non puto Borstium daturum)

» turum) adhuc supereſt aliquid ad defenſionem Borſtii. Poſſem e-
» nim dicere tripliciter poſſe dici aliquid eſſe contra legem naturæ;
» vel materialiter tantum, vel formaliter tantum, vel materialiter
» & formaliter. Materialiter peccat contra legem naturæ qui la-
» borans ignorantia invincibili, accedit ad aliam quam ad ſuam con-
» jugem; formaliter qui accedens ad ſuam, putans ſe accedere ad a-
» lienam uxorem. Materialiter & formaliter qui ad alterius conju-
» gem accedit, quam talem eſſe novit: ſeque (lege ipſumque) pri-
» mo non ſecundo & tertio modo illud *contra naturam* accepiſſe.

Quid ad hæc vir doctus: *Videat & obſtupeſcat* inquit *mecum lector; quanti res periculi ſit, quovis pretio amicorum culpas præſtare velle. Nam ex hoc viri docti diſtinctione, verbis Borſtianis accommodata, ſequitur* DEBERE *nos peccare materialiter contra legem naturæ,* DEBERE *nos peccare ex ignorantia* DEBERE, *virum ignorantia invincibili laborantem accedere ad alienam conjugem.* Reſp. Ridicula eſt hęc paratragœdiatio? 1. Quia *culpas* clamat antequam Borſtium culpandum docuerit. 2. Quia ſe ipſum imprudenter jugulat & ipſum Chriſtum accuſat. Nam cum diſp. 1. theſ. 11. dixiſſet adverſarios ſuos docere *præceptum* de attondenda coma licitum eſſe *transgredi* propter neceſſitatem corporalem, & à me reſponſum fuiſſet quęſt. text. 1. p. 3. th. 6. tranſgreſſionem ſumi vel formaliter vel materialiter, eumque, ſi priore modo ſumeret vocem *tranſgreſſionis*, injuriam facere adverſariis, ſi ſecundo, catechreſtice loqui, ait libert. p. 67 *Quod me catachreſtice ait loqui, ſi transgreſſionem tantum materialiter accipiam, primo me non tangit, quia hoc non facio, ut patuit. Deinde non major in eo eſſet catachreſis*, IMO ALIQUANTO MINOR QUAM EST IN VERBIS CHRISTI Matth. 12. 5. *Sabbatis Sacerdotes in templo Sabbatum profanare & inculpabiles ſunt.* Hæc autem ſi bene perpendantur, inveniemus virum doctum ſtatuere Chriſtum (cujus exemplo, ſi voluiſſet, ſe tueri potuiſſe ait) durius locutum fuiſſe quam ſi dixiſſet ſacerdotes *materialiter tranſgreſſos eſſe legem Dei de ſanctificatione Sabbathi*; id eſt quam ſi ſignificaſſet eos *materialiter peccaſſe*, (tranſgredi enim præceptum Dei idem eſt quod *peccare*) adeoque juxta eum docuiſſe, (quoniam præceptum erat ut ita profanarent Sabbathum) illos *materialiter peccare* DEBUISSE. 3. Quod ſi peccatum quod materialiter tantum peccatum

tum est, veri nominis peccatum esset, paratragœdiatio hæc locum habere posset, at vero cum æquivoce tantum peccatum sit, ea plane in fumos abit. Peccatum enim quod materialiter tantum peccatum est, notat actionem talem, quæ si sub alio formali fieret, aut aliis circumstantiis vestita esset, peccatum foret; peccatum autem non est, quia formalitas illa aut circumstantię per quas in esse peccati constitueretur si adessent, desunt. Catechrestícæ locutiones à propriis distinguendæ sunt, & inofficiosum est *in verbis vim facere*. 4. Ne porro vir doctus clamet *videat & obstupescat lector*, rogabo ipsum an non censeat judicem, auditis & diligentissime examinatis testibus quempiam homicidii aut alterius criminis capitalis accusantibus, iisque constanter per omnia consentire deprehensis, reoque qui tamen insons sit, sive tædio vitæ sive aliam ob causam crimen à se perpetratum fatente, nec ullo indicio in contrarium sese prodente (quod fieri posse non diffitebitur) an inquam non censeat judicem talem in reum illum animadvertere DEBERE? quod si affirmet DEBERE; dicet ipsum *materialiter* PECCARE DEBERE; id est eum qui crimen nõ admisit debere plectere: quod formaliter peccatum foret, si sciret innocẽtem esse aut aliquid omisisset, quo innocentia rei innotescere potuisset. Si negat, sequetur 1. præcepisse Deum judicibus ut facerẽt, quod facere non DEBENT. Nam Deut. 19. 15. jubet Deus ut judices ad testimonium duorum aut trium testium, præcedente diligenti examine, accusatum damnent, ne quidem mentione facta confessionis ipsius rei. 2. judicia nulla quæ solis testibus & confessione rei nituntur, locum habere *debere*. Quia fieri posset, ut testimonium testium & confessio rei falsa forent. Possem hic etiam quærere judicium viri docti de facto Bertrandæ Rolsæ quæ uxor erat Martini Guerra impostorem marito simillimum admittentis ut refert Thuanus histor. lib. 26. & Paponus volumine quod vocat Recueil D'arrests &c. lib. 22. Tit. 9. sed quandoquidem quæ præcesserre sufficiunt, & quæstio est de nomine, ipsum amplius non urgebo. 4. Non invenit apud me vir doctus & *nos* DEBERE *peccare ex ignorantia*. Hoc de suo mihi largitur, ut etiam quod sequitur DEBERE *virum ignorantia invincibili laborantem accedere ad alienam*. habeat sibi quod suum est, *nimium liberales non amo*. Pergit: *Atque*

que hic, inquit, *duo satis mirari non possum. 1. quod ea voluerit afferre quæ nihil ad rem facerent. 2. quæ nemo theologus si attente legerit, approbare possit.* Resp. sapientis non est sine causa mirari. Videamus ergo an vir doctus causas tantæ sunt admirationis habeat. *Nam* inquit, *ut de primo loquar, quæro ex viro docto per quam rimam, in quæstionem de tonsura muliebri, intulerit* invincibilem ignorantiam? *Nam & apud Borstium & apud ipsum causas illius tonsuræ invenio psoram, catarrhum, at* invincibilem ignorantiam nusquam invenio, *nec quid illi cum psora & catarrho commune sit, divinare possum.* Resp. 1. An divinare non potes per quam rimam ingressa sit invincibilis ignorantia, cum ipse mihi maximam portam aperueris disp. 6. thes. nona? Doleo mihi rem esse cum adversario tam oblivioso, in iis quæ ipsi obsunt, in aliis tamen quæ sibi prodesse putat, satis memori. An non mihi per absurdum quod impingebas Borstio occasionem dedisti de peccato quod materialiter tantum tale est, ut & de eo quod materialiter & formaliter tale est, dicendi? An non ut lector intelligeret, quid sit peccatum quod materialiter tantum peccatum est, exemplo mihi illustrandum fuit? An denique nisi *ignorantia invincibilis* ingressa fuisset, exemplum illud peccati materialis, tibi aut ulli alii placere potuisset? Desine ergo mirari, nequis dicat, te sine causa *satis non posse mirari.* 2. Quod de Borstio & me ais ridiculum est. Quoniam exemplum quod affero, non recensetur inter causas tonsuræ muliebris, sed adducitur tantum ad explicationem peccati quod materialiter tantum peccatum est. Pergit, *ut de secundo.* 1. *de re ipsa*, ait, *agam: pontificii dicunt invincibilem ignorantiam excusare à peccato v. Gabr. Biel serm. 1. in cæna domini, id sequuntur Remonstrantes Apol. p.* 280. *In cæteris inquiunt, peccatis sola ignorantia excusat. In hæresi autem etiam plusculum indulgent, & p.* 289. *versa: verbum Dei inquiunt, etiamsi vim obligandi ex se & per se habeat, actu tamen non obligat quenquam, nisi intellectum, & sic prout* (NOTA) *adhibita omni possibili diligentia & prudentia intelligendum esse creditur. hæc illi, quæ miror si ulli orthodoxo arrideant.* Resp. 1. Quod si distinguere potuisset aut voluisset inter ignorantiam *juris* & *facti* invincibilem, periisset ipsi hæc rhetoricatio. Locutus sum ego de ignorantia non juris sed facti, & dixi, virum, quilaborans ignorantia invincibili, accedit ad aliam quam ad

suam conjugem materialiter contra legem naturæ peccare. Nam mox addo, eum qui accedit ad suam, quam putat esse alienam uxorem formaliter, eum vero qui accedit ad alterius conjugem quam novit esse talem materialiter & formaliter peccare. Nunc addo, explicationis ergo, me loqui de tali ignorātia facti quæ causam dat actui & plane involuntaria est. Iam autē talem ignorātiam facti aliud quam materiale peccatum non constituere, ait Amesius l. 1. c. 4. ubi sic inquit, *Conscientiæ error qui est de facto. 1. de objecto vel materia circa quam actio debet versari, est vel involuntarius & inculpabilis, vel voluntarius & culpabilis. Si sit involuntarius & inculpabilis, tum conscientia æque obligat ac si non erraret, ad faciendum illud quod dictat, ut si quis rem aliquam suam esse bona fide judicet, cum sit aliena, conscientia dictante* POTEST ET DEBET (nota hęc vir docte) *eandem uti ut sua. Si quis bona fide judicet eum esse suum principem qui est tyrannus, vel eum esse magistratum legitimum, qui titulum illum falso sibi vendicat, obedientiam debitam* TENETUR *ipsi præstare. Exemplum etiam habemus in* IACOBO (iterum hoc nota vir doctiss.) ACCEDENTE AD LEAM NON SUAM, QUAM BONA FIDE PUTAVIT ESSE RAHELEM. Define ergo mirari vir docte si quæ dixi cui orthodoxo arrideant. Nam non expunges, puto, Amesium theologum præstantissimum ex numero orthodoxorum. Quod de te narras mihi non præjudicat. Sed ut videas etiam alios, præter Amesium, orthodoxos inveniri posse quibus quæ dixi arrideant, audi Rivetum qui Com. in Gen. c. 29. Exercit. 127. inquit: *Iacob autem hactenus à stupro & adulterio* PLANE *excusatur, qui affectu maritali* ALIAM *cognovit pro sua.* Martyr quem vir doctus solidissimum (& merito quidem) Theologum vocat comm. in Gen. cap. 29. ita loquitur. *Neque existimes hic* ULLO PACTO *eum* (Iacobum) *peccasse, non suam cognoscendo: hujusmodi enim ignorantia est ejus generis ut* PRORSUS *excuset.* Quid ais vir docte? An adhuc miraris si hęc mea cuipam orthodoxo arrideant? 2. Quod ait de pontificiis (de quibus Bielem videri vult) & Remonstrantibus ad rem non facit. Nam pontificios quod attinet aut loquuntur de ignorantia juris invincibili aut facti itidem invincibili. Si de priore loquuntur me non tangunt. Si de posteriori recte sentiunt. Neque enim dicet, opinor, vir doctus omnia quæ Pontificii do-

cii docent, esse mala. Nam & Deum esse docent, & tres in Deitate personas, quod etiam credit vir doctus. Quantum ad Remonstrantes; loquuntur ii de ignorantia juris, adeoque frustra eos adducit, ut sententiam meam, quæ etiam est præstantissimorum inter Reformatos Theologorum, ut paulo ante ostensum est, odiosam reddat. Ego enim loquor de ignorantia facti invincibili & involuntaria. Bielis (quod omiseram) sermones de quibus loquitur, mihi non sunt ad manum. Miror tamen ipsum potius ad Bielis sermones nos amandare, ut noscamus quæ pontificiorum sit sententia de ignorantia invincibili, quam ad Thomam qui ea de re agit 1.2.quæst.76. Thomas enim longe pluris est pontificiis quam multi Bieles. Aut cum citare voluerit Bielem, nos non miserit ad ea quæ habet in 2.Sent.distinct.22.qu.2. ubi ex professo ea de re agit. Progreditur: *Itaque ad distinctionem viri docti dico* 1. *peccatum quod ex* ignorantia fit, *non materialiter solum, sed & formaliter peccatum esse, quia formale peccati consistit in ἀνομία, sive eam nos sciamus sive non.* Resp. 1. Peccatum quod ex invincibili & involuntaria ignorantia facti est, materiale tantum peccatum est, nec in eo est ἀνομία nisi æquivoce. de peccato ex ignorantia juris non loquor. 2. Si verum est quod vir doctus ait & mihi qui ago de ignoranti facti invincibili & involuntaria, contradicit, multos expientissimis, si ipsi fidem habeant, eo adducet ut non ausint bonis paternis uti. Ratio est quia sæpe ignorant, an omnia justo titulo acquisita sint, & peccato materiali non caret possidere bona injuste parta, utut id conjunctum sit cum ignorantia invincibili. Dicet forte vir doctus se suasurum talibus ut quanta possint diligentia, inquirant quomodo illa sint acquisita. Sed supponitur quod talis ignorantia sit invincibilis. Nihil ergo restat, quam ut dicat tales abdicare debere omnes facultates suas, ne peccatum materiale & formale committant, aut ut mecum fateatur, licet forte in possessione talium sit peccatum materiale, non esse tamen peccatum formale, quia laborant ignorantia invincibili & involuntaria, si modo parati sint, si ostendatur quippiam esse quod justo titulo non possideant, dominis id restituere. Addit 2. *nec quippiam obstare, quod ea ignorantia homini sit invincibilis, id enim procedit ex peccato, ac proinde jus Dei imminuere non potest.* Resp. 1. Patet hinc virum

rum doctum agere de ignorantia juris cum ego loquar de ignorantia facti, nisi se absurde argumentatum fateri velit, nimirum hoc modo. Quidquid procedit ex peccato peccatum est. Ignorātia invincibilis procedit ex peccato. Ergo. subsumam enim ego: cœcitas, surditas, & mors ipsa corporalis procedunt ex peccato. Ergo cœcitas, & mors corporalis peccatum sunt. Quis hæc admittat, nisi omni ratione destitutus sit? Nam sequetur hinc me peccare, quando quispiam etiam mihi invito, oculos eruit, aut efficit per vim ut surdus evadā, & deniq; peccasse martyres eo ipso quod morerentur, vi ab hostibus Dei ipsis illata. Pergit; *Vidit hoc quasi per nebulam Gerson. cum ignorantiam invincibilem aliā incidere ait sine culpa, aliam ex culpa, ut quando homo præstitit causam suæ ignorantiæ, talem autē juxta quosdam excusare non à toto; sed bene à tanto (videlicet,* verba sunt viri docti *in quantū peccatum ex ea ortum non est contra conscientiam, ideoq; minus grave)* p. 2. *de nat. & qualit. consci.* Resp. mirum est virum doctum mihi Gersonem objicere ausum esse ut qui deprehenditur tractatu dicto *utrum conscientia errans seu erronea excuset,* plane pro me & contra virum doctum sententiam ferre. Postquam enim disseruisset Gerson de ignorantia antecedente, concomitante & consequente, tandem ait? *Quod si autem ratio & conscientia prædicti hominis in hoc errent: quod aliquam mulierem quam loco suæ uxoris de nocte submissam ignorat: credat esse uxorem suam, & illa muliere debitum reposcente velit eam cognoscere: excusatur ejus voluntas ut non sit mala. Quia error iste ex ignorantia alicujus circumstantiæ provenit, qui involuntarium causat & sic excusat.* Et postea. *Ignorantia facti dupliciter contingere potest. Aut scil. adhibita diligentia: & hæc excusat à toto: quod exponatur ut supra. & exemplificat* (Petrus de Tharantasia quem sequitur.) *de concubitu Iacob cum Lya primogenita filia Laban, quem concubitum talis iguorantia excusavit.* 2. Locus Gersonis quem mihi opponit agit de ignorantia juris. adeoque ad propositum non pertinet. agere autem de ignorantia juris patet. Nam ignorantiam juris distinguit in vincibilē & invincibilem. vincibilem rursus in affectatam & simplicem. Invincibilem, in innatam & incidentem, innatam omnino excusare dicit. Incidentem rursus duplicem facit, unam quę sine culpa incidit, ut quando homo dando operam rei licitæ in furorem incidit, eamque dicit excusa-

cusare à toto. Alteram quę ex culpa incidit, ut quando furiosus per suam culpam incidit in furiam (sic ille loquitur) & ex vi illius furiæ occidit hominem. Dicitque circa hanc duplicem esse opinionem: quosdam enim sentire talem ignorantiam excusare à toto, alios non à toto sed à tanto. Prioremq; sententiam probaliorē esse dicit. Adeoq; & hic contra virum doctum determinat. Necessum est itaque ut vir doctus aut Gersonem non legerit, sed alibi citatum repererit: aut ut admodum negligenter legerit. Nam mihi persuadere non possum quamvis mihi *dissimulationem* & quidem *callidam* objiciat, eum data opera lectorem fallere voluisse. Pergit. 3. *si verum esset quod aserit vir doctus, sequeretur peccatum originale in infantibus peccatum non esse. Nam* invincibili *ejus ignorantia in illa ætate laborant.* Resp. 1. Quandoquidem vir doctus approbavit doctrinam Gersonis de ignorantia invincibili, sequitur eum hic contra se ipsum disputare & evertere quod prius adstruxerat. 2. Ignorantia illa peccati originis pertinet ad ignorantiam juris, nos autem loquimur de ignorantia facti. Ergo hæc objectio ut alibi loquitur *præter casam fugit.* 3. Omnis ignorantia peccaminosa (non ægre ferret vir doctus me hoc termino uti) in infantibus *vincibilis* fuit in Adamo, principio omnium nostrûm non tantum naturali sed etiam morali. Pergit. 4. *quidquid non fit ex fide peccatum est.* Rom. 14. 23. *& quidem formaliter. Quod autem fit ex invincibili ignorantia, id ex fide esse non potest. Est ergo formaliter peccatum.* Resp. 1. Si recte argumentatur vir doctus etiam hoc argumentum ipsi agnoscendum est. Quidquid non sit ex fide peccatum est, & quidem formaliter. Atqui oratio pro absentibus non fit ex fide. Ergo peccatum est. Probatur minor, quia ignoramus utrum vivant nec ne; & vir doctus credit pro mortuis orare illicitum esse. Item & hoc quidquid non fide peccatum est, & quidem formaliter. At infiniti possident bona à parentibus relicta aut testamento legata quæ *ignorantia invincibili* ignorant an juste parta sint, & sępe male parta sunt. Ergo possessio talium est peccatum & quidem formaliter. 2. *directe:* ignorantia invincibilis est vel juris vel facti. Quod si de priori loquatur, committitur ignoratio elenchi. non enim loquor de ignorantia juris sed facti. Si de posteriori, negatur minor, quam nunquam probabit vir doctus. Pergit. *Ex-*

voces

rores, inquit David, quis intelligit ? ab occultis meis absolve me. Psal. 19.13. *& in lege erant sacrificia pro* ignorantiis. *frustra, si qui ignorans peccat, quod* DEBET *facit.* Respondeo; gemino argumento hic quod intendit se assecuturum sperat. Primum tale est. Qui dicit errores quis intelligat ? & petit absolutionem ab occultis, is docet quod fit ex ignorantia invincibili esse peccatum, & quidem formaliter. Sed David &c. Ergo. Alterum, pro quo sacrificia offerri debuere, id est peccatum & quidem formaliter. At pro ignorantiis sacrificia offerri debuere. Ergo. Ad primum. Major falsa est si intelligatur de ignorantia invincibili & involuntaria facti. Si de ignorantia invincibili juris, me nō tangit. Ad alterum: Major etiam falsa est. Nam etiam sacrificia offerenda erant pro polluto Naziræatu per casum inopinatum & inevitabilem Num. 6. vers. 9. 11. Neque tamen dicet, opinor vir doctus, pollutionem talem & inopinatam inevitabilem & involuntariam, non tantum materialiter sed etiam formaliter peccatum fuisse. Dicitur quidem vs. 11. quod is cujus Naziræatus ita polluereturr, peccaret circa illud cadaver, quo polluebatur, sed quomodo vox peccandi ibi sumenda sit, optime explicant Belgici nostri interpretes ad locum illum. Notāt enim peccatum illud notare *ceremonialem impuritatem* natam ex cōtactu passivo cadaveris, quāvis is ei qui polluebatur obtigisset, citra conscientiam & voluntatē ejus. Deinde etiam pro gonorrhæa diuturna, & fluxu mensium diuturno, sacrificia offerenda erant. Lev. 15.14.29. neque tamen ut opinor vir doctus dicet gonorrhæam diuturnam, fluxumque mensium diu durantem esse peccatum. Minorem nunc prętereo. Addit, *Quærat aliquis, ad quid ergo teneatur, qui quod malum est bonum esse putarat ? Si enim omittit, conscientiam licet errantem lædit, si facit quod malum est facit. Dicam, eum teneri erroxem deponere, & sic ab eo quod malum est abstinere. si regeris eum hoc non posse, jam id solutum habes. §.2.* Resp. 1. Perperam vir doctus quod pertinet ad ignorantiam juris, ad ignorantiam facti trahit. 2. Si verum est quod ait, etiam in ignorantia facti de qua loquor, Deus ipse judices in necessitatem peccandi conjecit, dum præcepit ut judicent secundum juramenta & testimonia quæ aliquando ita falsa sunt, ut sciri non possit quod falsa sint. Exod. 22. Deut. 19. Pergit; 6. *Servus qui non novit voluntatem domini*

mini & fecit digna plagis, cædetur plagis paucis. Luc. 12. 48. *talis ergo non fecit quod* DEBUIT. Tale est argumentum. Qui cædetur paucis plagis is non fecit quod debuit. At servus qui non novit voluntatem Domini, & fecit digna plagis cædetur paucis. Ergo non fecit quod debuit. Resp. 1. Loquitur Christus de ignorantia juris. Qui non novit, inquit, voluntatem Domini. At nos loquimur de invincibili & involuntaria ignorantia facti. Quod si vir doctus contendat etiam voluntatem Domini esse ne laboremus ignorantia facti invincibili & involuntaria, negabimus id ipsi, dicemusque eum principium petere, & judicia politica quæ solis nituntur testimoniis aut juramentis (quæ falsa esse possunt) subvertere, & simul Deo obloqui Exod. 8. vers. 8. 10. 11. Deut. 19. vs. 15. *Sexcenta* inquit *possent ejusmodi proferri.* Resp. Concedo etiam sex mille ejusmodi proferri posse. Nihil enim facilius est quam proferre quę ad rhombum non faciunt. Concludit, *Inutile ergo est tectorium quod errori Borstiano obduxit vir doctus, nec, ut dicam quod sentio, ullum debilius adhibere potuisset.* Resp. An hęc viri docti gloriatio, judiciumque ejus de gemina mea solutione quam opposui absurdo quod Borstio impingit admittenda sint, lector ex dictis judicabit.

Progrederer nunc ad vindicias thesium mearum sequentium nisi vir doctus impetum meum sufflaminaret. Nam rursus quasi victor, ob aliquid quod à me omissum sit, perfusus gaudio exilit. Ait enim, *Et hæc quidem quantum ad pronunciatum Poimenandri de rasura comæ muliebris, quam contra* naturam & jus gentium *esse sancivit. Quod pronunciatum vir doctus (ut hoc obiter notem) quoad priorem tantum partem, quæ* naturam *spectat, conatus fuit defendere, alteram autem quæ* jus gentium *est omisit, atque ita ex semisse tantum clienti suo patrocinatus est.* Hæc enim talia sunt ut animadversionem mereantur. Ait ergo me omisisse quid dixit de *jure gentium.* At quomodo hoc dicere potest, quum refutaverim argumenta quæ adfert contra *jus naturæ* & *gentium?* utrumque enim iisdem argumentis subvertere conatur, aut subvertere velle videri vult. Nam Thes. sua 7. ait. *Ad secundum: Rasuram comæ muliebris legi naturæ & gentium repugnare falsum est.* 1. *Quia in aliquo casu non solum permissa sed etiam præcepta est* Deut. 21. 12. 2. *Quia ipsi adversarii eam concedunt*

dunt in casu necessitatis. Demat. Disp. 2. thes. 5. *puta psoræ, aut similis incommodi.* Disp. 2. Thes. 3. *in fine.* *At nulla talis necessitas legnaturæ præjudicare potest.* Thes. 8. *Quod si ob psoram legem naturæ violare licet in re minima, quid obstat quo minus ob lepram aut pestem, aut denique mortis metum eam licet violare in rebus maximis? hic sane revocandum erat in memoriam dictum Christi* Matth. 5. 19. *Quisquis solverit unum ex mandatis hisce minimis &c. Item omne peccatum etiam minimum, atque ita omnem transgressionem legis naturæ mereri mortem æternam.* At non nominavi, dicet, jus gentium. Resp. 1. Quid opus erat ut nominarem; cum dicerem ea ex quibus placita viri docti de *jure gentium* everterentur. 2. Nequidem vir doctus, in argumentis quæ adfert, meminit, juris gentium. In priori nec juris naturæ nec juris gentium. In secundo tantum juris naturæ. 3. Argumenta hæc non valent contra jus gentium. Nam alioqui ipsi dicendum est, nihil posse dici repugnare juri gentium, quod in aliquo casu non solum permissum, sed etiam præceptum est? Item nihil repugnare juri gentium, quod conceditur in casu necessitatis corporalis esse licitum. At hęc falsissima sunt. Nam quantum ad primum; jure gentium feræ, aves, quamdiu captę non sunt, nullius censentur, adeo ut cedant secundum jus illud in potestatem primi capientis. Nec tamen puto damnabit vir doctus Germaniæ populos qui res hasce & ejusmodi alias principibus adjudicarunt. Vnde nec negabit pręceptum esse à Deo, posita tali adjudicatione, ut hęc à Germanię populis relinquantur principibus Matth. 22. vs. 21. *date Cæsari quæ Cæsaris sunt.* Vides ergo vir docte quod alias per jus gentium non licet, nimirum ut quis sibi vindicet ἀδεσποτα talia, id licitum evadere conventione facta, & posita tali conventione, id à Deo ipso sanciri. Quantum ad secundum: id multo minus stringit. Nam jure gentium uti jam dictum est feræ, aves, quamdiu captæ non sunt nullius sunt: & tamen ob casum necessitatis corporalis, id est ob sustentationem dignitatis principum suorum, Germaniæ populi, res ejusmodi illis adjudicarunt, ut sibi solis jus in illas vendicare possint. Vides ergo vir docte melius te facturum fuisse, si, quod ais de *jure gentium* à me omisso, prętermisses. Quod narras hic & alibi de cliente meo Poimenandro, cui ex semisse tantum patrocinatus sim ut amarulen-

rulentum sic etiam ridiculum est. Nam nusquam ego me obligavi, me, eum adversus omnia quæ ipsi sive vere sive falso tribuis, omnesque tuas sive ratiocinationes sive cavillationes defensurum esse. Sufficit mihi ostendere in pluribus te ipsi injuriam facere, aut male ratiocinari, ut in reliquis (quæ tamen pauca supereſſe puto) lector tibi asserenti non temere crederet, & argumenta tua cum judicio expenderet. Hic tamen me non tam Poimenandro, quam veritati non ex SEMISSE sed ex ASSE patrocinatum esse, ut existimo videbis, aut si tu non videas lector animadvertet.

„ Thesis mea 7. hæc erat. Secundo statuo rasuram & tonsuram „ capillorum muliebrium partialem præsertim ubi notabilis est, & „ nulla necessitas est quæ eam postulet, mulieri esse illicitam. Pro„ batur hæc assertio iisdem fere argumentis quibus ostendimus rasu„ ram & tonsuram comarum muliebrium totalem quam nulla ne„ cessitas exigit, esse illicitam.

„ Thesis vero 8. ita sonat. Tertio sentio peccare mulieres illas „ quæ ut pulchriores & ornatiores appareant inter nostrates partem „ aliquam capillorum anteriorum tondere solitę sunt. Nam. 1. Pro„ nunciat Apostolus mulieri turpe esse radi vel tonderi; neque in„ ter magis & minus distinguit. 2. Pronunciat Apostolus mulieri „ decori esse ἐαν νομῷ idque eo fine ut probet decorum non esse si o„ ret sine velamine adscititio. Si autem decorum est ἐαν νομῷ, cer„ te dici nequit citra ullam necessitatem licitum id quod à mulieri„ bus talibus factitatur. 3. Pronunciat Apostolus comam pro vela„ mine esse datam: quantum ergo hæ de coma sua auferunt, tantum „ de velamine suo demere videntur. 4. Turpe est novitatibus stude„ re & à patriis moribus descisсere, videlicet ubi liciti sunt. At hoc „ faciunt eę mulieres. Nam mos hic plane inter nostros novitius est „ & aliunde invectus. 5. Comminatur Deus gravissime Zeph. 1. vs. 8. „ veste peregrina utentibus etiam magnatibus: quid ergo speran„ dum iis, quæ non tantum mores exterorum imitantur, sed etiam „ amplectuntur id quod forsan à meretricibus ad finem illicitum „ primo inventum fuit. Notum enim est capillos muliebres ita de„ tonsos *garsettes* vocari. Vnde autem hoc nomen fluxerit vix ulli „ obscurum esse potest. 6. Tonsura talis actus otiosus, atque adeo „ illicitus est. 7. Grave scandalum mulieres illæ si Christum profes-

»sæ sunt prębent. 8. Pugnat ille mos cum simplicitate Christiana »1. Timot. 2. 9. 1. Pet. 3. 3. 9. Iesa. 3. ejusmodi vanitatibus gravem pœ»nam comminatur Deus. Quęritur hic utrum attonsio talis coma»rum muliebrium de qua disputatur sit contra jus gentium nec ne? »Negat hoc auctor disputationum de coma disp. 6. Thes. x. idque »propter hanc rationem, quia videlicet credibile non est gentes in »legibus condendis circa extremitates capillorum occupatas fuisse. »Sed ratio hęc valida non est. Quia non repugnat juris gentium »aliquid esse (præsertim si jus gentium notitione juris consultorum »accipias) & legem de eo conditam non esse. Nam ratio quæ facit »ut aliquid sit juris gentium non est latio legis; sed dictamen rectæ »rationis id imperantis.

Vir doctus antequam respondeat, ait, *veniamus nunc ad consequentiam quam inde infert Poimenander quæ hæc est: non licere mulieri à coma dependula non nihil aliquando demere. Adversus hanc consequentiam* 1. *negavi amputationem extremitatum in parte aliqua comæ esse idem quod rasuram.* 2. *aut gentes in legibus condendis circa extremitates capillorum occupatas fuisse. Itaque nihil concludere Poimenandrum pro lege naturæ aut gentium etiam hac in parte.* Resp. 1. Quis concessit viro docto ut veniret ad consequentiam illam de qua loquitur. Examinanda ipsi fuerat thesis mea. Prima, septima atque octava quæ tres distinctas quæstiones continent, nec nituntur effato aliquo Poimenandri de jure naturæ, ut ad consequentiam, de qua loquitur venire debuerit aut potuerit. Consultum sibi duxit hanc viam ingredi, ut evaderet necessitatem respondendi ad argumenta quæ thes. 2. attuli, ut quibus thesis septima illa nititur. Deinde etiam ut occasionem captaret cavillandi quod amputationem extremitatum capillorum muliebrium, rasuram vocem 3. ut argumenta quibus thes. 8. utor ad probandum tonsuram de qua ibi loquor esse peccatum, aliquo cum colore declinare posset. 2. si consequentiam Poimenandri recte proponere ipsi libuisset, non ita proposuisset illam, ut facit, sed etiam *garsettarum* quarum meminit Poimenander pag. 55. mentionem feciisset, ut lector judicare posset de qua re disputatio esset. At hoc non fecit. Nimirum, ut arbitror, ne videretur vanitatibus mundi patrocinari, quas Synodi nostræ severe damnant. 3. Negasti amputationem extre-

tremitatum in parte aliqua comæ muliebris idem esse quod rasuram, sed id non invenio affirmatum à Poim. iis locis quę indicas th. tua. 3. alia si habuisses ea attulisses ut thesi tuæ decimæ locus esset, & dicere posses, *quod ad alteram partem attinet amputationem extremitatum in parte aliqua comæ muliebris idem esse quod* RASURAM, *& jure gentium vetitam esse, nemini, qui vel mimum sensus communis habet facile persuadebitur? quis enim non intelligit quid sit rasura?* Præterii hæc cum theses meas scriberem, quia quid ipse sentirem, nõ quid Poimenander, de usu comę muliebris exponẽdum ducebam. Nunc autem quia rursus tua proponis, etiam hic monendum duxi lectorem ne se à te abripi patiatur, donec quod tribuis Poim. probes. 4. de altera tuę negationis parte, postea videbimus.

Hisce præmissis ait: *Hic duo video opponi à viro docto.* 1. *Amputationem alicujus particulæ capillorum muliebrium esse rasuram sive tonsuram partialem, quæ æque ac totalis prohibita sit, cum Apostolus agens de rasura seu tonsura muliebri inter magis & minus non distinguat, v. ejus Thes.* 1. 7. 8. *Resp.* 1. *amputationem extremitatis capillorum esse rasuram partialem, non dicendum viro docto erat sed demonstrandum. Quis enim unquam fando audivit vocem radendi, in illo significatu? qui si admittatur, jam omnes comati hodierni inter rasos ascribentur, nemo enim eorum est, qui non ab extremitatibus capillorum aliquid demit. Quis nescit* τὸ ξέω & ξύω lævigandi & complanandi *significationem habere? quæ non datur in capite humano, nisi pilus tollatur usque ad vivam cutim. narrat Sueton. Caligula Regulos quosdam barbam posuisse, & uxorum capita rasisse, ad indicium maximi luctus. Putatne vir doctus hoc factum, amputando extremitates capillorum?* Resp. 1. dubito utrum hæc risu an ira magis digna sint. Nam ubi quæso dico vir docte amputationem alicujus particulæ capillorum esse rasuram sive tonsuram partialem? Vim mihi fieri à viro docto videbit lector si theses meas quas ipse citat perlegerit. Thesi 1. quæritur utrum mulieribus permissum sit citra necessitatem capillos, suos radere vel tondere? quod thesi 2. negatur. Thes. 7. negatur rasuram, & tonsuram partialem capillorum muliebrium esse licitam, remittiturque lector ad argumenta thes. 2. allata. Thes. 8. agitur de tonsura capillorum anteriorum à mulieribus quibusdam instituta, nusquam autem ullo modo dicitur quod mihi affingit &

tamen (quod notabit lector) ea quibus me id ſtatuere ait, ſcribit alio charactere ac ſi verba mea recitaret, quod non facit. Exhibui theſes illas paulo ante, legat eas lector ſi otium ſit, & judicet quam vere vir doctus hęc ſcripſerit, & an mihi non ſit juſta cauſa cum ipſo expoſtulandi. Supervacanea ergo ſunt, quæ hic de diſcrimine tonſuræ & raſuræ affert. At ait quod me ſibi opponam, nimirum, ut arbitror, neganti *amputationem extremitatum in parte aliqua comæ idem eſſe quod raſuram.* At unde id habet vir doctus? certe ſomniat quod vult. Nec vola nec veſtigium eſt in theſibus iſtis unde id vel perſpicaciſſimo liquere poſſit. Lector ſi mihi non credis, ipſe tuis oculis utere. Et vide num vere mihi vir doctus tribuat id de quo quæſtio eſt. Nolebat Alexander Magnus furari victoriam; ſed vir doctus eam quovis pretio quærit, quia ad triumphum anhelat. 2. Quamvis autem non dicam quod me dicere ait, nec credam Poimenandrum aſſerere, quod ipſi tribuit, libet tamen exercitii cauſa quærere an exiſtimet vir doctus rationem quam ab etymologia petit, eſſe ſatis firmam ut probet, τὸ ξυρᾶν notare ſectionem capilli uſque ad vivam cutim? ratio dubitandi eſt 1. Quia neſcio an probari poſſit τὸ ξυρᾶν quo vocabulo (nota) utitur Apoſtolus 1. Cor, 11. à ξέω vel ξύω derivari. ſcio quidem lexicographos vocem ξυρᾶν inde deductam velle: ſed oſtendat nobis vir doctus quo argumento id probent, ut ejus opera proficiamus. 2. Quia licet concederem lexicographos recte ſentire, ipſi probandum erit argumenta ab etymologia petita ſemper eſſe firma, ut obtineat quod vult. Etymologiam Galenus ἀλάζονα μάρτυρα vocavit, ut retuli ex Hadriano Iunio diſp. text. ad 1. Cor. 11. v. 14. 15. parte 3. theſ. nona. 2. Quærere libet an putet ſeſe probe ſuis partibus functum quod producat unum Suetonium & quidem latine loquentem, ut probet τὸ ξυρᾶν (nam hoc ipſi probandum fuit) ſemper ſignificare capillum uſque ad vivam cutim novacula tollere? Quod ſi ita cenſeat, adferat nobis argumentum quo id confirmet. 3. Quærere libet, quandoquidem adeo abſurdum judicat ſi quis diceret, (quod tamen non facio) amputationem extremitatum in parte comæ eſſe idem quod raſuram, an putet ſe ſufficienter talem refutare, dicendo theſ. x. *Quod ad alteram partem attinet, amputationem extremitatum in parte aliqua comæ muliebris, i-*

dem

dem esse quod rasuram (quod addit de jure gentium omitto quia ad propositum nostrum non facit) *nemini qui vel minimum sensus communis habet facile persuadebitur. Quis enim non intelligit quid sit rasura?* Quod si affirmet (ut id ipsi affirmandum est si sibi constare velit.) quærā an ergo absurde locutus sit Apostolus qui dixit, 1. Cor. 11. 5. fœminam orantem vel prophetantem non velato capite esse ἐν τῷ αὐτὸ τῇ ἐξυρημένῃ? Si neget, ut negare debet nisi in Apostolum injurius esse velit, petam quomodo id sine absurditate dicere potuerit Apostolus? Nam ut nemini qui vel minimum sensus cōmunis habet facile persuadebitur id de quo vir doctus loquitur, quia nemo non intelligit quid sit rasura, sic etiam nemini facile persuadebitur qui vel minimum sensus communis habet idem esse detectam & rasam esse. Quia omnes norunt quid sit rasura. Dicet forte (sicuti dicendum est) Apostolum non loqui de identitate physica, sed morali & comparata, sed tum petam ab ipso ne existimet adversarios (si tamen ullus est qui ita locutus sit, quod non credo) ita inconsideratos esse ut velint amputationem de qua loquitur physice esse idem quod rasuram: sed potius statuat loqui de identitate morali & comparata, ad quam evertendam argumentum ipsius non valet. Non ægre ferret vir doctus hæc exercitii gratia à me disputata esse. Quia non tantum faciunt ad ostendendam debilitatem ratiocinationum ejus, verum etiam ad intelligentiam loci Apostolici quem paulo ante attigi.

Pergit. 2. *Ad tonsuram quod attinet quæ hic proprie ad rem facit, novi esse aliquam κομὴν quæ non fiat ἐν ξυρῷ sed Apostolum ita rigide illam mulieribus vetuisse, ut inter magis & minus nullo modo distingui, ne minimam quidem capilli extremitatem demi pateretur, ne ipse quidem vir doctus sibi serio persuasit. Quis enim credat (verba ejus sunt, disp. text. 1. thes. 6. Apostolum in re tantilla discrimen dedecoris posuisse?* Respondet hic vir doctus ad primam rationem determinationis meæ circa
» quęstionem tertiam quę erat. Tertio sentio peccare mulieres illas,
» quæ, ut pulchiores & ornatiores appareant, inter nostrates partem
» aliquam capillorum anteriorum tondere solitæ sunt. unde patet 1. ipsi dicendum non fuisse tonsuram hic *proprie ad rem facere*, sed solam ad rem facere. adeoque ipsum male miscuisse theses de rebus diversis agentes. 2. virum doctum debuisse verbis non suis sed meis

uti

uti, quod non facit. Nam ne videatur vanitati adversus quam disputo patrocinari, verbis meis omissis, ait: sed Apostolum ita rigide illam (tonsuram) mulieribus vetuisse, ut inter magis & minus NULLO MODO distingui, & ne MINIMAM QUIDEM CAPILLI EXTREMITATEM DEMI pateretur, ne ipse quidem vir doctus credit. Noverit sibi hic mecum esse rem non cum Poimenandro. Sed missis hisce respondeo non hic esse quærendum quid ego dixerim, aut sentiam, sed ipsi probandum esse Apostolum distinguere inter magis & minus ut dicere possit, (quod necessario debet, nam alioqui me non oppugnat) NON PECCARE MULIERES, QUÆ UT PULCHRIORES ET ORNATIORES APPAREANT, INTER NOSTRATES PARTEM ALIQUAM CAPILLORUM ANTERIORUM TONDERE SOLITÆ SUNT. At id non probat, nec potest. 2. Agnosco verba mea sed ea jam ante explicui, quod si probet explicationem meam, verbis meis hic uti non potest; sin minus eam evertat. 3. Quomodo hic vir doctus pro se verba mea adducere potuit, ut quę tantum non impietatis damnavit? Verba ipsius sunt Libert. pag. 156. *Neque absurdum est discrimen honesti ac turpis ubi de licito agitur poni in* re tantilla. *Nam* res tantilla 1. *exigua erat in qua Adamus peccavit, & tamen discrimen honesti ac turpis in eo tunc erat positum. Auctor sic ratiocinando imprudens incidit in pontificiorum peccatum veniale* propter parvitatem rei. *Imo largius peccat, nam quia* res tantilla est, *ideo in ea peccatum esse negat.* Certe quod si verba mea nunc pro se adducit, licet male intellecta, non tantum sibi contradicit, sed etiam se judice, incidit in omnia illa absurda quæ mihi objecit. Quod si dicat se ad hominem, quod ajunt argumentari, respondebo falsum id esse. 1. Quia natum est argumentum hoc ex verbis meis male intellectis. 2. Quia vir doctus se saltem mihi conjungit, adeoque ex sententia non tantum mea uti putat, sed etiam sua loquitur. Ait enim *Sed Apostolum ita rigide illam* (tonsuram) *mulieribus vetuisse, ut inter magis & minus nullo modo distingui, & ne minimam quidem capilli extremitatem demi pateretur,* NE IPSE QUIDEM VIR DOCTUS *sibi serio persuasit*; cum autem ait *ne ipse quidem vir doctus* significat, me id mihi non persuasisse serio, multo minus se sibi. Nec ullam rationem adfer-

re

re potuit, quare ipse id sibi non persuasisset, quam *parvitatem rei* .1. tonsuræ anteriorum capillorum de quibus loquor. 3. Quod si tantum argumentatus sit ad hominem, debet nobis responsionem directam, præsertim cum argumentum illud ad hominem pro meo non agnoscam. Allegare inconveniens non est solvere argumentum ut in scholis loquuntur. At responsionem directam non invenio. Quare argumentum meum firmis adhuc stat talis & inconcussum: *Quod addit*, ait, *hunc morē* esse novitium & aliunde invectum, *ac citat locū Zeph.1.8. de iis qui veste peregrina utuntur. Sciat nec novitatem nec vetustatem efficere posse ut quid juris naturæ vel sit vel non sit. Alioqui quod hodie novum est, & peccatum contra naturam, post annum v.g. vetus erit, & juri naturæ consentaneum. Quod quid est aliud quam ex jure naturæ cothurnum facere in quamvis partem versatilem? ita & habet de peregrinate. Quod enim nunc peregrinum est, post temporis aliquam moram evadit domesticum. & si nullo modo peregrina veste uti licet, quid sibi vult quod Poim. nostrates mulieres Anglicano more caput velare jubet?* Resp.1. Præterit hic vir doctus duo argumenta nimirum 2.&3. quæ proinde adhuc inconcussa stant. Quis non miretur queri virum doctum si quid præteream eorum quæ ipse contra Poim. affert, cum ipse jam toties deprehensus sit, mea præteriisse, quamvis ipse me refutandum sibi sumserit? 2. Mos de quo hic loquitur vir doctus, mos est mulierum tondendi anteriores capillos, ut pulchriores & ornatiores appareant. 3. *Per quam rimam* vir docte JUS NATURÆ IN HOC ARGUMENTUM ingressum est? Status enim quæstionis non est, an *contra jus naturæ* sit tonsura mulierum de qua loquor, sed an mulieres nostrates ea utentes peccent? Deinde ut in statu quæstionis non fit mentio juris naturæ, sic nec in argumento quod tibi convellendum ducis. Dicet forte Poim. se respicere. Sed sciat, sibi hic non esse rem cum Poim. sed mecum. Si mihi respondere vult, mea convellat, Poim. missum faciat. 4. Misere probat factum mulierum de quo agimus non esse cōtra legem naturæ, nimirum *quia mos qui nunc est novitius post annum erit vetus*, etiasi daremus factum istud mulierum, abstrahendo à *novitate* & *vetustate* esse adiaphorum. Quia si legitima est ipsius ratiocinatio; sequetur scandalum activum in rebus natura sua adiaphoris non esse contra legem naturæ, cum tamen lex na-

turæ doceat non esse occidendum, quod non tantum de occisione corporis sed etiam animę est intelligendum. Item proximum esse diligendum sicut nos ipsos. Distinguendum est inter materiam præcepti & præceptum ipsum. Materia præcepti in adiaphoris mutabilis est, at vero præceptum ipsum manet. Quocirca ut peccant contra legem naturæ qui novitios mores in corporis cultu externo, aut primi excogitant, aut à paucis invectos sequuntur in rebus natura sua *adiaphoris ex suppositione novitatis*, sic non peccant contra legem naturæ, ex *suppositione vetustatis* qui mores receptos servant. Quia illic est contemtus patrii moris saltem interpretativus, hic non. illic est species καινοδοξίας & superbiæ, hic non. illic datur scandalum, hic non. 5. Non fit ex jure naturæ cothurnus, sed materia juris naturæ in adiaphoris mutabilis statuitur. Quod negare nequit, nisi præter legem decalogi aliam legem, (quod Sociniani faciunt cum Remonstrantibus) comminiscatur. 6. Quæro ex viro docto an studium *novitatis talis* de quo loquimur, saltem non sit contra *legem modestiæ, prudentiæ spiritualis*, & *ædificationis proximi*? Nam hac de re silet. Quod si ait, habeo jam studium novitatis esse contra legem naturæ. Nam lex hæc *modestiæ* &c. aut pertinet ad præceptum aliquod secundę tabulę, aut non pertinet. si pertinet, sequitur esse legis naturæ. Nã omnia prȩcepta secundæ tabulæ sunt etiam legis naturę. Si non pertinet, jam præter legem decalogi etiam alia lex est. adeoq; lex decalogi perfecta non est, contra Ps. 19. v. 8. & contra communem sententiam ecclesiarum reformatarum: Si negat, approbat contemtum patriæ consuetudinis, speciem καινοδοξίας, scandalum infirmis objectum. Sibique ipsi contrarius est, ut qui nos docuit, *decori regulam esse morem*. Et vel ipsos politicos pontificios sibi habet contrarios. Instar omnium erit Tholos. de Repub. lib. 4. c. 11. Vides vir docte quo prolabaris, cum tamen de legibus disputaris? 7. Locus Zephaniæ quem adduxi apud me peculiare argumentum constituit, ideoque seorsim de eo agendum. Inquit ergo *Et si nullo modo peregrina veste uti licet, quid sibi vult, quod Poim. nostrates mulieres Anglico more caput velare jubet. Sane Angli nobis sunt peregrini. In loco Zephaniæ explicando immane quantum varient Hebræi. Afferam meam interpretationem ex iis quas notavit R. David Kimchi: sunt autem* (inquit) ver-

tente

tente ita viro docto, qui verba ipsius etiam hebraice recitat quæ brevitatis causa omitto) *qui interpretentur, eos homines qui seipsos ostentant Pharisæos & Hasidæos* (*separatos & sanctos*, sunt hęc verba viri docti) *ac induunt vestem peregrinam respectu vestitus totius populi, quia cum illo non convenit, idque ut per vestitum internoscantur, separati esse, cum tamen viæ illorum pravæ sint. Hæc explicatio* (*quæ sane contemnenda non est*) *statuit reprehendi apud Zephaniam ejusmodi genus singularitatis in vestitu, quod penitus abludit ab eo quod attulit vir doctus, imo ei pene* ἀλλόκοτον *opponitur.* Resp. 1. Ait Poim. sibi videri quod multæ insignes matronæ Anglicanæ velamen gerant quod sibi maxime probari significat, sed nusquam ait sibi probari ut pauculæ aliquæ, ut *pulchriores & ornatiores appareant*, patrio more relicto, nulla præcedente auctoritate publica, & lege vestiaria, illud assumant. Quamdiu autem id non dicit Poim. frustra est vir doctus. 2. Certe Kimchi quatuor enumerat interpretationes, an autem alii inter Iudæos alias præterea habeant, ut dicere possit *immane quantum varient Hebræi*, me latet. 3. Interpretatio quam ex Kimchio affert probabilis non est, nedum ut reliquis præferenda sit. Nam patet ex præcedentibus non agere prophetam de talibus qui sanctitatis opinionem quærunt. Non enim solent proceres, & filii regum, quibus eos qui induuntur vestitu peregrino conjungit propheta, vestitu sanctitatem mentiri. Agit ergo propheta de aulicis similibusque hominibus vanis, qui vestitu peregrino & à patriis moribus recedente, utebantur. 4. Vnde Bucerus, Calvinus, doctissimi & judiciosissimi viri, nec non ex pontificiis Cornelius à lapide, Menochius, & Tirinus inter suos magnæ auctoritatis, relicta illa expositione Kimchi quam vir doctus reliquis præfert, eam quam sequor amplectuntur. Adeo ut mihi periculum non sit ab illa interpretatione Kimchi, etiamsi non tantum *pene* sed etiam *plane* ἀλλόκοτον cum mea pugnaret. Pergit: *Verum age notetur studium novitatis & peregrinitatis tale quale ipse intelligit, id tamen rem ipsam in se & citra illam circumstantiam consideratam non reddit illicitam.* Resp. 1. Concedisne ergo vir docte studium *novitatis* & *peregrinitatis* esse illicitum? Si concedis cur non loqueris clare, ut te intelligamus? si non concedis quare id etiam non significas, ut te à Synodis nostratibus quæ damnant peregri-

nas vestium formas dissentire profitearis ? Concedere te interpretabor, donec nobis mentem tuam aperias ; & dicam, hoc posito, te nihil habere quod argumento meo opponas. Nam nec status quæstionis ut à me propositus fuit, nec argumentum quod impetit, *&* per se, aut per *accidens* ullam mentionem facit. 2. Solicite sibi cavit vir doctus, dum respondere videri vult ad locum Zephaniæ, à recitatione verborum quibus rationem meam quintam propono. Videat ea lector, ut intelligat agi non tantum de *peregrina* tonsura, sed etiam tali quæ meretricibus originem debet. Pergit: 1. *Tim.* 2. 9. *(qui locus etiam citatur) non agit Apostolus de lege naturæ, sed honestatis verecundiæ & modestiæ, ut ipse textus clamat, nec de cincinnis tantum, sed & de auro, margaritis pretioso vestitu, quæ naturali lege prohiberi, non dicet vir doctus.* Resp. 1. omittit rursus vir doctus duo alia argumenta mea, nimirum sextum & septimum. Sextum „ erat ; quia tonsura (de qua loquor) est actus otiosus. Septimum, „ Quia grave scandalum mulieres illæ si Christum professæ sunt, „ præbent. Quoniam autem ea præterit, inconcussa stant. 2. Nec „ quod hic attingit ut debebat exhibet. Ajo enim : 8. Pugnat ille „ mos cum simplicitate Christiana 1. Timoth. 2. 9. 2. Pet. 3. 3. 3. „ Sufficit mihi ut pugnet tonsura illa cum simplicitate Christiana. Quod quia vir doctus mihi negare non audet, habeo quod volo. De *lege naturæ* quam ad nauseam, & ἀπροσδιονύσως ut cuivis patet inculcat, locutus non sum. 4. Cum vir doctus nobis inculcat legem *honestatis, verecundiæ, modestiæ,* quæ distincta sit à lege naturæ per decalogum repetitæ, aliam legem præter legem decalogi agnoscit, & per legem decalogi, liberum nobis esse docet, nullam *honestatis, verecundiæ & modestiæ rationem* habere. Quod δύσφημον est. Si erro, ostendat in decalogo legem *honestatis* &c. quæ à lege naturæ diversa sit. 5. Fallitur vir doctus cum autumat, me non dicturum ista de quibus loquitur, quatenus ab Apostolo prohibentur, lege naturali prohiberi. Nam alioqui per legem naturæ in talibus nobis liceret esse inhonestis, inverecundis, immodestis. Putabam ego lege naturę imperatam esse temperantiam, nec secus sentire virum doctum mihi persuadeo. Si autem temperantia lege naturæ jubetur, etiam honestas, verecundia, & modestia præcipitur. hæc enim ad temperantiā pertinēt, nec ab ea divelli queunt. Pergit

eadem

eadem ratio est loci 1. Pet. 3. 3. & Ies. 3. 25. *Nã si ibi* plexi capilli *juri naturæ repugnare statuantur, idem de universo mundo muliebri speculis, annulis, mitris &c. dicendum erit. summa est superbiam, luxum, lasciviam prohiberi. rem ipsam, si ista absint absolute prohibitam non esse. Sed hæc à quæstione de tonsura fœminarum, nonnihil abeunt, quæ tamen virum doctum secutus paucis attingere necesse habui.* Resp. 1. Locus 2. Pet. 3. vers. 3. ad octavam rationem pertinet. Si ergo eadem hujus quæ præcedentis est ratio, habeo intentum ut ex præcedenti-
„ bus patet. 2. Nona mea ratio erat : Ies. 3. ejusmodi vanitatibus
„ gravem pœnam comminatur Deus. Vbi rursus notandum quod nullam juris naturæ mentionem faciam. Ergo vir doctus more suo nihil quod ad rem facit, respondet. Si respondere voluisset prout oportebat, & mihi contradicere, tonsuram illam de qua ago, non esse inter vanitates de quibus Propheta loquitur computandam, nec comminationem Prophetæ illam spectare dicere debuisset. Sed hunc scopulum, ut & alios, sibi declinandum judicavit. 3. Ego non respicio ad v. 25. solum sed ad totam illam periochen Prophetę qua in vanitates invehitur. 4. Quæ prohibentur à Propheta, quatenus prohibentur etiam vi legis naturæ prohibentur. nisi vir doctus dicere velit *superbiam, luxum, lasciviam* lege naturæ non esse prohibitam, quod δύσφημον. 5. Certe abeunt responsiones viri docti à quęstione proposita. At argumenta mea concludunt quod volui. quod sine dubio prudens lector mecum judicabit. 6. Etiam paucis egit vir doctus de quibus loquitur : Nam argumenta quatuor reticuit. reliqua fere omnia lectori mutila exhibuit, & nihil fere nobis quam *legem naturæ* inculcavit, cujus ego nullam mentionem thesi quam oppugnare velle videtur, faciebam. secutus tamen eum sum φυγομαχοῦντα ut ipsi omnes vias elabendi præcluderem. quod à me factum esse arbitror.

Progreditur ad id quod thesi eadem à me de jure gentium dictum fuit. *Alterum inquit quod vir doctus reponit, respicit ad id quod dixeram de jure gentium, videlicet credibile non esse, gentes in legibus condendis circa extremitates capillorum occupatas fuisse. Ratio hæc inquit valida non est. Quia non repugnat juris gentium aliquid esse (præsertim si jus gentium notitione ICtorum accipias) & legem de eo conditam non esse. Nam ratio quæ facit ut aliquid sit juris gentium non est la-*

tio legis, sed dictamen rectæ rationis id imperantis. Quæ refutata sunt tractatus mei c. 3.

——— ἐχθρὸν δέ μοι ἐστὶν
Ἀνὴρ ἀφειδήλως εἰρηθμὰ μυθολογεῦσιν.

Resp. 1. Quod de oppositione prioris innuit, in præcedentibus expensum inveniet lector. 2. Quandoquidem ad ea quæ antea dixit, vir doctus nos remittit, rogo lectorem ut quæ opposuimus cum illis conferat. 3. Quam non abhorruerit ab eo quod sibi inimicum esse ait, docere poterint inanes & ad quęstionem non pertinentes *juris naturæ* repetitiones.

CAPUT. XXXVII.

OMissio duorum argumentorum. Admiratio intempestiva. An licuerit auctori relinquere in ambiguo an Eva habuerit in statu innocentiæ quo caput velaret? Quod affirmatur & probatur. Argumenta viri docti quibus probare nititur Evam non habuisse in statu innocentiæ quo caput velaret, expenduntur. De Eva ex costa Adami creata. De lege & mediis ad eam præstandam necessariis. De notitia Adami & imagine Dei. De lege & objecto ejus. Quædam sunt legis naturæ absolute alia ex suppositione peccati. An omnis subjectio mulieris ex ordine creationis pendeat? Locus Gen. 3. vers. 16. Timoth. 2. vers. 14. Augustinus, Calvinus, Martyr, Pareus, Rivetus. Interpretes Belgici, Beza. Daneus. Necessitatis casus extraordinarius. De capillis mulierum juxta genas dependentibus. Confusio quæstionis cum ratione determinationis ex ipso viro docto detecta. Consilium auctoris. De fine capillorum muliebrium. Polyander qualis testis viro docto. Dissensus viri docti & Polyandri. Jus negantis. An actus otiosus qua otiosus negationem dicat? Dissensus viri docti à Polyandro & synodis. De significatione actus. Sylvius. λεσθλογία. Ignoratio elenchi gemina. Theses omissæ. Erasmi judicium examinatum. Judicia Synodorum nostratium de re capillari. Epistolæ Poimenandri. Conclusio operis.

SEquitur ut pergam ad vindicias Theseos nonę disputationis ultimæ quæ hæc est.

IV. Quæstio est, an permissum sit mulieri capillos suos » citra necessitatem solutos gerere? Vt hęc quæstio recte intelliga- » tur, observandum est solutionem capillorum esse duplicem; unam » totalem, alteram vero partialem. Totalem voco, qua omnes li- » beri à vinculo relinquuntur, partialem, qua pars à vinculo libera re- »

» relinquitur ita ut genis involitent, pro ut nunc à multis κακοζηλίᾳ a-
» liarum quarundam gentium inter noſtrates factitatur. Quoniam
» autem duplex eſt ſolutio capillorum de utraque aliquid dicendum
» eſt. Quantum ergo ad primam; judico eam, citra neceſſitatem,
» mulieri non eſſe licitam. 1. quia Apoſtolus docet 1. Cor. 11. 15.
» comam mulieri pro velamine eſſe datam, id eſt in eum finem con-
» ceſſam, ut ea caput ſuum obvolvat; & quidem in ſubjectionis ſi-
» gnum. 2. Quia Apoſtolus mulierem caput ſuum dedecorare aſſerit,
» ſi orat capite non velato velamine adſcititio: multo magis ergo ſi
» caput ſuum non velat velamine naturali. Object. ad id tempora-
» rium fuit, non autem legis naturæ. 1. Quia alioqui Eva in ſtatu in-
» tegritatis velum in capite habuerit vel jus naturæ violaverit. 2.
» Quia alioqui mulieribus nunquam calyptram mutare nec comas
» pectere licitum erit. 3. Quia alioqui peccaverint ſanctæ fœminæ
» quæ capillis ſuis Chriſti pedes abſterſerunt, Luc. 7. 38. Ioh. 12. 3. quę
» tamen eo nomine à Chriſto ibidem laudatæ ſunt. Vide auctorem
» diſput. de coma diſp. 6. Th. x1. Reſp. male probatur id quod Apo-
» ſtolus de velamine adſcititio dicit, fuiſſe temporarium non autem
» legis naturæ. Nam prima ratio non ſtringit. 1. Quia Eva in ſtatu
» integritatis aut habuit quo caput tegeret, aut non habuit. Si ha-
» buit unde probabitur eam id non feciſſe? Si non habuit, neque ut
» tegeret obligabatur; ſicuti nec is obligatur ad dandam eleemoſy-
» nam qui nihil habet unde det, ſufficit eo caſu voluntas dandi. 2.
» Cor. 8. verſ. 12. 2. Quædam ſunt legis naturæ aut abſolute aut ex
» ſuppoſitione peccati, abſolute legis naturæ eſt fides, ſpes, charitas
» aliaque multa. Ex ſuppoſitione peccati, triſtitia de peccato, jura-
» mentum in veritate juſtitia & judicio & alia quædam. quamvis
» ergo forte exemplo Evæ probari poſſet velationem capitis mu-
» liebris quæ fit velamine adſcititio, non eſſe abſolute legis natu-
» ræ, quomodo probabitur, non eſſe eandem legis naturæ ex ſuppo-
» ſitione peccati? Secunda, non valet. Nam ut mulier calyptram
» mutet, & comas pectat neceſſitatis eſt. Sicuti quoque neceſſitatis
» eſt ut, quando partes corporis, quæ alias oculis hominum exponi
» non ſolent, ſed veſtibus ſollicite occultari conſueverunt, graviter
» laborant, perniciemque minantur, medicis, aut artis chirurgicæ pe-
» ritis, curandæ objiciantur. Tertia infirma eſt. Nam ab exemplo

facti

„ facti in casu extraordinario liciti & laudati, ad id quod ordinarie
„ & ubique licitum est, male arguitur; 2. si firma est, etiam dicen-
„ dum erit licitum esse quolibet tempore mulieribus capillis passis
„ & effusis incedere, & sic in ecclesia comparere contra auctoritatem
„ Apostoli 1. Cor. 11. 15. Nam ut mulieres Luc. 7. 28. Ioh. 12. 3. ca-
„ lyptra destitutæ fuisse videntur: sic etiam capillis passis ad pedes
„ Christi jacuêre: iis enim pedes ejus absterssisse leguntur. Quan-
„ tum ad alteram solutionem comarum muliebrium, nec eam, ex-
„ tra casum necessitatis (si forte dari possit, quod nunc non inquiro)
„ licitam esse existimo. 1. Quia lego quidem apud Apostolum, co-
„ mam mulieri datam pro velamine, sed non, ut eam genis involi-
„ tantem habeat. 2. Quia solutio illa comarum à patriis moribus
„ aliena est. Atque adeo nihil nisi vindictam numinis exspectare
„ potest. 3. Quia eadem illa solutio pugnat cum simplicitate Chri-
„ stiana. 1. Tim. 2. 9. 2. Pet. 3. 3. 4. Quia actus otiosus est. 5. Quia
„ scandalum creat. 6. Quis ejus eventus sit futurus analogice ex
„ Ies. 3. haberi potest.

Hanc thesin vir doctus more suo non exhibet, sed tantum lacinias quasdam ejus, ut lector de statu quæstionis judicare nequeat. Sequemur tamen eum præcedentem. *Thesi mea* IV inquit, *proposueram verba Poimenandri, quibus statuit mulierem semper tecto capite esse debere. Etiam domi, quia intecto eas esse capite contra legem naturæ sit. hoc examinaram thes.* XI. *rationibus aliquod in contrarium allatis quas ordine resumemus. Prima est: Si mulierem intecto capite esse contra jus naturæ sit sequitur vel Evam in statu integritatis velum in capite habuisse, vel jus naturæ violasse. Ad hanc vir doctus thesi* XI legendum IX. *Prima inquit, ratio non stringit* 1. *Quia Eva in statu integritatis aut habuit quo caput tegeret, aut non habuit: si habuit, unde probabitur eam id non feciße? Si non habuit, neque ut tegeret obligabatur. sicuti nec is obligatur ad dandam eleemosynam, qui nihil habet unde det, sufficit eo casu voluntas dandi.* 2. Cor. 8. 12. Resp. *Miror virum doctum rem ita evidentem, in ambiguo ponere, an videlicet Eva in statu integritatis habuerit quo caput tegeret, & an id fecerit. Quæ enim verisimilitudo est eam toto corpore nudam, solum caput obnupsisse? unde vero ei pannus vel lineus vel laneus vel sericeus &c. unde colus ad ducenda filamenta? unde radius ad texendum, acus ad suendum, &c.*

dices

dices id velamentum fortasse è foliis complicatum fuisse. At qui Quæst. text. 1. p. 3. thesi 4. inquirere detrectabas an gestatio florum (aut etiam frondium lauri ex Tertulliano quem ibi citabas) in capite, esset ordinabilis ex cõcessione divina in bonum, eandem difficultatem hic inventurus es. Denique ponamus eam ejusmodi indumenti copiam habuisse, non puto te dicturum eam velato capite è costa Adami prodiisse. Itaque nudo vertice, & per consequens in statu peccati à Deo conditam esse sequetur, quod videsquam absurdum sit. Thesi mea nona quærebatur, An permissum sit mulieri capillos suos citra necessitatem solutos gerere? distinxi hic inter solutionem capillorum totalem & partialem. Vtramque explico, priorem citra necessitatem licitam nego. negationem meam duobus argumentis confirmo, quæ vir doctus hic intacta relinquit. Occasione secundi argumenti, argumenta viri docti contra velamen muliebre adscititium solvo. Ipse vero hic in solutiones meas incurrit. Resp. itaque ad primum 1. Sæpius sine causa vir Cl. miratur, adeo ut mirari nos non oporteat si idem ei hic accidat. Id autem ei hic accedere manifestum est. Nam quare in ambiguo non relinquerem, quod me in ambiguo reliquisse ait? 1. Quia mihi non est revelata particularis historia paradisi. Si vir doctus sese eam callere putat, non invideo ipsi istam felicitatem. 2. Ipse vir doctus quamvis sese scire existimet res quas primi parentes in paradiso non habuerunt, (nam antea eum negantem audivimus primos parentes ferramenta in Paradiso non habuisse, addendum ipsi fuerat ne quidem quod ferramentis analogum esset) me (licet imprudens) docuit ne quid temere negem protoplastos in paradiso habuisse. Nam cum quæsivissem ex eo contra id quod asserebat de ferramentis à Tubalcaino primum inventis, quomodo Adamus & Eva & reliqui donec ferramenta fuere, ungues manuum pedumve imminuere potuerint? dixit de iis qui post Adami ejectionem ex paradiso, vixerunt, (Nam scisit Adamum tamdiu in paradiso non fuisse, ut necessarium ipsi fuerit ungues amputare) licere in tam obscuris aliquid ignorare. Item, pumice vel aspero lapillo unguium luxuriem cohibere potuisse. Et denique alia eos & necessitatem & ingenii ad omnia intenti acumen & Dei φιλανθρώπου benignitatem edocere potuisse. Quod si autem sibi cõcessum putat aliquid ignorare eorum quæ Adamus habuit post ejectionem ex paradiso,

posterique ejus usque ad Tubalcainum, quid ni & mihi in ambiguo relinquere licitum sit, utrum Eva in Paradiso quippiam habuerit, quo caput velaret. An me perspicaciorem esse vult in rebus paradisi, quam se esse fatetur in rebus aliquot seculorum extra paradisum? Deinde si juxta ipsum acumen ingenii eorum de quibus loquitur ad omnia attenti,&Dei φιλανθρώπια benignitas ipsos quæ ignoramus edocere potuit, quid mihi vitio vertit, quod id de quo loquitur, in medio relinquam? An mihi subsistendum ubi vir doctus subsistit quoties id sibi commodum arbitratur? & pergendum quoties id è re sua esse putat? Non amo magistros tam imperiosos. v. Libert. p. 65. 3. Tu nunc negas Evam in paradiso habuisse quo caput velaret, nimirum ut caulæ tuę consulas. At quid si alius postea ursisset habuisse, fretus opibus paradisi rerumque omnium in eo abundantia,& dixisset Evam tamen caput non velasse, nimirum ut idem quod tu, inferret, an mihi hic respondendum non fuisset? Vt ergo omnibus satisfacerem, rem in medio reliqui, & respondi quod respondendum judicabam. 4. Sed quandoquidem ita manifestum esse ait, Evam in paradiso non habuisse quo caput velaret, exercitii gratia, rationes ejus ponderemus. 1. est, quia nulla verisimilitudo est Evam toto corpore nudam solum caput obnupsisse. Resp. 1. etiam vera esse possunt quę nobis nullo modo verisimilia videntur. Nosti quid veterum quidam senserunt de antipodibus. 2. ut tegeretur reliqua parte corporis Eva opus non habebat. Nam nec injuriis aëris lacessebatur, nec pudori ut subveniret opus erat, quia peccatum non erat; loquimur enim de statu innocentiæ. Sed velati capitis, si habuit quo se velaret, habuisse non dico, usus esse potuit ad professionem subjectionis. 2. non habuit materiam unde, nec instrumenta quibus velum conficeret. Resp. 1. *Licet in tam obscuris, opinor, aliquid ignorare, & quæ nos ignoramus ingenii ad omnia attenti acumen & Dei φιλανθρώπια benignitas primos parentes edocere potuit.* Adeo ut non sit opus ut hic ad folia confugiam. Quod ait de loco Tertulliani frivolum est. Non meum sed ipsius erat probare non esse florum gestationem concessione divina ordinabilem in bonum. Non statuo Evam habuisse quo velaret caput: sed an habuerit, ob rationes paulo ante datas in medio relinquo. non invideo viro docto, qui statuit Evam non habuisse

buisse quo caput tegeret, ut opinionem suam quamdiu volet tueatur; sed ea lege ut nobis indulgeat, quod sibi sumit, nimirum ut *nobis in tam obscuris aliquid ignorare liceat*, præsertim cum quæstio hæc historica sit. Ad alterum: argumentum à creatione Evæ ex costa Adami sumtum frivolum est: nisi supponatur Deum aut eam velatam creasse eam vero sibi velamen in ipso creationis momento detraxisse: aut cum crearetur sine velamine, velatam esse debuisse, nec tamen fuisse. At neutrum concedo: nec quispiam, si sapit, concedet.

Pergit: *Si non habuit, neque ut tegeret obligabatur. „Respondeo: Imo si non habuit, statuitur Deus ei legem dedisse, & media ad eam præstandam denegasse. Quod iterum manifestam absurditatem habet. de eleemosyna actum est Tract. nostri pag.* 59. Resp. 1. Dederat Deus legem sed tum obligaturam cum media ponerentur. An non insculpserat Deus animis primorum parentum notitiam omnium virtutum? non negabis id ut arbitror. Quia id poscit ratio imaginis Dei primis parentibus inditæ. An non hęc virtutum notitia ipsis lex erat? Attamen multas illarum virtutum Adamus in paradiso non exercuit, defectu objecti, ut notum est. Nam v. g. liberos in paradiso non educavit aut instituit. Quia nullos habebat. Quod si autem absurdum non est Deum legem Adamo dedisse, & tamen objectum ad eam præstandam negasse; an absurdum censeri debebit Deum legem dedisse & tamen media ad eam prędstandam negasse? 2. Egit certe vir doctus de eleemosyna, sed ipsi suo loco ita responsum fuisse puto, ut spem triumphi quem veritati suę prętensæ decrevit abjecturus sit.

Pergit: *Secundo, inquit, quædam sunt legis naturæ aut absolute, aut ex suppositione peccati: quamvis ergo forte exemplo Evæ probari posset, velationem capitis quæ sit velamine ad scititio, non esse absolute legis naturæ, quomodo probabitur, non esse eandem legis naturæ ex suppositione peccati? Resp. Non inquiram in hanc distinctionem, quid enim opus est? verum id cujus probationem petit, inde probatur, quod subjectio fœminæ erga virum omne peccatum antecesserit, quam Paulus ejus rationem deducat ab ordine creationis* 1. Tim. 2. 13. *Si ergo illius symbolum vim legis naturæ haberet, ea ab ipsa creatione arcessenda esset, ac inde eam ut vidimus, non habet. Non ergo eam acquisivit peccato?* Resp. 1. E-

tiamsi in distinctionem istam inquireret, nunquam, sat scio everteret. 2. Si quid se dignum proferre voluisset vir doctus, probare debuisset non *subjectionem* sed *omnem* subjectionem cui nunc obnoxia est mulier, omne peccatum antecessisse. Quod nec facit, nec unquam faciet. Nam Gen. 3. vers. 16. legimus subjectionem quandam mulieri in pœnam peccati impositam fuisse. Idem colligitur ex priori ad Tim. c. 2. v. 14. qui immediate sequitur eum quem vir doctus producit. Optime hoc observavit Augustin. de Gen. ad literam. lib. 11. c. 37. Vbi distinguit inter servitutem *subjectionis* & *conditionis*, dicitque illam omne peccatum antecessisse, hanc vero ex peccato ortam. Videri etiá hac de re possunt Calvinus, Martyr, Pareus, Rivetus ad Gen. 3. v. 16. & interpretes qui nobis novam versionem Belgicam dederunt in notis ad eundem locum. & denique Beza & Danæus in 1. ad Tim. c. 2. v. 14. Peccat ergo argumentum: ipsius in forma, aut major ejus falsa est.

Pergit: *Altera mea ratio erat, si id nec domi quidem facere licet, (nempe capillum solvere) sequitur primo mulieres nunquam calyptram debere mutare, nec comam pectere. 2. peccasse sanctas illas fœminas, quæ Christi pedes capillis suis absterserunt Luc. 7. 38. Ioh. 12. 3. quæ tamen eo nomine à Christo laudatæ sunt. Hic vir doctus 1. Necessitatem. 2. Casum extraordinarium in subsidium vocat. primam illustrat exemplo nudationis partium corporis occultarum curationis causa. Alteram mulierum quas Paulus vetat capillis passis incedere & sic in ecclesia comparere &c. Resp. de necessitate jam ad nauseam responsum est. Casus extraordinarius nunquam faciet ut peccata contra naturam à Christo laudentur ac boni operis appellatione donentur. Exempla quæ affert non de jure naturæ sed honestatis sunt. Ideo nihil concludunt.* Resp. 1. Ergo vir doctus nihil novi affert de necessitate. 2. Ad nauseam responsum est viro docto de peccatis *contra naturam*. 3. exempla illa honestatis sunt, sed *naturalis* ideo quod volo concludunt.

Eadem Thesi mea nona postquam de solutione capillorum muliebrium totali, ejusque occasione de velamine mulierum adscititio disseruissem, accessi ad quæstionem de solutione eorum partiali, ostendiq; eam citra necessitatem, (in medio relinquēs utrum hic casus necessitatis dari possit) illicitam esse: argumenta sex quibus sentētiam meam probarem attuli, quæ lector inveniet Thesi quam

supra

ſupra recitavi. Si ei credimus, ea vel uno halitu difflat. Videamus tamen an ei quippiam reponere poſſimus. *Prima mea*, inquit, *diſputatione theſ. 2. controverſiam de coma muliebri ita propoſueram: An pars comæ muliebris juxta genas dependens, per ſe & natura ſua ſit illicita? Id affirmare Poim. oſtendo diſp. 6. th. 2. qui hoc legi naturæ repugnare ait. Vir doctus (qui ad primam diſp. de hac re nihil tetigit) diſp. ult. theſ. 9. ſuum de eo judicium promit. Verba ejus ſunt: quantum ad alteram ſolutionem comarum muliebrium (partialem videlicet) nec eam extra caſum neceſſitatis (ſi forte dari poſſit quod nunc non inquiro) licitam eſſe exiſtimo. Rationes ejus ſunt. 1. Quia legat quidem apud Apoſtolum, comam mulieri datam pro velamine, ſed non ut eam genis involitantem habeat. 2. Quia eſt à patriis moribus aliena. 3. Quia pugnat cum ſimplicitate Chriſtiana. 4. Quia actus otioſus eſt. 5. Quia ſcandalum creat. 6. Quia ejus eventus analogice ex Ieſ. 3. haberi poteſt.* Reſp. *primæ rationis ſolutio petatur ex diſp. noſtra 6. theſi ſexta. De ſecunda etiam ſuperius actum. Loca quæ pro tertia adducit, ibidem conſiderata: Quarta ſine probatione ponitur, nec ſe ſatis explicat. Si accurate diſputandum eſt, dicam ne* actum *quidem eſſe, ſed cujuſdam actus (videlicet omnimodæ capillorum ſubſtrictionis, quæ nuſquam præcipitur) omiſſionem. Quinta nihil ad quæſtionem facit. Nam caſus ſcandali etiam in rebus per ſe licitis reperitur. Nec magis ſexta, quia in loco Ieſaiæ ſoluti capilli nulla mentio. Neque quiſquam vocem qua propheta utitur ita interpretatus eſt. Et ſi maxime is intelligeretur aut analogia quadam ad res alias, quas propheta commemorat, reduci deberet, non ſequeretur tamen eum eſſe* PER SE *malum aut contra* legem naturæ, *niſi univerſum ornatum mulierum, imo ipſam earum* pulchritudinem *cujus expreſſa mentio eſt eodem quod allegatur commate, naturæ juri adverſam eſſe velimus, ſed de hoc antea.* Reſp. 1. At quis permiſit viro docto ut ſtatum quęſtionis ita formaret, atq; rationē determinationis illius cum ipſa quæſtione confunderet? Quæſtio erat, An pars comæ muliebris juxta genas dependēs ſit illicita. Negabat Poim. ratione, ut ait vir doctus à jure naturæ ducta. Diſtingueres ergo ſi accurate diſputare velles, ſtatum quæſtionis à determinatione ejuſdem, determinationemque à ratione determinationis. Aliter ipſe ſtatum quæſtionis à Poim. propoſitum eſſe docet. Aut enim diſp. 6. theſ. 2. ipſum dicere, *Comam prolixam mulieri honori eſſe modo maneat in capite, & cranio, quo fine cre-*

ata est, non autem tegat genas p. 50. *Id enim repugnare legi naturæ pag.* 51.52.354. 3. Ego non tam quid Poimenander aut vir doctus diceret spectans, quam ad factum mulierum & virginum quarundam in Belgio respiciens, quæsivi quod quærendum erat: nimirum an solutio comarum muliebrium sive totalis sive partialis licita sit? Idem etiam factum fuit (quod notari velim) in reliquis quæstionibus negotium capillare concernentibus. Respondi tamen ad argumenta viri docti & aliorum quæ determinationibus meis adversari videbantur. 4. Certe loco quem commemorat, de comis muliebribus nihil dixi: sed neque ibi quippiam ea de re dicendum erat. Quia constitueram plures quæstiones negotium capillare spectantes, & inter eas etiam quæ usum comæ muliebris respicerent, tractare, quod indico disp. Text. p. 1. Thes. 1. & quidem primis ejus verbis. Textus, ajo, Apostolici absoluta tractatione, progredior ad quæstiones quasdam quæ circa eum movētur. Illarum prima hęc esto: Vtrum viris permissum sit, citra necessitatem, capillos ita alere, ut humeris involitent, vel tergum flagellent, aut etiam prolixiores? Hoc si animadvertisset epilogo *libertatis* suæ triumphum ante victoriam non cecinisset. 5. Solutiones quas opponit argumentis meis nullę sunt. Solutio ejus ad primum non valet. 1. Quia licet per operationem humanam fieri possit in iis quæ capillis abundant, ut operiatur *cranium maxima & longissima comæ parte, & tamen particula ejus aliqua* (sic enim thesi ad quam nos remittit, capillos mulieribus magna copia sæpe juxta genas dependentes per μείωσιν vocat) *juxta genas dependeat.* pugnat tamen si id fiat cum fine capillorum muliebribus attributorum. *Quia lego* (ut ratione mea prima ajo) *apud Apostolum, comam mulieri datam pro velamine, sed non ut eam genis involitantem habeat.* Si vir doctus aliquid sc dignum facere voluisset, ostendere debuisset partem tantum comæ mulieri datam esse pro velamine, quamvis Apostolus sine ulla exceptione dicat, comam ei datam pro velamine. At hoc non facit thes. sua 6. ad quam nos ablegat, ut jam ostensum, nec alibi. 2. eadem illa thesi Polyandrum in causæ suę subsidium vocat. Sed 1. testem, quem ipse quoties libitum est, repudiat. E. g. Vult Polyander judicii sui de comæ & vestium usu pag. 9. *naturam* significare consuetudinem. Ipse repudia-

pudiata ea significatione disp. 2. thes. 2. *sexum* substituit disp. 3. th. 10. & 11. Polyan. mulierum tonsuram & rasuram *turpem & nefariã vocat* p. 16. ille pro ea pugnat disp. 6. th. 7. Et ex regula quã fixit, nimirum *decori in cõmuni considerati regulam esse morem*, Libert. pag. 107. dicere debet ubi tonsura aut rasura mulierum obtinet esse licitam, quin etiam necessariam. Nam *Libert.* pag. 175. ait: *Nullam rem ratione dedecori moralis sive honesti quæ ipsi accedit esse indifferentem.* Polyander pag. 64. invehitur tam in viros quam mulieres *qui non tam propriis quam alienis capillis se exornant, nec sua tantum capita, sed frontem quoque*, GENAS, *oculos, atque aliquam nasi* MENTIQUE *partem, non sine magno puriorum Ecclesiæ Christi domesticorum offendiculo*, AC SI TURPIA ET INHONESTA CORPORIS SUI MEMBRA ESSENT CORAM HOMINIBUS TEGUNT. Ille vero disputat pro comis mulierum juxta GENAS dependentibus. 2. testem, qui non loquitur loco quem vir doctus adducit, de comis juxta GENAS dependentibus, sed de velamine adscititio. Manet ergo primum meum argumentum. Solutio quam dat ad secundum nihilo melior est. Ait de eo etiam superius actum, sed quo successu videbit lector in vindiciis theseos meæ octavæ. Nec melior ea quæ dat ad tertium. Remittit nos ad ea quę ante dicta sunt. Conferat ergo lector quę attulit Append. p. 20. cum iis quę ipsi in vindiciis theseos paulo ante indicatæ opposui. Nec felicior quam dat ad quartum. Nam 1. ait argumentum meum ab actu otioso ductum sine probatione poni. Sed 1. nesciebam ego neganti incumbere probationem. Qui enim dicit actum otiosum, actum dicit cum negatione honesti finis. 2. Quandoquidem negat actum illum esse otiosum (cur enim alioqui probationem posceret?) affirmat capillorum muliebrium juxta genas dependentium honestum esse finem: & sic testẽ suum Polyandrum damnat, seq; obligat ut nobis ostendat quis nam sit honestus ille finis quem spectent mulieres illæ quę capillos suos juxta genas dependentes gerunt, ut Synodos nostrates errasse pateat. 2. Ait solutionem de qua loquor, si accurate sit disputandum, non esse *actum* sed actus omissionem. Sed nescit, aut scire non vult optimos etiam Scholasticos per *actum* nonunquam intelligere non *actiones proprie dictas*, quales sunt scribere, ludere, ambulare, sed etiam

ea

ea quę actionum similitudinem habent, suntque *quasi actus* aut *termini actionum*, ut dormire, sedere, domi manere & alia hujusmodi. Vide Sylvium ad 1.2.quæst.71.art.5. Hinc patet castigationem hanc viri docti nihil nisi λεπτολογίαν continere. Solutio quam dat ad quintum aberratio est à quæstione. Nam ajebam, solutionem illam comarum de qua agebam esse illicitam, quia scãdalum creat. Respondet vir doctus etiam scandalum reperiri in rebus per se licitis, quasi videlicet, ego scandalum de quo loquebar, ad certam speciem restrinxissem. quod falsum est. Quod si mihi sese ut oportebat opponere voluisset, dicendum ipsi fuisset aut solutionem illam comarum non creare scandalum, aut scandalum quod creant esse licitum. Nec melior solutio quam dat ad sextum. Nam 1. nescio per quam rimam ingrediatur quod ait de interpretatione aut sensu vocis qua utatur propheta. Ego enim ad certam aliquam vocem non respexi, sed ad periochen illam qua Propheta invehitur in vanitates quæ inter Israelitides obtinebant. 2. Rursus more suo sese recipit ad solitas latebras quas sæpius detexi.

Theses disp. meæ ultimę 10.& 11. ac si nunquam natæ fuissent, insalutatas præterit. Dicet eas se non tangere. Sed sic elabi nequit. Quoniam si quid eorum quæ Poim. dixit omitto, aut ipsi omisisse videor, mox de omissione queritur, nimirum ut aut me adigat ut respondeam ad ea quæ omissa ait & sic me novis quæstionibus implicet, aut lectori suspicionem moveat me vadimonium deseruisse. Quoniam itaque talis in me est, haud æquum est, ipsum quæ adversus alios in re capillari idem cum ipso sentientes disputavi, præterire: quam enim mihi ponit legem, neutiquam declinare potest. Sed quid ego hæc urgeo? cum etiam præterierit ut antea patuit multa, quæ prętерire non potuit, sine causę quam agit detrimento. Theses quas hic prętериit in gratiam lectoris repetam ut hanc disputationem quæ ultima est integram habeat. Forte enim sic accendetur cupiditas, etiam reliquas videndi quæ huic tractatui insertæ non sunt. Multas enim quas de capillis scripsi vir doctus plane intactas reliquit, multas quoque tantum leviter vellicavit.

THESIS X.

Objicit in contrarium auctor consilii adversus Thrichopristas quos

„quos vocat, quædam loca ex Cantico desumta quibus probari videtur comas genis involitantes mulieribus licitas esse; Quia ejusmodi comæ illic tribuuntur sponsę ad significandam pulchritudinem ejus spiritualem. Loca illa recensebo, deinde paucis ad ea respondebo. Canticorum ergo cap. 4. vers. 1. sponsus sic loquitur. *Ecce pulchra es, amica mea. ecce pulchra es, oculi tui columbini præ crine tuo:* Heb מבעד לצמתך *Pilus tuus ut gregis caprarum quæ detondent de monte Gilhadis,* & v. 3. *velut fragmem malogranati utrumque temporum tuorum præ crine tuo.* Cap. 6. vers. 5. sponsus ait, *pilus tuus est ut gregis caprarum quæ tondent è Gilhade.* Et vers. 7. *velut fragmen malogranati utrumque temporum tuorum præ crine tuo* cap. 7. 5. juxta Pagninum *Caput tuum super te veluti coccinum, & coma capitis tui sicut purpura.* Sed facilis est responsio. Nam 1. ex horum locorum nullo probari potest sponsam depictam à Spiritu sancto sub specie virginis cujus genis pars capillorum involitaret. Dicuntur quidem oculi sponsæ columbini præ crine ejus, aut si mavis inter crinem ejus, sed nulla hic crinis soluti & per genas volitantis fit mentio. Nam nec צמה per se crinem solutum & genis involitātem significat, nec מבעד לצמתך tale quid intelligendum indicat. Deinde comparatur crinis sponsæ pilo gregis caprarum, sed quid hoc ad capillos genis involitantes? Nitoris crinium sponsæ cum nitore pilorum caprarum tantum fit comparatio. Prętera tempora spōsæ assimulantur fragmini malogranati præ crine ejus sive inter aut etiam præter crinem ejus, sed quid hoc ad rem? An hic ulla crinium genis sponsæ involitantium mentio? Potuere assimilari fragmini malogranati tempora sponsæ præ crine, aut inter crinem ejus non lascive dependentem sed honeste reductum. vide Iun. ad cap. 4. vers. 1. ad verba *præ crine tuo, id est crine tuo modeste & pudice composito, & reducto procul ab oculis, non autem projecto & lascive extuberante, quod impudicarum est.* Denique non video quod id quod allatum ex Cant. 7. vers. 5. vel ullam speciem det argumenti. 2. Esto depingatur à Salomone sponsa mystica sub specie virginis cujus capilli genis involitant, & quidem ad significandam spiritualem illius pulchritudinem; minime tamen inde confici poterit, quod prætenditur. 1. quia dici potest non describi sponsam eo habitu quo in publicum prodire consueverat, sed qualis erat cum

„ sese pecteret comeretque. Atque adeo non procedere argumen-
„ tum. Nam etiam ii qui mulierum comas per genas volitantes im-
„ probant, sentiunt non tantum licitum sed etiam necessarium mu-
„ lieribus ut comas quandoque pectendi causa solvant. 2. Quamvis
„ daretur describi à Salomone Sponsam qualis erat cum in publi-
„ cum prodiret, nihil tamen inde lucratus fueris. Nam 1. scriptura
„ symbolica non est argumentativa, nimirum si à scopo Spiritus
„ sancti recedatur, quod fieri manifestum est quando ex pendulis
„ (οὐ συγχωρήσεως) sponsę comis, quid mulieribus licitum sit colligitur.
„ Etiam mysterii significandi causa filio Dei tribuuntur sexaginta
„ reginæ & octuaginta concubinę, neque tamen inde colligitur aut
„ polygamiam, aut concubinatum, & quidem cum pluribus simul,
„ esse licitum. Alia quæ huc afferri possent prætereo, ut quæ ex iis
„ quæ supra dicta sunt, peti possunt.

THESIS XI.

„ Quæstionibus hactenus excussis subjicere libet, id quod nuper
„ scriptor quidam typis vulgavit, nimirum; *Neque viris* 1. Cor. 11.
„ 14. *prohibet comam dimittere infra aures, aut ullo modo ut sibi forte i-*
„ *maginarentur clerici & monachi (ne dicam de aliis, qui nescio quam su-*
„ *perstitionem hic venantur, & monachatum per posticum revocare sa-*
„ *tagunt) quibus sæpe coma prolixior foret commodior ad Midæ auriculas*
„ *quas gestant abscondendas; sed tantum illis interdicit* κομᾶν *id est mulie-*
„ *rum in morem comam ac cirros componere & ornare; hæ enim dum co-*
„ *muntur dum moliuntur annus est; & nimis comtum esse neutiquam de-*
„ *cet. Deinde etsi ageret de coma longa & prolixa non retinenda à viris,*
„ *quo sexus discrimen non minus sit in coma quam in mento, tamen quæ sit*
„ *longitudinis permissæ mensura non dicit, neque docet illam supra aures*
„ *necessario subsistere; aut potius novaculam hic esse adhibendam quam*
„ *forfices, aut potius strictim tondendum quam ad pectinem.* Et quæro 1.
„ quosnam hic notet vir hic cum ait, *ne dicã de aliis qui nescio quam su-*
„ *perstitionem hic venantur, & monachatum per posticum introducere sa-*
„ *tagunt?* Nam si urgeatur ut respondeat, neminem eum daturum
„ qui superstitionem hic venetur, aut monachatum revocare sata-
„ gat, plane confido. Nam nec Synodi nostræ quarum canones su-
„ pra adduxi, nec Poimenander, nec Borstius, nec collegæ mei me-
„ cum talis criminis affines sunt. 11. Quæro quinam illi sint *quibus*

(ut

„ (ut ille scriptor ait) *sæpe coma prolixior foret commodior ad Midæ au-*
„ *riculas quas gestant abscondendas?* quod si enim Synodos nostras in-
„ telligat, puto ipsas daturos viros qui hominem illum modestiam
„ doceant, ne porro efferatur, atque omnes præ se contemnat. Quod
„ si Poimenandrum & Borstium significet; multorum, qui neuti-
„ quam auriculas Midæ gestant, suffragiis obruetur, ut qui ipsos ut
„ viros doctos & Ecclesiæ Dei utiles, suspiciunt & amant. Quod si
„ denique me collegasque meos qui mecum in eadem sententia
„ sunt, meaq; tueri, si mori me contingat, parati sunt, facile feremus
„ ut auriculas illas Midæ ostendat, & mundo detegat. III. Quæro
„ quomodo probet Apostolum tantum interdicere κομᾶν id est mu-
„ lierum in morem comam ac cirros componere & ornare? Nam ut
„ nunc alia omittam, analysis textus Apostolici, consentiente viro
„ docto adversus quem antea disputavi, quemque hic scriptor Vl-
„ trajectinos protrivisse alibi dicit, aliud docet. 2. dandum erit scri-
„ ptori fœminis non tantum licitum sed etiam decorum & hone-
„ stum, capillos in cirros componere. Nam quod Apostolus viris
„ dedecori, mulieribus decori esse docet. IV. Quæro quinam illi
„ sint qui statum controversiæ capillaris ita formarint ut hic scriptor
„ eum velle formare videtur; videlicet utrum longitudo capilli viris
„ permissi necessario ultra aures subsistere debeat, & potius novacula
„ adhibēda sit quam forfices, & potius capilli strictim tondendi sint,
„ quam ad pectinem? certe quod si tam ingenue agat cum Iesuita
„ suo quam cum iis in quos incurrit, habent Iesuitæ quod ipsi expro-
„ brent. Si vero æquior est Iesuitæ, dolendum est Iesuitas æquius ab
„ hoc viro tractari, quam ejusdem confessionis socios.

Claudit vir doctus Appendicem suam jucunda ut ait, observatione, ut lectorē recreatum demittat. Verba ejus sunt. *Vt jucunda aliqua observatione recreatum lectorem dimittamus, rogo is consideret, quantopere variet ratio scandali ac similium circumstantiarum etiam circa morem fœmineum in substringendo vel dimittendo capillitio. Nam tempore magni Erasmi fœminæ nobiles, prorsus contrario quam nunc sit more, comam totam in verticem colligabant, ut ita à plebeiis mulieribus quæ eam ex parte solutam gerebant, distinguerentur. ac offendebantur illæ, siqua inferioris quam ipsæ essent dignitatis id auderet imitari. in colloquio enim, cui titu-*

lum fecit, Senatulus sive γυναικοσυνέδριον, ita post alia loquentem introducit consilii præsidem Catarinam : Nunc accipite quibus de rebus consultandum sit. Primam oportet esse curam dignitatis : ea potissimum sita est in cultu, cujus rei tantus est neglectus, ut hodie vix agnoscas discrimen inter nobilem & plebejam, inter nuptam & virginem, aut viduam, inter matronam & meretricem. Adeo sublatus est pudor, ut quidvis usurpent quælibet. Videre est plusquam plebejas ac loci plane sordidi vestiri holosericis, undulatis, florulentis, virgatis, byssinis, aureis, argenteis, pellibus Zebellinis, Madauricis, quum interim maritus domi consuat calceos. Digitos habent smaragdis & adamantibus onustos. Nam uniones nunc vulgo fastidiuntur, nequid querar de succinis & coralliis, & crepidis inauratis. Satis erat tenuibus in honorem sexus, cingulis uti sericis, ac fimbrias vestium serico limbo decorare : nunc geminum est malum, & res familiaris extenuatur, & ordo, qui dignitatis est custos, confunditur. Si pilentis & lecticis eboratis ac byssotectis vehuntur plebejæ, quid relictum est nobilibus ac potentibus? Et si vix equiti nupta caudam trahit ulnarum quindecim, quid faciet Ducis aut Comitis uxor ? Atque hæc res hoc est intolerabilior, quod mira temeritate subinde mutamus cultum. Pridem à porrectis à vertice cornibus pendebant linteamina. Hoc ornatu fœminæ principes discernebantur à plebeiis. Illæ, nequid conveniret, sumserunt pilea foris ostentantia pelles albas nigris maculis variegatas : statim vulgus, arripuit. Rursus mutato cultu sumserunt flammea nigra (è) byssо : id fœminarum vulgus non solum ausum est imitari, verum etiam addiderunt fimbrias aureas, denique & gemmas. OLIM NOBILIUM ERAT, A FRONTE ATQUE TEMPORIBUS REVULSIS PILIS, IN VERTICEM CAPILLOS COGERE : NON DIU LICUIT, MOX QUÆLIBET ÆMULATÆ SUNT. Tandem demiserunt crines in frontem, protinus & hoc imitatæ sunt plebejæ. Videmus hic, tempus fuisse, cum plebeiis fœminis vitio datum, & superbiæ ac insolentiæ deputatum est si crinem à fronte ac temporibus in verticem, nobilium instar, attollerent, prout nunc offendit, si eam æmulatione talium circa tempora solutam gestent. Neque credas hic loqui Catarinam quampiam, sed ipsum Erasmum, qui admirabili illo Colloquiorum opere, ludentis specie, in omnes hominum ordines censuram exercet. legatur Epistola ei subnexa, ubi nominatim de hoc dialogo loquens, In senatulo, inquit, traducturus eram vi-

vitia quædam mulierum, sed civiliter, nequis expectet tale quippiam quale habet Iuvenalis &c. Vnde apparet quam periculose ex circumstantiis scandali, levitatis, æmulationis &c. jus naturæ perpetuum ac immutabile circa res ipsas inferatur.

Resp. 1. scandali variare posse rationem in adiaphoris quoad materiam nunquam sum inficiatus. Potuerunt ergo hæc omnia omitti, quia ad rhombum non faciunt, nisi vir doctus negare velit comas mulierum juxta genas dependentes quas synodi nostræ graviter improbarunt & wilt-haer vocant, creare scandalum. 2. fœminæ illæ nobiles immerito succensebant plebejis quod ipsas capillos inverticem reducentes imitarentur. Quia id quod faciebant materialiter saltem, præcepto Apostolico consentaneum erat. 3. Si Erasmus plebejas illas male feciisse ait, quoad materiam operis, (nam de fine quem sibi plebejæ istæ propositum habuerunt solicitus non sum) *τὸ αὐτὸς ἔφα in solutum non accipimus*; Novit vir doctus quomodo sese adversus Bezam & Iunium, Erasmo in rebus Theologicis longe superiores, gesserit.

Quoniam autem vir doctus non sine recreatione lectorem dimittendum censuit, eundem etiam mihi demerendum judicavi. Quocirca repetam hic judicia Synodorum nostratium de re capillari. Quia diatribe mea de capillis qua illa exhibui viz. Quæst. Text. primæ thes. x. multis non est ad manum. Ita autem repetam, ut aliquid quod antea mihi ad manum non erat, sim adjecturus. Etiam exhibebo hic literas Poim. quarum aliquoties mentionem feci ut lector videat quid Poimenander de æquitate viri docti senserit.

Iudicia Synodorum nostratium de re capillari quæ edidi, ita exhibui. Synodus itaque Zuyt-Hollandica habita Goudæ anno 1640. art. 55. sic loquitur. *A Classe Hagiensi quæsitum fuit, quandoquidem in patria nostra magnopere gliscunt variæ levitates mundanæque vanitates, indicta levium carnaliumque cordium, occasiones, causæ, matres & nutrices magnorum peccatorum, ad scandalum & seductionem infirmorum, quales sunt choreæ, tripudia dramatica, scandalosus bonorum Dei donorum in conviviis immoderatis abusus, capillique virorum & mulierum effusi (wilt haer) personatorum ludicra, comœdiæ, tragœdiæ, vestitus inhonestus, corporis scandalosa denudatio, &c. quomodo tra-*

„ standa illa membra, quæ non obstantibus publicis & privatis admonitio-
„ nibus, à vanitatibus memoratis non desistunt? Concordibus omnium
„ suffragiis, etiam accedentibus Ampliss. DD. Deputatorum, honoran-
„ dorumque fratrum correspondentium judiciis, placuit, quandoquidem va-
„ nitates dictæ cum honestate & pietate Christiana consistere nequeunt,
„ perq; eas horrenda ira Dei, præsertim difficilibus hisce temporibus, magis
„ magisq; accenditur, cum ejusmodi membris agendum juxta politiam Ec-
„ clesiasticam, etiam usque ad suspensionem à sacra cœna, conformiter art.
„ 35 Synodi Gorinchomiensis habitæ An. 1622. nec non politiæ Ecclesia-
„ rum reformatarum Galliæ cap. 14. art. 26. 27. 28. Synodi Noort-Hol-
„ landicæ quæ Amsterodami celebrata fuit Anno 1640. art. 59. hæc
„ sunt verba. Quærit Classis Amsterodamensis, an non expediat, ut de-
„ cernatur aliquid de concionatoribus & proponentibus qui longis capillis,
„ & novo vestitus genere utuntur? Respondet synodus: quælibet Classis in
„ qua id evenit dabit operam, ut remedium adhibeat; quandoquidem opor-
„ tet concionatorem esse reliquis exemplar temperantiæ & modestiæ. Sy-
„ nodus Noort-Hollandica habita Hoornæ Anno 1641. id quod
„ jam recitatum est comprobavit & confirmavit artic. 43. ut etiam
„ ea quæ habita est Enchusæ anno 1642. artic. 46. Synodus Traje-
„ ctina habita anno 1641. sess. 7. art. 6. & 1642. sess. 5. art. 8. & 1643.
„ sess. 5. art. 5. & 1644. sess. 7. art. 8. idem censuit. Synodus Transisu-
„ lana habita Swollæ anno 1641. artic. 46. hæc habet: Quantum ad
„ gravamen tertium, quo quæritur, quoniam multa oriuntur scandala ex
„ novis vestium formis, peregrinisque vestimentis, vanitatibusque circa ca-
„ pillos, aliisque lasciviæ generibus, adeo ut non tantum multa membra, ve-
„ rum etiam Theologiæ studiosi, etiam qui proponentes sunt, aliique quos
„ id minime decet mundo sese conformes reddant; qua ratione malum hoc
„ tolli possit? media hæc proposita fuere. 1. Ut omnia membra, auditoresq; qui
„ sontes sunt, tum publice tum privatim in quotidianis visitationibus à con-
„ cionatoribus corripiantur. 2. Ut nemo sontium ad communionem ecclesiæ,
„ aut ad collegia Ecclesiastica assumatur, utq; omnes cõcionatores si qui con-
„ tagione hujus mali laborant, à domibus suis reformationẽ ordiantur. 3. Ne
„ ulli proponentes ejusmodi ad examen admittantur, aut ad ministerium
„ promoveantur. Synodus Gelrica ut anno 1641. & 1642. vanitati-
„ bus capillaribus occurrendum censuerat, sic quoque anno 1643.
„ Harderovici idem judicavit. Artic. enim 24. Synodi Harderovicenæ

„ nę sic statuitur. *Visum porro est Synodo juxta diataxes quoad hanc ma-*
„ *teriam in Synodo Zuydt-Hollandica & Transisulana statutas, insuper*
„ *addendam hanc ampliationem; videlicet ut non tantum omnes Classes*
„ *respectivæ in posterum diligenter curam adhibeant, ne aut concionatores*
„ *aut proponentes ad se spectantes, vestitu aut prolixis capillis simpliciori-*
„ *ribus ullum scandalum præbeant; verum etiam ut rogentur Professores*
„ *& Regentes, ut circa studiosos Theologiæ similem curam gerant: porro*
„ *ut etiam in electionibus seniorum & diaconorum à presbyteriis diligenter*
„ *hujus rei ratio habeatur. Commendavitque Synodus omnibus fratribus*
„ *serio, ut quæ dicta sunt pro virili, & conditione Ecclesiarum exsequantur.*
„ Synodus Transisulana quæ decreverat anno 1641. etiam sequenti-
„ bus annis confirmavit. Et ut sibi rem cordi esse ostenderet, anno
„ 1644. ii qui cõvenerant ad Synodum quæ in urbe Campensi habi-
„ ta fuit, interrogati sunt, num quæ decrevisset synodus superioribus
„ annis, observarentur. Sic enim acta Campensia loquuntur artic.
„ 28. *Quantum ad art.* 31. (videlicet actorum synodi præcedentis an-
„ ni) *loquentem de prolixis capillis, & peregrino vestitu &c. omnium*
„ *classium fratres interrogati declaravere se zelum suum ea in re ostendis-*
„ *se & porro ostensuros. Synodus autem ut hoc facerent summopere com-*
„ *mendavit.* Immo vero cum postea intellexisset Synodus esse qui pro
„ prolixis comis scriberẽt, id ęgerrime tulit, deputatisq; suis ad cor-
„ respondentias ituris, ut de auctoribus, apud quos oportebat quere-
„ rentur, injunxit. Sic enim in actis Synodi Swollanæ art. 19. legitur
„ *Ad artic.* 28. *qui prolixos concernit capillos; placuit ut quod censuit sy-*
„ *nodus omnibus presbyteriis curæ sit & executioni mandetur. Deputatique*
„ *ad correspondentias ituri, indicabunt eos qui pro iisdem* (viz prolixis ca-
„ pillis) *scripserunt: atq; de iis querimoniam instituent.* Nec defuere De-
„ putati officio suo. Nã in actis Synodi Zuyt-Hollandicæ quę Woer-
„ dę celebrata fuit anno 1645. artic. 22. sic scriptum invenio. *Deniq;*
„ *quantum ad rem ipsam, Synodus inhærens iis quæ decrevit anno* 1640 &
„ 1641 *eaq; stabiliens, ut omnibus insolentiis & nominatim effusorũ capillo-*
„ *rum* (om alle insolentien/ ende oock met namen vande wilde hayren) *ob-*
„ *viam eatur, mandat omnibus Ecclesiarum ministris qui ad hanc syno-*
„ *dum pertinent, ut eas debite juxta verbum Dei qua publice qua privatim*
„ *reprehendant, ita tamen ne de hisce scribant. Et quandoquidem D. Cor-*
„ *respondens N. nomine suæ Synodi (Transisulanæ videlicet) questus fuit*

de

„ *de publica scriptione* D. N. *pro usura & coma, placet Synodo ut DD.*
„ *Deputati ordinarii, quandoquidem multi scriptis* D. N. *abutuntur, ut*
„ *iis se obfirment in licentia effusorum capillorum* (inde licentie vande wij-
„ de hayren) *id prædicto Domino modestè & amice significet, aut secus* (pu-
„ to hic aliquid deesse in exemplari quo usus sum) *prout ad commu-*
„ *nem ædificationem maxime expedire judicabunt.* Intellexi quoque
„ similem querimoniam institutam fuisse in Synodo Gelrica supe-
„ riori anno habita, sed nundum acta illius ad me pervenêre.

Quod adjecturum me dixi petitum est ex actis Synodi Geldricæ quæ habita fuit Neomagi 10. 11. 12. 13. Sept. 1645. Id autem tale est. *Ad Artic.* 20. *qui agit de scandaloso vestitu & prolixis comis &c. Iudicat Synodus, ejusmodi scandalosos excessus ab omnibus hujus synodi membris, omnibus mediis possibilibus esse tollendos. Præterea visum est synodo, quandoquidem DD. Correspondentes Zuydt-Hollandiæ & Transisulaniæ, juxta mandatum ipsis datum, queruntur quod nõ nemo qui membrum est Ecclesiæ Iesu Christi, atque ad hanc Synodum pertinet, editione libelli cui titulus est,* Haet voor de Scheerstecke Hayrkloovers/ *insigni cum scandalo, propugnaverit excessus prolixorum capillorum, ut ecclesia Sylva-ducensis, in rei veritatem inquirat, quandoquidem is de quo agitur, ad eam pertinere intelligitur, & pro rei exigentia faciat quod decet.*

Literæ Poimenandri, quas ad me dedit de negotio capillari plures sunt. Duas tamen tantum exhibebo. Et primas quidem solummodo ex parte, quia reliqua quæ iis continentur aliis de rebus agunt. alteras vero integras. Spero autem lectorem inde percepturum non levem à viro docto Poim. factam esse injuriam, dum ipsi passim obtrudit sententias, quas Poim. suas esse negat. Neque enim puto quempiam inventum iri qui pii fidelis, & insignis illius servi Domini nostri Iesu Christi, nunc in cœlo triumphantis atque à fratrum infectationibus liberi, fidem in dubium vocare velit.

Priores illæ literæ, quæ Belgico Idiomate conscriptæ sunt, & ad me datæ 10. Sept. 1646. hæc inter alia continent.

„ *Vir Clariss. Frater Chariss.*
„ Ick hebbe uwen aengenaamen vanden wel ontfangen/ gelijck ooc
„ de theses voor mijne 2 neven/ Adr. Bruynvisch/ ende Supe/ want den
eersten

„ eerſten beſtaet my/ den anderē mijne hypſtzouwe/de ſelve theſes behagen
„ my wel/ ende met namen wat aengaet den ſtatum controverſiæ, U E
„ heeft den ſelven wel geſtelt ad retundendas calumnias eorum quos
„ minime oportuit, die my ende D. Voſſium met gewelt willen doen
„ ſeggen/dat wy niet ſeggen en willen. Ick hebbe mijne meyninge genoech-
„ ſaem uytgedruckt/ niet alleene inden titel/ maer oock fol. 34. fol. 345. en
„ de meer andere plaetſen/ gelijck U E ten rechten heeft aengeweſen. Wat
„ aengaet D. Voſſius/ die beſtent inde voorreden van ſijne predicatie/ dat
„ hy mijne *veſtigia* gevolcht heeft. D. Voetius heeft my eens geſchreven,
„ als U E theſes de coma ſullen geeyndicht zijn / dat het niet ongeraden
„ ſoude zijn/ dat ick met een regel of twee te kennen gave / dat wy tſamen
„ in ſtatu controverſiæ accoorderen/ om de laſtermonden toe te ſtoppen/
„ des noodt zijnde/ ben ick dat bereydt te doen.

Poſteriores de verbo ad verbum ita ſonant.

„ *Viri clariſſ. Symmyſta chariſſ.*

„ Accepi diſputationes tuas exegeticas ad 1. Cor. 1. verſ. 14. 15.
„ nec non Quæſtiones textuales ad eundem locum, quas non ſine
„ ſummâ voluptate perlegi, video enim te textum illum πολυθρύλη-
„ τον, tam accurate, tam ſolide, tam modeſte tractaſſe, ut nullus du-
„ bitem, quin omnibus piis & doctis, qui partium ſtudio non ſunt
„ abrepti, pleniſſime ſatisfeceris. Tu es inter illos, qui libellum
„ meum *de coma*, examinarunt & calculo ſuo approbarunt, juxta
„ canonem politiæ noſtræ Eccleſiaſticæ 46. Iam reapſe oſtendis, te
„ non ſine judicio, vel temere, approbaſſe. Non fruſtra igitur haſce
„ tuas theſes edidiſti. Etiamſi enim ille meus dialogus, tam modeſte
„ conſcriptus, & tali ſatellitio munitus fuerit, ut nemini cordato
„ juſte bilem movere potuerit, tam infauſta tamen ſunt noſtra tem-
„ pora, tam infelix ſeculum, ut vix aliqua vel minima lucubratiun-
„ cula lucem aſpicere queat, præſertim quę ad pietatis praxin, & ad
„ demolienda mundi excella pertinet, quin confeſtim in omnes, &
„ in omnia graſſetur furiis agitata ἡ διαβολή. Quod utcunque eſſet to-
„ lerabile, ſi inimicus probro nos afficeret, & oſor noſter adverſus
„ nos ſeſe attolleret: poſſemus enim nos abſcondere (vel forti ani-
„ mo, & aperto marte, cum hoſte concurrere) ſed quod mortalis,
„ qui nobis par eſt, imo interdum qui jure merito deberet eſſe dux
„ & familiaris noſter, (ratione communis functionis noſtræ) cum

„ quo æquum esset nos, pro veritate & pietate, dulce inire consi-
„ lium: vel saltem qui nobiscum solet frequentare domum Dei, ad
„ videndum amœnitatem Iehovę, & inquirendum in templo ejus:
„ quoniam per unum spiritum in idē corpus baptizati sumus, ejus-
„ dem panis participes, & potati in unum spiritum: quod talis, in-
„ quam, nos vel nostros mordeat, profecto non potest non maxi-
„ mam nobis afferre tristitiam, & cruciatum sine intermissione cor-
„ di nostro. Est enim hoc bellum intestinum tam triste, tam fune-
„ stum, & Ecclesiæ noxium, ut homo pius vix queat discernere, an
„ prętstet tacere cum Davide Psal. 38. vers. 14. 15. 16. vel silentium ab-
„ rumpere, & loqui cum eodem, Psal. 39. vers. 2. 3. 4. si enim taceas,
„ videris non tantum crudelis erga famam tuam (quæ non temere
„ negligenda est) verumetiam justam causam timide diferere: si re-
„ spondeas, admodum proclive est, ut in idem procacitatis vitium
„ incidas, quod in adversario vituperas. Etiamsi enim sapiens, Da-
„ vidis filius, tutam & regiam viam nobis ostendat, quà in hoc casu
„ incedendum sit. Prov. 26. vers. 4. 5. experientia tamen docet, saty-
„ rica scripta vix, ac ne vix quidem, nisi satyrice refutari posse quod
„ ex magno quodam viro me audivisse memini. Et sic videris cum
„ ratione insanire. Et quis tandem erit belli istius intestini finis: sa-
„ ne alius exspectari non potest, nisi juxta vaticinium Domini no-
„ stri Matth. 12. 25. *omne regnum dissidens adversus sese vastatur* & A-
„ postoli Galat. 5. 15. *quod si alii alios mordetis & devoratis, videte ne*
„ *vicissim alii ab aliis consumamini.* Sentio igitur cum clariss. *D. Pareo*
„ 1. Cor. 11. 16. tam pernicioſum Ecclesię hominum genus, authori-
„ tate potius compescendum, quam longis disputationibus refellen-
„ dum. Et hæc fuit ratio primaria, mi frater, cur responsum meum
„ quod jam pridem contra male feriatum istum Iuvenem paratum
„ fuit, hactenus subpresserim. Et plane confirmatus sum in hac sen-
„ tentia, postquam vidi eruditas & modestas tuas de hac materia
„ disputationes, in quibus omnium & singulorum pro *vertice comato*
„ Psal. 68. 22. argumenta, *i.e. capillis tam prolixis, ut citra necessitatem*
„ *humeris involitent, vel tergum flagellent*, tam solide discussisti, ut o-
„ pus non sit aliquid addere, nisi forte alicui lubeat Iliada post Ho-
„ merum scribere. Quod vero aliqui malevoli spargunt, inter nos,
„ quoad statum quæstionis, non satis convenire, mera & putida est

ca-

„ calumniâ, quam ſex argumentis, ex meo dialogo ſumptis, ſatis „ ſuperque refutaſti, parte 3. primæ quæſt. textual. theſi 1. quibus alia „ ſuperaddere, eſſet mihi facile, ſed ſupervacuum. palam igitur „ profiteor, me in omnibus & per omnia tibi ſuffragari, non tantum „ quoad ſtatum quæſtionis, verumetiam quoad argumenta κ̓ζκευα- „ σικὰ pro noſtra, & ἀνακζκευασικὰ contra partis adverſę ſententiam: et- „ iamſi forte in libello meo, quo glaciem fregi, uno vel altero loco, „ reſpectu Zoïlorum, obſcurius, vel ſecurius, locutus videar, (quod „ vel maximis viris, tam veteribus, quam modernis, contingere ſo- „ let) quoniam vix cogitare potui, nos in ſinu noſtro fovere tam i- „ niquos fratres, qui fratrum dicta, ad ædificationem domus Dei ſa- „ cientia (quæ ſemper, vel me tacente, per annos 47. & ultra, unicus „ ſcopus fuit miniſterii noſtri) tam ſiniſtre interpretarentur, vel po- „ tius contra IX. præceptum calumniarentur. titulus enim libelli, „ & tota diſſertationis ſeries, ſatis oſtendunt me non pugnare con- „ tra decorum, nec contra medicorum axiomata, nec contra natura- „ lem, modeſtum, & honeſtum capitis ornatum, ſed tantum contra „ iſtam vanitatem vanitatum, quæ gloriam quærit in ignominia. „ i.e. cultu effœminato, contra expreſſum illum textum, quem tam „ ſerio enucleaſti. videantur imprimis 18. iſtæ theſes, quibus ſen- „ tentiam meam breviter explicui, in diſſertatione meâ fol. 345. &c. „ præſertim theſi 2. & 6. ſi adverſariis noſtris, iſthac explicatione „ non contentis, deinceps lubeat debacchari, nos reſpondemus cum „ Apoſtolo: *Quod ſi quis videtur contentioſus eſſe, nos ejuſmodi conſue-* „ *tudinem non habemus, neque Eccleſiæ Dei.* 1. Cor. 11. 16. Vale vir cla- „ riſſ., ſymmiſta chariſſ. cum reverendis tuis collegis, & familiâ tuâ „ totâ.

Zurizea 25. *Febr.* 1647.

Tuus G. VDEMANNUS.

Diu te detinui Amice lector, nec tamen te adhuc dimittendum cenſeo. Quum enim rumuſculis ſpargi audiam, in Academia noſtra à Theologiæ Profeſſoribus nihil tractari præter quæſtiones de capillis & pauculas alias, rogandum te duxi, ne iis fidem adhibeas. Falſiſſimi enim ſunt. Non enim exiſtimo Academiam dari in qua univerſa Theologia plenius doceatur, quam in hac noſtra. Non conſeneſcimus circa viginti aut triginta locos

communes nedum circa pauculas quęstiones; sed discipulos nostros qua publice qua privatim per spatiosos Theologiæ campos deducimus, ut & ipsi ædificentur & alios ædificent. Deinde cum norim, nos nescio quibus non convitiis proscindi, (quanquam hoc agimus ut cognitionem veritatis quę est secundum pietatem promoveamus) quasi videlicet libertati quam Christus ecclesiæ suæ peperit insidiemur, etiam te orandum duxi, ne nos damnes, antequam quid sentiamus noris. Nam ab omni æquitate alienum est, damnare quempiam non auditum. Quoniam autem tractatus hic meus de multis eorum quæ sentimus, te certiorem reddere poterit, obnixe peto, ut eum legere ne dedigneris. Non dubito enim, si id feceris, te non tantum nihil inventurum cur nobis succenseas, sed etiam multa reperturum quæ in usum tuum ad ædificationem tui, transferas. Pluribus opus meum non commendo. *Non enim qui se ipsum commendat, is probandus est; sed quem dominus commendat*, sed unum peto, ut si te convictum sentias (de quo non despero) conscientiæ ne oblucteris, consuetudinem sive paucorum, sive plurium rectæ rationi verboque Dei anteferendo. Hoc si consecutus fuero, laboris mei me non pœnitebit. Sin minus solatio mihi erit, ędificationem tui à me serio quæsitam fuisse.

FINIS.

Omissa commissa sic corrigenda.

PAG. 2. lin. 7. lege non, ibid. lin. 14. l. soboleſcunt. p. 4. lin. 25. l. exceſſus. p. 8. lin. 10. l. cum. ibid. lin. 19. l. doctus. p. 10 lin. 33. l. ille. p. 11. lin. 21. l. eo. ibid. lin. 22. l. mulieribus. p. 12. lin. 1. l. quamvis ſi. ib. l. conſideretur. p. 13. lin. 31. l. malagma. p. 21. lin. 35. l. præferunt. ibid lin. 36. l. tractant. p. 22. lin. 24 l. δυςθανασίκτα. ibid. lin. 27. l. moneretur. p. 23. lin. 2. l. offendere judicandus eſt. p. 27. lin. 3. l. contentioſiores. p. 28. lin. 31. l. oblitū. p. 29. lin. 13. l. ſit. p. 36. lin. 14. l. dixit. ib. lin. 32. dele ſe. p. 38. lin. 8. l. σύρραξιν. p. 39. lin. 27. l. comas habere. p. 41. lin. 23. l. diſputatori. p. 42. lin. 23. l. ſolutionem p. 43. lin. 21. l. videndum. p. 45. lin. 31. l. habenda. p. 47 lin. 33. l. καταδογνώσκ. p. 53. lin. 4. l. naturæ. p. 54. lin. 18. l. FUISSE p. 56. lin. ult. l. de. p. 57. lin. 18. l. Reſp. Si p. 58. lin. 21. l. dicere Voetium. p. 67. lin. 9. campanę p. 74. lin. 24 l. ſit. p. 76. lin. 2. l. limitari. p. 77. lin. 22. l. die. p. 78. dele lineam 17. p. 80. lin. 1. l. ſentiet. p. 86. lin. 9. l. ſuperabundanti p. 88. lin. 10. l. oppugnatus. ibid. lin. 12 pro minorem l. majorem. p. 97. lin. 18. l. naturæ id p. 100 lin. 4. l. Gen. 1. 28 p. 102. lin. 29. l. acceſſiviſſe. p. 103. lin. 16. l. naturali. p. 108. lin 29 l. ſi dare p. 125. lin. 9. l. diſpar ratio. p. 128. lin. 27. l. ut quædam p. 142. lin. 18. l. quæ p. 146. lin. 4. l. pro ſit, it. p. 148. lin. 6. l. doctus p. 150. lin. 24. pro differentia l. pars. p. 155. lin. 18. l. paulum p. 156. lin. 25. l. Major. p. 158. lin. 31. pro majorem l. minorem. ibid. lin. 33. pro minorem l. majorem. p. 162. lin 25. l. perſuadeat. p. 164. lin. 10. l. eos. ib. lin. 19. pro, ſed falſa eſt hæc minor, lege, ſed falſa eſt hæc concluſio. unde & major. p. 169. lin. 17. l. Deum ib. lin. 24. l. etiam ait. p. 170. lin. 5. l. monitum. p. 172. lin. 2. l. quà p. 176. lin. 27. l. me non. p. 180. lin. 26. dele non. p. 183. lin. 9 l. defendit p. 186. lin. 20. l. ullus. ibid. lin. 27 l. neophytos. p. 191. lin. 8. dele & p. 193. lin. 6. dele aut p. 195. lin. 6. pro dixi l. dixerim p. 198. lin. 23. l. p. 9. p. 205. lin. 26. l. parium. ibid lin. 28. l. quod quia p. 215. lin. 35. pro 29. l 24. p. 217. lin. 25. l. ſitorum. p. 222. lin. 13. l. ἄπαξ. ibid. lin. 30. l. ineptum p. 227. lin. 8. l. naturali. p. 229. lin. 4. pro ne l. me. p. 232. lin. 27. l. μίξιν μόνην οἷόν ὁ νόμος. καὶ φύσιν τὴν πρὸς γυναῖκα &c. p. 234. lin. 23. l. particulari p. 236. lin. 1. l. ὑμᾶς p. 249. lin. 27. dele mei. p. 250. l. 2. dele quidē poſt iſti. p. 254. lin. 13. l. adverſatur. p. 255. lin. 33. l. jam p. 263. lin. 32. docere. p. 276. lin. 23. l. ſi in p. 283. lin. 12. dele ſibi. p. 287. lin. 8 l. κόμαι. p. 292. lin. 29. l. clarum. p. 290. lin. 7. l. impingat. p. 291. lin. 23. l. fallacia. p. 301. lin. 23. l. φειδωλία l. ib. l. Enallagen ibid. lin. 34 pro nimis l. unius p. 305. lin. 11. dele & p. 309. lin. 20. l. hæc cum. p. 310 lin. 4 l, ſit p. 313. lin. 8. l. cōtumelia p. 314. lin. 7. l. ita ut quod ait. p. 315. lin. 27. l. limus p. 316. lin. 15. l. ipſi p. 319. lin. 22. l. ἀχημοσύνην. p. 320. lin. 15. l. ipſum p. 324. lin. 22. dele quod. p. 328. lin. 2. l. vere p. 330. lin. 18. l. ſomniavit p. 331. lin. 36. l. à me p. 335. lin. 32. pro iis l. id p. 336. lin. 36. l. habitu. p. 341. lin. 29. l. quem. Poim. p. 344. lin. 31. dele alterum, id. p. 360. lin. 35. l. appoſite p. 262. lin. 9. l æquius. ibid. lin. 15. l. actio. p. 364. lin. 8. l. injuriam. ibid. lin. 25. dele, & p. 365. lin. 34. l. faciunt p. 370. lin. 23. l. Ad ea quæ. p. 372. lin. 1. l. & neſcio p. 374. lin. 15. l. ἀνάγκη. p. 379 lin. 2. l. meæ. p. 385. lin. 19. l. δίδωμι p. 386. lin. 33. pro uti l. quam uri p. 389. lin. 28. dele in. p. 390. lin. dele & p. 399. lin. 12. l. habere. p. 402. lin. 18. l. Hadriani. ibid. lin.

29

1976720 (ab) A 1424717

29. *l. Epist. quadam p.* 403. *lin.* 11. *l. illas ibid. lin.* 32. *l. Atqui p.* 419. *lin.* 25. *l. ratione p.* 421. *lin.* 18. *l.* γυναικοκρατία *p.* 434. *lin.* 14. *l.* ἀπαιδευ *p.* 436. *lin.* 10. *l. falsissimum. ibid. lin.* 15. *l. oro p.* 438. *lin.* 4. *l. habeutes. p.* 440. *lin.* 24. *l. ea enim p.* 445. *lin.* 26. *l. voeu. ibid. lin.* 32. *l.* dependula. *p.* 452. *lin.* 31. *l. pretii. p.* 460. *lin.* 26. *l.* Jet. 3. *p.* 466. *lin.* 36. *post* amo *addendum, exemplum enim à me allatum latius quam par est, extendit. p.* 472. *lin.* 29. *l.* errorem *p.* 474. *lin.* 2. *l.* legi *p.* 485. *lin.* 9. *pro* 2. *l.* 1 *pag.* 488. *lin.* 23. *l. aliquot. p.* 489. *lin.* 23. *dele non, ibid. lin.* 24. *l. ne quidem habuisse. p.* 493. *lin.* 35. *pro Aut l. Ait. p.* 504. *lin.* 8. *l. nondum.*

Errata in præfatione sic corrige.

Pag. 2. *lin* 12 *pro si l. sit. p.* 3. *lin.* 30. *pro est l. id est. ibid. lin.* 40. *l. insereret. p.* 8. *lin.* 26. & 32. *l. ludibriis.*